4 C.



CHARLES . W . G . HOWARD .

The Gift of
THE R^T HON SIR DAVID DUNDAS K^NT
of Ochtertyre
M·D·CCCLXXVII·



B

Digitized by the Internet Archive
in 2016

https://archive.org/details/populorumetregum00neum



J. E. Mansfeld fec.


POPVLORVM
ET
REGVM
NVMI VETERES
INEDITI.

COLLECTI AC ILLVSTRATI

A

FRANCISCO NEVMANNO

CANONICO REG. AD S. DOROTHEAM.



VINDOBONAE,

APVD RVDOLPHVM GRAEFFERVM.

MDCCLXXIX.

L. S.

RELIQVIAS VETERVMQVE VIDES MONVMENTA VIRORVM,

quæ publicam in lucem ut e noſtris laribus prodirent, non indigna viſa ſunt, ſive quod hactenus Eruditorum effugerint oculos, ſive quod ab editis differant, novisque locum præbeant animadverſionibus. Europæ urbium regumque ſunt numi omnes hoc volumine comprehenſi. Propitiæ ſi Muſæ fuerint, & Aſiæ atque Africæ, poſtremo Romani nominis Ανεκδοτα Νομισματα ex hoc pariter muſeo proferam, quod plurium annorum decurſu, multisque paravi & ſumtibus & laboribus. In recenſendis numis id conſilii placuit, ut ordine geographico uterer, quæ res voluptatis plurimum & utilitatis habet. Ignobiliores deſcripti accurate: qui nobilitate argumenti præſtant, æreis tabulis inciſi ſunt, qua fieri potuit, fide ſumma & ab artifice peritiſſimo Joſepho Mansfeld. Obſervationes adjeci, quæ neque brevitate peccarent nimia, neque tædium effuſo dicendi genere parerent. Num inoffenſo pede per vaſtos venerandæ antiquitatis campos proceſſerim, haud equidem ſcio, & vix auſim ſperare.

Id

Id ſcio me nihil non egiſſe, ne pedem offenderem. Sed enim, quod a Plinio eleganter dictum eſt, „ Res ardua vetuſtis novitatem dare, novis auctoritatem, obſoletis nitorem, obſcuris lucem, faſtiditis gratiam, dubiis fidem, omnibus vero naturam, & naturæ ſuæ omnia. Itaque etiam non adſecutis, voluiſſe, abunde pulcrum eſt atque magnificum. „ Vale.

INTERPRETATIO COMPENDIORVM.

AVR.	- -	Aureus	
ARG.	- -	Argenteus	
AER.	- -	Aereus	
I.	- -	Primæ	magnitudinis.
II.	- -	ſecundæ	magnitudinis.
III.	- -	Tertiæ	magnitudinis.
A. V. C.	- -	Anno Vrbis conditæ.	
d.	- -	dextra	
s.	- -	ſiniſtra	

POPVLORVM
ET
REGVM
NVMI VETERES
INEDITI.

GALLIA.

MASSILIA.

Caput Dianæ, prominente a tergo arcu & pharetra; in area monogramma.)(MA. Pharetra cum loro pendulo: in area obverſum cervi, vel tauri caput. TABVLA I. N. I.

AER III.

Tabula I. N. I.

Argentum Maſſilienſe frequens in antiquitatum theſauris. Æris ſignati minor vis. Præſens numus, æreus atque ineditus, quin Maſſilienſibus competat, nihil quidem dubito. Dianæ vultus eorum argento familiaris. Sed & literæ ΜΑ, initiales ΜΑσσαλιητων in pluribus certis eorum numis leguntur, cujusmodi ſunt argentei minuti, quos Begerus, aliique Macedoniæ perperam inſeruere. Quid quod fabrica Galliæ faveat?

Diana & Apollo, vel ſaltem attributa iis propria, cervi, tripodes &c. identidem recurrunt in ære Maſſilienſium. Nec mirum. Erant quippe Phocæenſium in Jonia coloni, qui Harpagi vim fugientes oraculi juſſu Epheſum vela fecerunt, ibique Ariſtarcham, Dianæ Epheſiæ monitu, viæ ducem nacti, tandem in Galliam ſunt delati, ubi Maſſiliam ad Rhodani oſtia condiderunt, ac templum in arce alterum Dianæ Epheſiæ, alterum Apollini Delphinio dedicarunt in oraculi memoriam. Ex hoc tempore ſummus utrique numini honos ab iis habitus.

Alterius partis pharetram Dianæ connecto, niſi forte bellicoſam civium indolem ſignificet, ut ſæpe alias. Laudant veteres eorum res terra marique ſtrenue geſtas. Sane Martium argumentum & alii duo

eo-

eorundem numi continent, quos edidit Ill. Pellerinius. *a*) Utriſque galeatum Palladis caput inſcalptum eſt cum epigraphe ΜΑΣ. Averſa pars unius geminos clypeos exhibet, alterius Palladem telo minitantem. Non me latet, Mazaræ urbi Siculæ poſteriorem numum a Pellerinio tribui. At enim communem cum priore patriam diſerte fatentur ſimiles utrinque typi, eadem inſcriptio, moles, verbo: periſtaſes omnes, ut conferenti patebit. Mazaræ numi nulli habentur, niſi qui a Pœnis Punicis ibidem conſignati ſunt literis, cujusmodi primus eruit idem Auctor graviſſimus. *b*)

TABULA I. N. 1.

Sitne cervi vel tauri caput juxta pharetram in area, difficile dictu. Cervum præfero, fidum Dianæ comitem, quod cornua, ni fallit oculus, ramoſa videantur. Et revera id animal Dianæ ſimulacro adſiſtit in numo Maſſiliæ, quem protulit Rev. Dom. Eckhel, *c*) Vir in ſcientia numaria nulli ſecundus. Quodſi tauri caput malis, ratio pariter in promtu. Nam & tauri feroces, ac equi paſcentes in aliis ejus urbis

a) Rec. de Méd. Tom, I. pl. IV. n. 25. & Rec. T. III. pl. CX. n. 49.
b) IV. Suppl. pl. III. n. 14. & 15. pag. 100. *c*) Num. vet. Tab. I. n. 3.

Tabvla I. N. 1.

monetis haud raro comparēnt, jucundi graminis, armentorumque pinguium luculenta ſymbola.

Qui fortunam, monumentaque veteris Maſſiliæ accuratius noſſe cupit, conſulat opus Cl. Groſſan, cui titulus: Recueil des Antiquités & monumens Marſeillois &c. avec figures à Marſeille. MDCCLXXIII. 4to.

ITALIA.

Tabvla I. N. 2.

Italia, inſulæque vicinæ plenis manibus antiquas ſuppeditant opes, quibus edendis, explicandisque ſumma ingenia vacarunt. Non adeo tamen anguſta mihi ſupellex, quæ nequeat aliquos ſufficere numos memoratu dignos, atque in hanc diem incognitos. Initium ab Umbria duxiſſem, ni præſtantem Arimini monetam Eckhelii occupaſſet induſtria. Itaque a Campania iter auſpicatus, aliquot Magnæ Græciæ populos perluſtrabo; poſtea neglecto Latio, de quo alias, in Bruttiorum agrum deſcendam, unde facilis in Siciliam trajectus.

CAMPANIA.
CVME. LITERNVM.

Caput Apollinis laureatum.)(- - ME. LTERN. Literis Oſcis & retrogradis. Taurus humana cornutaque facie, ſupervolitante Victoria: intra monſtri pedes literæ fugientes ΙΣ.

AER. III.

Primus Cumarum Oſcus, aut ſi mavis, Etruſcus numus innotuit e muſeo Pellerinii. *d)* Non abſi-

d) Rec. T. I. pl. VIII. n. 25.

TABVLA I. N. 2. ſimilem adjecit Cl. Ignarra e theſauro Ducis Nojæ Neapoli. *e*) Tertius forte fortuna mihi obtigit, eo quidem pluris faciendus, quod ab illis differat. Averſæ partis typus omnibus idem. Unde miror Cl. Eckhelium negare, ſemibovem virum in Cumana pecunia comparuiſſe hactenus. *f*) Inſcriptio Oſca & retrograda legenda: KVME. LITERNum. Literas KV ætas obliteravit.

Erant Cumæ pervetuſtum & nobile oppidum ad flumen Liternum, cujus nomen, ut Ignarræ placuit, eo fine additur, ne Cumæ Italicæ cum Joniis confundantur, perinde ac in aliis Campaniæ numis legimus: Teanum Sidicinum, Nucrinum Alfaternum &c. ut nimirum a Teano & Nuceria Apula diſcernantur. Secus tamen ſentiunt Pellerinius, & comes Caylus, *g*) rati duas urbes diverſas his numis inſcribi, nempe Cumas, & Liternum prope fluvium cognominem, quas inter aliquod ſocietatis aut fœderis vinculum coaluerit. Neque hæc ſententia ſuis deſtituitur momentis. Ita pariter Crotonæ Pandoſiam, *h*) Sirin Buxen-

e) De Palæſtra Neap. n. 4. *f*) Num. vet. p. 25. *g*) Antiquit. Etr. T. V. *h*) Pellerin Lettr. II. pl. IV. n. 8.

xento *i*) ſociari videmus. Alioquin utraque urbs adeo vicina erat, ut vix una ſine altera veteribus geographis nominetur. TABVLA I. N. 2.

Linternum an Liternum rectius ſcribatur, quæſitum variantibus Latinorum auctorum codicibus. Pro Literno præter Græcorum ſuffragium ſtant numi.

Biformi monſtro, quod averſam partem occupat, nihil frequentius in ære Siciliæ, & Magnæ Græciæ. De ejus ſenſu varii varie opinati. Majorum gentium antiquarii plerique Minotaurum cenſebant; Phœnicium numen Hebona Martorellius, quem ſummi viri Winkelmannus *k*) & Heyne *l*) ſequuntur; Ignarra fluvium Acheloum. Me quod attinet, manibus pedibusque in ſententiam Exc. Gabr. Lancilloti Caſtelli, Turris Muzzæ Principis eo, qui hoc monſtrum cum celebri Burmanno fluviorum ſymbolum eſſe tuetur, *m*) eorum videlicet, quibus urbes eo typo uſæ adſidebant. Argumenta doctiſſimi Principis multa ſunt & gravia, quæ hoc loco nec repetere libet, nec vacat. Quare nullus dubito, fluvium Liternum in memoratis Cumarum numis deſignari. U-


num

i) Winkelmann Geſchichte der Kunſt. Wien. S. 138. *k*) Allegorie S. 127. *l*) Sammlung ant. Aufsætze. 1. St. S. 20. *m*) Siciliæ Inſcr. nov. Col. XXV. item Agg. III. p. 169.

TABVLA I. N. 2.

num tamen eſt, quod quia nemini obſervatum, ſilentio præteriri non debet.

Placuit, ut modo dictum eſt, Magnæ Græciæ fluviis corpus taurinum humano vultu. Hoc ut veriſſimum, ſic arbitror non minus certum, ejusdem regionis comparere fluvios in vetere moneta, qui formam hominis cum tauri capite mentiantur. Teſtem hujus rei in medium adduco eximium ac antiquiſſimum Metaponti in Lucania numum argenteum, qui olim Ducis Nojæ muſeum, nunc Regium Neapolitanum * ornat, cujus ectypon e Magnano *n*) reſtituo, ut fidem verbis faciam.



Scio

* Ducis Nojæ muſeum, ſi Græcam Italiæ monetam ſpectes, facile primas tenuit. Poſt ejus fata omnis ille numorum adparatus in theſaurum Regium Neapolitanum commigravit, ſoluto hæredibus juſto pretio.

n) Lucania Num. T. 34. n. 111.

Scio Minotaurum alias hac imagine proponi, ſcilicet effigie viri cum capite bovis. Talem ut veterum auctorum teſtimonia mittam, repræſentant Herculanenſis pictura *o*) & numi Athenienſium, Cnoſſiorumque in Creta *p*), quibus addo bina alia monumenta egregia, Sardonychen theſauri Cæſarei Vindobonenſis a Philemone ſcalptum ad omnes artis veneres, *q*) & vas Campanum e muſeo celeberrimi Mengſii. *r*) Enim vero in hoc numo non Minotaurum exhiberi ſed flumen, Caſuentum puta, cui Metapontum adhæſit, Jovem lapidem jurare auſim. Argumento eſt evidenti calamus, quem vir ταυροκεφαλος ſiniſtra tenet. Is uti nullo pacto cum Minotauro componi poteſt: ita fluviis familiaris eſt & proprius, ab iisque reapſe in mille numis geſtatur. Profecto id attributum non fortuito, ſed induſtria & conſilio monetarii crediderim adjectum, ut hac nota characteriſtica moneamur, fluminis non Minotauri ſimulacrum adeſſe. Ad hæc non video, quid Metapontinis fuerit cum monſtro Cretenſi. Poſſem & Acheloum citare eadem, qua Caſuentum cernimus, expreſſum forma in Etru-

TABVLA I. N. 2.

o) Pitt. ant. d'Ercol. T. I. *p*) Pellerin Rec. T. I. pl. XXII. n. 6. & 7. item Rec. T. III. pl. XCVIII. n. 24. *q*) Stoſch gem. ant. Tab. 51. *r*) Winkelm. Mon. ant. Tav. 100.

TABVLA I. N. 2. Etruſca, ut vocant, urna e lapide tophaceo apud Gorium *s*) atque in gemma elegantiſſimi operis apud Mariettum: *t*) ſed nunc ſolius Græciæ Magnæ terminis & numis inſiſtere juvat. Itaque ſatis habeo in præſentia, uno ſed luculento monſtraſſe exemplo, fuiſſe antiquiſſimis temporibus Magnæ Græciæ fluvios, qui Minotauri ſpeciem interdum ſimulaverint, licet alias, ut prædiximus, perpetua fere lege tauri corpus induerint cum facie hominis.

NEAPOLIS.

N. 3. ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Caput Apollinis laureatum)(taurus capite humano & cornuto: ſupra volucris.

AER. III.

In ejusmodi Neapolitanorum numis ſolet alias ſupra monſtrum volare Victoria. Ejus loco in noſtrum involavit avicula, nec temere; fuerunt quippe teſte Vellejo Paterculo, *u*) qui columbæ antecedentis volatu Chalcidenſium in Italiam navigantium curſum

s) Muſ. Etr. T. II. Tab. CXXII. n. II. *t*) Pierres grav. T. II. LXXVI. *u*) Hiſt. lib. I. Cap. IV.

ſum fuiſſe directum, memoriæ prodiderint. Pars autem Chalcidenſium Neapolim condidit, quod argumentum ſecundo volumine multis complexus eſt Ill. Auctor præclari operis: Dell'antiche colonie venute in Napoli. Quapropter volucrem in numo noſtro columbam facile credidero, cujus feriundæ ratio perſpecta jam eſt. Eadem de cauſa Epheſii apem in ære ſignarunt. Sententia noſtra plurimum firmatur inſigni Statii loco, *x*) e quo diſcimus, Neapolitanos ſtatuam dedicaſſe Apollini cum columba ſiniſtro ejus humero inſidente: Tabvla I. N. 3.

Dii Patrii, quos auguriis ſuper æquora magnis
Littus ad Auſonium devexit Abantia claſſis.
Tu ductor populi longe emigrantis Apollo!
Cujus adhuc volucrem læva cervice ſedentem
Reſpiciens blande felix Eumelis adorat.

Ecquid inſolens videatur, eos in numis quoque finxiſſe Apollinem & columbam, quibus ductoribus has demum in oras ſunt adpulſi? Si quis tamen eſt, cui hæc minus probentur, ſuppetit alia columbæ ra-

x) Theb. l. 4. 8. v. 45.

TABVLA I. N. 3. tio, quam Plinius *y*) ſuggerit his verbis: „Quin & „ patriam nobilitavere. (columbæ) In Campania „ grandiſſimæ provenire exiſtimatæ.„ Notum Græcorum ingenium, qui quidquid ad patriæ laudem ac ornamentum conduceret, magnifice in numis crepabant. Hinc ut innumera prætercam, quæ ad cujusque regionis hiſtoriam naturalem pertinent, hinc inquam, tantus hircorum, arietum, cervorum, taurorum, omnisque generis animantium populus in ære vetere habitat. Speciatim columbæ frequentes volitant in Ægæi maris inſularum monetis, Siphni, Seriphi &c.

Bos humana facie fluvium Liternum, aut potius nobiliorem eo Vulturnum adumbrat, lætiſſimos Campaniæ agros irrigantem.

*

* *


TABVLA I. N. 4. Caput Apollinis)(ΝΕΟΠΟΛΙ. Dimidium monſtrum biforme aſtro inſignitum.

AER. III.

Si-

y) Nat. Hiſt. l. x. ſect. LIII.

Similem quoad omnes apices Pellerinius *z)* edidit, ſed ΡΩΜΑΙΩΝ inſcriptum. Vir ſummus vix dubitat fuiſſe Gelæ in Sicilia ſlatum. Cauſam prætendit formæ, commatis, typorumque ſimilitudinem cum ceteris numis Gelois. At hæc ipſa momenta deprehenderis invicte militare pro Neapoli, ſtatim ac illam monetam cum noſtra contenderis; quod ut fieri ab unoquoque poſſit tanto facilius, viſum eſt e re maxime, Pellerinianum exemplar huc inſerere. TABVLA I. N. 4.



Non ovum ovo ſimilius. Eadem Apollinis facies, idem prorſus capillorum cultus; averſæ partes adeo conſpirant, ut nec aſtrum in alterutro de-

B 3 ſide-

z) II. Suppl. pl. I. n. 8.

Tabvla I. N. 4. ſideres. Differentia nulla, præterquam nominis. Tam arcta utriusque adfinitas non modo communem patriam, ſed parem etiam ætatem, ne dicam ejusdem artificis manum eloquitur.

Quo tempore, quave occaſione numi cum epigraphe ΡΩΜΑΙΩΝ Neapoli ſignati fuerint, haud facile dixeris. Narrat Livius non uno loco, Neapolitanos a quo tempore Romanis fœdere jungebantur, ſumma conſtantique in eos fide ſtetiſſe, uſque adeo, ut cum res Romanæ Punicis in bellis graviſſime laborarent, magnam auri vim per legatos Romam miſerint in ſubſidium belli, Pænumque non ſolum mœnibus excluſerint, ſed & præſidium Romanum advocaverint. Ex hoc fas puto inferre, Neapolitanos hoc monetarum genus fabricaſſe aut in uſum Romanorum intra muros ſuos degentium, aut ſeſe dixiſſe Romanos, quo ſummam in eos amicitiam, fidemque declararent.

*

* *

N. 5. ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Caput Apollinis: in area ΜΕ.)(. Bos dimidius humano vultu: ſupra delphinus, in area ΒΙ.

AER. III.

Per-

Perelegans & anecdotus numus videbatur dignus, qui æri incideretur, tametſi commentario non egeat. Delphinus urbis maritimæ ſignum, ut patet. Notari meretur, in Sicilia paſſim flumina exhiberi dimidio corpore, præſertim a Gelenſibus: in Græcia Magna perraro, atque a ſolis Neapolitanis; quippe numi ΚΑΠΥΑΝΩΝ, cum typo dimidiati monſtri, confiсti videntur, quos Golzio videre licuit, præterea nemini. Addo, Siculos fluminibus adſcripſiſſe perſæpe nomina. Legitur ΗΥΨΑΣ. ΓΕΛΑΣ. ΑΣΣΙΝΟ. &c. in ære Selinuntio, Geloo, Naxio. Non ita Græci Italiotæ, quorum numi fluviorum vocabula pertinaciter diſſimulant. TABVLA I. N. 5.

*
* *

Caput Apollinis: a tergo ΝΥ.)(ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ. Lyra & cortina, quibus imminent duæ ſtellæ, & luna bicornis, infra cernitur ariſta.

AER. III.

Dum errantes ſupra Cortinam ſtellas & lunam intueor, opportune ſubit locus Horatii, *a)* ubi Nea-

a) Epod. 5. v. 42.

TABVLA I.

Neapolitanos arguit ſiderum diſciplinæ, nugisque aſtronomicis deditos, credulosque vel ipſis adeo vetulis, quæ proprium ſibi in aſtra, lunamque imperium jactabant:

Nec defuiſſe maſculæ libidinis
  Ariminenſem Foliam,
Et otioſa credidit Neapolis,
  Et omne vicinum oppidum,
Quæ ſidera excantata voce Theſſala
  Lunamque cœlo deripit.

De hoc argumento multus eſt, ut ſolet, doctiſſimus Martorellius commentario in Thecam calamariam, quam ſeptem planetæ exornant. Univerſim in Italiæ Græcæ monetis luna & aſtra ſæpiſſime adparent. Ut nihil de Capua, Tarento, aliisque civitatibus dicam, quarum in ære jam una, jam plures ſtellæ lucent, Iguvium & Populonium apud Paſſerium, *b*) pariter lunam cum geminis aſtris, Dioſcurorum ſymbolis, ut puto: Croton apud Eckhelium *c*) & Ma-

b) Paralip. ad Dempt. Tab. IV. & V. *c*) Num. vet. T. IV. n. 5.

Magnanum *d*) tres lunas falcatas, & Velia apud Pellerinium *e*) tres item lunas, totidemque aſtra ſignarunt. Quin erant Etruriæ urbes nobiliſſimæ Pupluna, ſeu Populonium, & Luna, quibus nomen a nocturno illo ſidere factum. Dioſcurorum quidem cultus Neapoli, utpote in urbe maritima, plurimum vigebat. Collapſum eorum templum, inſcriptionesque hodiedum ibi viſuntur. Nec ſpica de nihilo, quam averſa in ſegmento exhibet. Cui non notus „ Campanus ager orbis terræ pulcerrimus „ ut Ciceroni vocatur? Dionyſio *f*) definite Neapolis „ σταχυων βεβριϑος αμαλλαις, ſpicarum referta manipulis„ laudatur, commode ad ſpicam noſtram. Fabrica præter morem hiulca eſt, ac rudis. Literæ NY, quemadmodum ME & BI præcedentis numi, aut prima ſunt magiſtratuum elementa, aut notæ. TABVLA. I.

TEANVM SIDICINVM.

TAᴎNVR. characteribus Etruſcis, ſive Oſcis, ac ordine retrogrado. Laureatum Apollinis caput: in N. 6.

d) Brutia Num. Tab. 120, & 121. *e*) Rec. T. I. pl. IX. n. 56. *f*) Perieg. v. 58.

Tabvla I. in area o)(Victoria coronat taurum biformem, intra cujus pedes ſigla.

AER. III.

Ut inciſam æri monetam ſiſterem, una litera movit, ſecunda videlicet, quæ mire variat in Teani numis. Scribitur ꟼ apud Mazochium, *g*) ꟻ apud auctorem muſei Com. Pembrok, *h*) & Eckhelium. *i*) Ignarra legit ɪ, *k*) Dutenſius ᴇ, *l*) ſi modo recte uterque legit. Pellerinius id elementum adfirmat uti Græcorum ᴧ formatum in geminis ſui muſei numis. *m*) In meo nitidiſſime ſervato manifeſtum eſt ʏ ſed inverſum. Id diſcriminis accurate notare placuit, quia probe novi, quantum ad eliciendam literarum facultatem interſit, ſumma uti accuratione. Non eſt tamen, cur Tyrrhenicæ orthographiæ varietatem tantam mirere. Campaniam, cujus urbs Teanum fuit, poſt Opicos, Auſonesque alternis vicibus tenuere Oſci, Etruſci, Samnites, demum Romani. Adeo multiplex variarum gentium ſucceſſio & linguam, & literas non potuit non tur-

g) Diſs. Etr. T. III. p. 39. *h*) Part. II. Tab. 88. *i*) Num. vet. T. II. n. 8. *k*) Pal. Neap. p. 267. *l*) Paléogr. Num. ſeconde edit. pl. II. n. 9. *m*) Rec. T. I. p. 63.

turbare. Atque inde in reſtituendis veterum Italiæ incolarum alphabetis, eruendisque characterum diverſis figuris & poteſtatibus, difficultates naſci vix, ac ne vix quidem ſuperandas, facile adparet. Erit ergo in argumento tam difficili atque obſcuro, etiam poſt ærumnoſos Maffeji, Gorii, Paſſerii, Bourguetii, aliorumque doctorum virorum conatus, in quo exerceant poſteri ingenii ſui acumen. TABVLA I. N. 6.

A P V L I A.

A R P I.

Ariſta.)(Aper currens, cui ferrum haſtæ imminet. N. 7.

AER. III.

*
* *

Caput Jovis laureatum.)(ΑΡΠΙ. Aper cum haſtæ ferro. N. 8.

AER III.

Fabrica prioris numi patriam, nempe Magnam Græciam, primo intuitu manifeſtat. Arpis, non ignobili Apuliæ urbi prope Luceriam, aper dome-

TABVLA I. N. 8.

ſticus quaſi typus eſt, quo Diomedis, Arporum conditoris, Ætolica indicatur origo. Sunt tamen & aliæ Magnæ Græciæ civitates, uti Salapia Arporum navale, quarum numos idem animal infeſtat. Hinc incertus fluctuarem etiamnum, cuinam urbi anepigraphum noſtrum inferrem, ni ſuppetias veniret Arporum alter argenteus muſei Pelleriniani, *n*) qui tribus in averſa ſpicis abundat, unde noſtro lux plena adfunditur. Jure autem Arpini ſpicas in ære jactaverunt, benigno cœlo, fertilique gleba felices. Et Livius auctor eſt, *o*) Lucerinos Sempronium conſulem, Hannibalem Arpinos hibernantem aluiſſe.

Alter inſcriptionis gratia memorabilis, ceteris ſimilibus ΑΡΠΑΝΩΝ integrum nomen ſatentibus. Ad eosdem ſpectare numum illum Parutæ, *p*) ac Principi Torremuzzæ *q*) memoratum, qui epigraphen ΙΠΠΑΡΙΣ præfert, aut præferre potius videbatur, tam certum arbitror, quam quod certiſſimum. Teſtes pro-

n) Rec. T. I. pl. VII. n. 9. *o*) Lib. XXIV. cap. III. *p*) Sic. Num. Tab. CXXXVI. *q*) Correz. alla ſic. Num. p. 40. & Agg. V. p. 33.

provoco Jovem aprumque, conſuetos Arpinæ pecuniæ typos, tum vero nomen magiſtratus ΔΑΞΟΥ, quod in plerisque ΑΡΠΑΝΩΝ certis monetis legitur. TABVLA I. N. 8.

TARENTVM.

Concha.)(- - AN. ſupple TAPAN. Vir nudus delphino vectus d. tenet diotam, s. cornucopiæ. N. 9.

AER. III.

Aerei Tarentinorum numi longe rariſſimi; vix namque duo vel tres ad hæc uſque tempora in lucem prodivere, & hi quidem attriti. Diota, quam vir delphino inequitans in meo numulo egregie ſervato geſtat, in illis deſideratur. Ceteroquin typis & mole congruunt omnes hactenus inventi. Non moror æreum illum ſecundæ formæ, qui caput barbatum, forte Neptuni, cum adſcripto monogrammate, & piſcem Rajam in averſa ſiſtit, Haymioque videbatur Tarenti cuſus in honorem Archytæ. *r*) Ei numo, quem & mea penus recondit, nihil prorſus eſt cum Tarentino philoſopho, vel oppido, tametſi ubinam gentium malleum ſubierit, nondum omnino liqueat.

 Ha-

r) Theſ. Brit. Tom I. p. 146. edit. Vindob.

Tabvla I. N. 9. Havercampus in Morellii Theſauro Familiarum Romanarum Corinthium putat, ſed res incerta.

Conchas, cujusmodi unam vides in hoc numo, Græci κλενες, pectines Latini vocant, frequentes Tarentino in mari. De piſcatu apud veteres Tarentinos præclare actum ab Joanne Juvene in præſtanti opere: De antiquitate, & varia Tarentinorum fortuna &c. Neapoli. MDLXXXIX. fol.

LVCANIA

METAPONTVM.

N. 10. Caput Veneris, ut opinor.)(ME. Ariſta

ARG. II.

Numisma aliud ab editis. Multam vetuſtatem cum literarum forma, tum brevitas inſcriptionis indicat. Quis Metapontum condiderit, non una eſt veterum ſententia. Refert Antiochus apud Strabonem, s) fuiſſe ab initio vocatam Μεταβον, ab heroe Metabo Siſyphi filio, Aeoli nepote, poſtea vero

s) Lib. VI. p. 406.

ro dictam Μεταποντιον. Huic adſerto ſuffragatur præſtans moneta quondam ducis Nojæ, nunc Utriusque Siciliæ Regis, quæ una parte caput virile imberbe tænia revinctum exhibet, altera de more ſpicam cum epigraphe METABO. *t*) Quis hic primigenium urbis nomen, vultumque conditoris Metabi non agnoſcit? Adeo nempe mutuam ſibi operam præſtant & veterum monumenta, & auctores. Tabula I. N. 10.

Ceterum quanta ejus urbis argenteorum numorum frequentia: tanta æreorum difficultas eſt. Aereus unus inſignis artificii cum ariſta, vultuque Bacchi venuſtiſſimo, auctoris muſeum ornat, cujus imaginem Magnanus dedit. *u*)

BISTVVIVM.

Caput imberbe criſpis capillis.)(Delphinus, frumenti granum, & concha. Inſcriptio detrita. N. 11.

ARG. III.

Adeo vetuſtus numus, ut inter Pæſtanos facile antiquiſſimum declaraverit Vir ſummi ingenii & doctri-

t) Lucania Num. T. 37. n. XIV. *u*) L. c. Tab. 32. n. IV.

Tabvla I. N. II.

ctrinæ Mazochius. Quid mirum, poſt aliquot annorum millia obliteratam denique fuiſſe epigraphen, quæ alias ſolet eſſe ΒΙΣΤΥΥΙΣ. id eſt: Biſtuvis, ſeu Biſtulis, nomen, ut Ignarræ videtur, *x*) non urbis primitivum, ſed gentile, deductum *απο τȣ* Biſtuvium, quemadmodum e *τῳ* Samnium fit Samnis?

De numi patria, & ſignis utriusque partis in diverſas diſtrahuntur ſententias Paſſerius, Mazochius, Guarnaccius, Magnonius. Unum eſt, in quo concordant omnes; atque hoc ipſum eſt, in quo ego ab omnibus diſſentio, ſignum intelligo, quod præter delphinum & granum averſæ inhæret. Id confidenter, ac unanimiter apluſtre, ſive acroſtolium vocant, ſolo Guarnaccio excepto, qui dubitantis more ſcribit: „ come pare, un acroſtolium„ *y*) Sed enim concha hoc ſaltem in numo cernitur evidenter, ut cuique patebit, qui fideliſſimum ectypon inſpexerit. Typus ille Poſidoneatis, ſeu Pæſtanis apprime convenit, pro quibus Paſſerius, Mazochiusque decertant. Profecto ejusdem generis concham adjecto adeo frumenti grano, etiam Cumæ in Campania monetis ſuis ar-

x) De Pal. Neap. p. 262. *y*) Orig. Ital. Tom. II. p. 228.

argenteis intulerunt, z) perſpicuo argumento, numos cum epigraphe ΒΙΣΤVVΙΣ in quadam Cumis vicina urbe fuiſſe procuſos; nam urbes vicinæ ſimilis ingenii numos ſignarunt. Et revera Poſidonia, ſerius Pæſtum, haud procul Cumis diſtabat. Quod amplius: eorundem typorum eadem erat utrisque cauſa, nimirum ſoli mollities, & copia teſtaceorum, quæ ora maritima, & lacus propinqui largiter ſufficiebant. Sicut enim Cumæ lacui Lucrino adjacebant, cujus oſtreæ laudatiſſimæ: ita & Biſtuvium alteri cuidam ſtagno mirabili, „ quod certis temporibus variari ferunt, ac modo dulce, modo ſalſum, nec potabile fieri „ ut ait Plutarchus. *a*) Illud autem ad rem noſtram vel maxime facit, reperiri concham in iis etiam pervetuſtis numis, quos eadem urbs Poſidoniæ nomine ſignavit, qualem edidit Pellerinius. *b*) Non deſunt quidem aliæ Magnæ Græciæ civitates, quibus conchæ placuerint, ſed hæ diverſi generis, ut Buccina in Capuæ, Pectines in Butunti & Tarenti monetis. Noſtram Mytilum Linnæus adpellat.

TABVLA I. N. II.

Ex-

z) Pellerin. Rec. T. I. pl. VIII. *a*) In vita Craſſi. *b*) II. Suppl. pl. I. n. 7.

TABVLA I. N. 11. Exſtat Biſtuvii aliud monetarum genus, quarum in parte poſteriore taurus humano vultu ſtabulat. Hæ antica pariter facie differunt, & nequaquam virilem, qualis in noſtro, ſimilibusque numis delphine, grano & concha inſignitis conſpicitur, ſed muliebrem protomen offerunt collo monilibus ornato, effuſisque crinibus, cujusmodi fere occurrit in ære Crotoniatarum, ac vulgo Junonis Laciniæ cenſetur.

BRVTTII.

N. 12. Caput Herculis barbatum, & rictu leonis tectum: a tergo clava.)(ΒΡΕΤΤΙΩΝ. Victoria in citis bigis: ſubtus ſerpens.

AVR. III.

En unum de præcipuis hujus muſei cimeliis. Aurea Bruttiorum moneta vix prius cognita. Unicam huic ſimilem, excepto ſub equis ſerpente, Exc. Baro Ronchius, Academicus Herculanenſis doctiſſimus, Neapoli poſſidet, quam Bruttiæ Numismaticæ inſeruit Magnanus. *c*) Typorum ratio facilis. Erat

c) Tab. IV. n. II.

Erat Herculis religio Bruttiis avita, quod Stephano teſte, generis auctorem agnoſcerent per Brettum ejus de Baletia filium. Victoria vero bigas urgens eorundem Martios animos, virtutemque bellicam ſignificat, qua tantum valebant, „ut multas Græci nominis civitates Italia expellerent, - - - & pernicioſi etiam regibus haberentur„ quæ verba Juſtini ſunt. *d*) Artibus perinde, atque armis excelluiſſe, teſtantur elegantiſſimi eorum numi, tum hic præ ceteris, quo vix pulcriorem deſideres. TABVLA I. N. 12.

BERT. Græcis ΒΡΕΤΤΟΣ, vel ΒΡΕΤΤΙΑ.

Pagurus, ſub quo nomen urbis Phæniciis literis.)(Planta videtur, aut piſcis marinus. N. 13.

AER. III.

Similem, ſed inſignem Herculis vultu, qua parte videor mihi piſcem, aut plantam videre, præcipuis Italiæ numis merito accenſet Pellerinius, *e*) eoque titulo inprimis commendat, quod primigenium urbis nomen Bert, ſive Birt profiteatur Phoeniciis characteribus expreſſum; ex quo plurimum il-

d) Lib. XXIII, cap. I. *e*) III. Suppl. pl. IV. n. I. p. 91.

Tabula I. N. 13. lorum ſtabilitur ſententia, qui Bruttios, ceterosque Græciæ Magnæ populos propugnant origine Phœnices. Viri doctiſſimi præclaras in hanc rem legiſſe animadverſiones, neminem pœnitebit, quibus omiſſis, ne cramben recoquamus, nos quidem typis aliquamdiu immorabimur.

Pagurus frequens in ære inſularum, urbiumque maritimarum, quæ proficuo ejus piſcatu gaudebant. Archæophilum & Dulodorum non audio, apud Begerum de myſtico hujus cancri ſenſu eruditiſſime ſomniantes. *f*) Sed quid imaginis in averſa? Res non ſatis liquida, quod numus ea parte vitium fecit. Ni fallor, Polypum, aut plantam conjicio. Si polypus, nulla difficultas. Nempe alterum vicini maris teſtem habebimus, præclarum paguri ſocium. Et video Crotoniatas in Bruttiis eundem cælaſſe piſcem in numo argenteo apud Magnanum, *g*) & in æreo anecdoto Canonicorum Reg. ad S. Florianum in Auſtria, cujus ectypon poſſideo. Quodſi genus plantæ ſit vel fruticis, audi, quid in mentem venerit.

Ini-

f) Theſ. Brand. T. I. p. 340. *g*) Br. Num. T. 118. n. II.

Initio omnis illa peninſula Siciliæ oppoſita vocabatur Japygia, mox Oenotria, Italia dein, eoque nomine latius progreſſo, demum Βϱεττια, quæ primo ſilæ Silvæ concluſa terminis, poſtea univerſam litoralem oram ad Laum uſque occupabat. Oenotria, Italia, Βϱεττια, adpellationes ſynonymæ ſunt, ab Orientis linquis, quibus Japyges utebantur, adſcitæ, ac indolem terræ, pice reſinaque plurima divitis, adumbrantes. Ut Oenotriæ atque Italiæ nomina diſſimulem: Βϱεττια, Latinis Bruttia, derivatur ab Hebræorum Beroſch, & Berot, Chaldæis nempe Syriſque ſchin in tav mutantibus. Pluralis Berotim, ſive Brotim, omne genus arborum ſignificat, unde pix & reſina ſtillat. Habes igitur originem nominis urbis Bert ſeu Birt, populique Βϱεττιων, a pice videlicet, cujus immenſam officinam ſilva Sila præbebat. * Sed quorſum iſta, inquies? Ut numi noſtri plantam, ſive fruticem eliciam. Quid enim, ſi reſinoſam ejusmodi arbuſculam, e qua pix Bruttia, veteribus adeo laudata fiebat, in ære ſuo cælaſſent Bruttii, atque ita ingenium ſoli, & nominis cauſam innuiſſent? Sane moris fuiſſe veteribus, TABVLA I. N. 13.

 ut

* Id argumentum eleganter & copioſe Mazochius exequitur commentario in Tabulas Heracleenſes p. 534. ſqq.

TABVLA I. N. 13. ut quibus maxime abundarent, aut præſtarent naturæ muneribus, in numis gloriarentur, nemo eſt, qui ignoret. Exempla ejus rei ſunt innumera, neve foris quæramus, quod domi ſuppetit, inter ipſos Bruttios Rhegini, Cauloniatæque varias ſignabant plantas, quarum ferax erat eorum ager. Quid vetat, quo minus & præſentem numum ſimili typo, ſimili de cauſa dicamus inſignem? Sed hæc non niſi per conjecturam, & ſuppoſito plantæ, ſeu fruticis typo. Expectandum, donec integriores id genus numos

- - - in apricum proferet ætas.

CROTON.

TABVLA II. N. 1. ϘPO. Tripus adſtante ciconia.)(Tripus incuſus

ARG. II.

Inſignis numus non nihil ab editis differt, primaque ſapit monetariæ artis incunabula, ut omnes illi argentei, qui duplici quidem typario ſignati ſunt, ſed altero eminente, altero concavo, cujusmodi præter Crotona fabricavere Caulon, Metapontum, Poſidonia, Sybaris, Tarentum. Extra Græciam Magnam

gnam hoc numorum genus nullatenus invenias. Neque facile dictu, qua cœpti ſint ætate in ea Italiæ parte procudi. Præcedere annis quidem minimum ſexcentis Chriſtianæ æræ, perſpectum habeo, atque ita conficio. Eſt mihi Sybaritarum argenteus numus cum Palladis taurique ſignis, ſed prominente utrinque typario. Hunc fere annis DXL. ante epocham Chriſtianam flatum, nemo diffitebitur, qui noverit, Sybarin eo temporis a Crotoniatis fuiſſe radicitus erutam, neque amplius reſtitutam. Nihilo minus, ut monui, typarium eminet jam utrumque, ac fabrica minime vulgarem elegantiam ſpirat. Progreſſus a primis rei monetariæ initiis ad tantum fabricæ nitorem ſubito fieri non poterat. Tam parum quippe ingeniorum, quam arborum fructus ſubito matureſcunt. Erit itaque congruum, imo neceſſe, ſexaginta circiter annorum ſpatium inter rudia illa feriundi argenti pericula, eumque perfectionis gradum interponere, quo jam perveniſſe Sybaritam artificem videmus. Si ita eſt, patet eorum, de quibus agitur, numorum ætatem ſaltem ad ſexcentos circiter annos ante Chriſtum natum eſſe removendam.

TABVLA II. N. I.

Quam-

TABVLA II. N. 2.

*
* *

Caput laureatum imberbe)(ΚΡΟ Tripus.

ARG. III.

Quamvis abſit leonina pellis, tamen Herculem vultus amplus, & craſſum collum (multi roboris indicium) & curti capilli dilucide produnt. Ingens ejus cultus apud Crotoniatas. Cauſam, atque urbis ſimul originem exponit fuſe Ovidius, *h*) quo remitto lectorem. Et belle cum Poeta numi conſpirant, qui variam Herculis, aliquando & ſerpentes elidentis effigiem exprimunt. Tripus Apollinem reſpicit, cujus oraculo urbs a Myſcello condita, ut pridem obſervatum. De numis Crotonis diſſeruit Cl. de Boze. *i*) Sed hunc nec ille vidit, nec poſt eum alius.

LOCRI EPIZEPHYRII.

Caput Palladis galeatum: retro ſpica.)(--ΚΩΝ. Supple ΛΟΚΡΩΝ. Pegaſus volans, ſub quo literæ ΑΓ monogrammate ligatæ.

AER. II.

E-

h) Metam. l. xv. *i*) Hiſt. des Inſcr. & des Bell. Lettr. Tom. 1. p. 235.

Erant Locri in Italia: erant & in Græcia. Hi Parnaſſum montem utrinque accolebant, dividebanturque in Ozolas, Epicnemidios, ac Opuntios. Sunt, uti Plinius aliique, qui Epicnemidios atque Opuntios eosdem ſtatuant, & Strabo ipſe, qui inter utroſque diſtinguit, urbem οπȣντα alibi conſtituit των επικνημιδιων metropolim. Ab Opuntiis, aut ſecundum alios, ab Ozolis genus ducebant Locri in Bruttiis Italiæ, Epizephyrii vocati a Zephyrio promontorio. Horum omnium monetas diſcernere arduum eſt. De iis non loquor, quæ nomini ΛΟΚΡΩΝ aut literas ΟΠ in formam monogrammatis per aream jungunt, aut globulos; nam has ad Epizephyrios, ad Opuntios illas ſpectare, compertum habetur. At quæ characteriſticis his notis deſtituuntur, ſæpe Oedipum requirunt. Non deſunt tamen, quarum patriam e typis ſatis certo definias. Sic Locris Italicis tuto licet adſcribere, quibus una parte Jovis caput, altera fulmen, aut aquila ceu ſola, ceu leporem depaſcens inhæret. Hæc enim ſigna prorſus ex Italiæ & Siciliæ ingenio ſunt. Ab iisdem ſignatos arbitror & eos numos, qui hic galeatum Palladis caput, illic præter urbis nomen duo cornua copiæ cum aſtro exhibent. Eadem quippe ſymbola vicina Locris Valentia adoptavit. Sed quid facias Lo- TABVLA II.

 cro-

TABVLA II. crorum partim argenteis, partim æreis illis numis, qui Palladem Pegaſumque præferunt, manifeſta Corinthiæ originis indicia, cujusmodi hic eſt, quem ſupra deſcripſimus. Id quidem nunc inquirendum. Pellerinius pro partibus Ozolarum ſtat, *k*) quin judicii ſui rationes exponat. Eckhelius in ſyllabo Corinthi coloniarum, quæ hoc genere monetarum uſæ ſunt, recte animadvertit, *l*) apud veteres deductæ a Corinthiis ad Locros Ozolas coloniæ mentionem fieri omnino nullam; videtur nihilominus Pellerinio accedere, „ quod eorum regio ſinum Corinthiacum contingebat, & forte aliqua ejus pars revera habitata fuerit a Corinthiis, aut ſpecioſo aliquo titulo ſe ultro Corinthios profeſſi ſunt. „ Ad Italiæ Locridem neuter animum adplicuit. Equidem in hac controverſis numis domicilium adſigno, neque temere iſtud facio. Teſtatur R. P. Magnanus, *m*) id genus numismata frequenter erui in regno Neapolitano, eſſeque communia in ejus regionis Cimeliarchiis; nulla vero, aut certe perrara, quæ Græcorum Locrenſium partus eſſe conſtet. Ibi ergo domeſtica, ubi copioſa. Id criterium magni eſt in difficultatibus ſubſidii, quæ

k) Rec. Tom. I. p. 98. *l*) Num. vet. p. 127. *m*) Brutt. Num. p. IX.

quæ ſcientiam numariam vexant. Præterea monogramma literis ΑΓ compoſitum, quod ſub Pegaſo mei numi viſitur, in compluribus Epizephyriorum certis monetis adparet, cujusmodi apud laudatum auctorem & Begerum *n*) occurrunt. Tertio (& huic argumento plurimum tribuo) Locros Italiotas ſeu Epizephyrios agnatos fuiſſe Corcyræis, & per hos Corinthiis, intelligo e Cononis libello quinquaginta narrationum, quarum argumenta ſuæ Photius bibliothecæ inſeruit *o*) bona noſtra fortuna. En integrum locum latine verſum: „ Phæace autem inſulæ (Corcyræ) rege mortuo, liberi ejus Alcinous & Locrus inter ſe diſſidentes, ita tandem convenerunt, ut Alcinous quidem Phæacidi imperaret, Locrus vero pretioſas opes mobiles, partemque populi auferens, regione excederet. In Italiam igitur hic adnavigans, a Latino Italorum rege hoſpitio acceptus eſt, qui filiam quoque ſuam Laurinam eidem nuptui dedit; qua etiam ex cauſa Phæaces Italicos hoſce Locrenſes in cognatos adſciverunt. „ Illuſtris ſane locus, & plura continens, quæ alibi fruſtra quæſieris. Traditur Locrus Alcinoi, Corcyræ Phæaciæ regis, frater, cujus nec Homerus, nec poſt eum alius meminit. TABVLA II.

E 2 Fer-

n) Theſ. Brand. T. I. p. 336. *o*) Num. LXXXVI. p. 423.

Tabvla. II.

Fertur idem cum parte populi Corcyrenſis in Italiam navigaſſe, & mox additur, fuiſſe Locrenſes hos Italicos a Phæacibus pro cognatis habitos. Exinde, me judice, manibus rationem tenemus, cur Locrenſes iſti Corinthios in numis profeſſi fuerint natales. Erant quippe, ut dictum, genere Corcyræi. At κερκυραιοι κορινθιοι σαφως, Corcyræi indubitato Corinthii „ ut diſerte Thucidides ait, *p)* conſequenter & Locrenſes Italiotæ a Corinthiis oriundi, proindeque Corinthios in ære ſuo typos non immerito jactavere. Idem factitatum a Dyrrhachenis videmus, qui quamvis & ipſi a Corcyræis proprie deſcenderint, teſte eodem Thucydide, Corinthios tamen metropolitas agnovere, ac more coloniarum recepto matris ſymbola, nempe Palladem & Pegaſum ſignavere. Cononis narratio & inde firmatur egregie, quod inter Græcos atque Italicos Locrenſes, nullo unquam tempore, fœdera valuerunt, uti Polybio, *q)* qui poſtremos ſæpius adibat, ipſi profitebantur. An mirum, Italicos ſeu Epizephyrios pro ſociis & cognatis agnoviſſe Corcyræos, & per hos Corinthios? Aut igitur fallor vehementer, aut productis mo-

p) Lib. VII. *q)* Hiſt. L. XII.

momentis conficitur, eos de quibus controvertitur, numos ad Italicam ſpectare Locridem. TABVLA II.

His jam conſtitutis juvat ultra progredi. Veriſimile duco, Epizephyriis jus in illos pariter numos eſſe, qui iisdem typis una, vel utraque parte literam Λ adſociant. Pellerinius rurſum Ozolis favet, Eckhelius potius Leucadiis, advertitque in plerisque per aream occurrere caduceum, difficile, ut vocat, criterium. Mihi quidem non adeo difficile videtur criterium, imo ſatis luculentum. Exſtant non pauci Locrorum Italicorum numi certi, hoc inſignes attributo. Ejusmodi Magnanus tres vulgavit. *r*) Duo priores aquilam ſiſtunt, cui lepus cœnam facit, tertius Jovis vultum. In averſa omnium fulmen, & per aream caduceus. Univerſim id Mercurii attributum frequens eſt in Bruttia moneta, cumprimis urbium Peteliæ ac Hipponii. Et vero Mercurii cultum per eum tractum viguiſſe, probant etiam Rheginorum numi, in quibus is deus ſæpe ſæpius caduceum portat. Contra vero indubiam Græcæ Locridis monetam nec unam dederis, ſaltem ex hactenus editis, quæ alicujus in Mercurium pietatis in-

 di-

r) Brutt. Num. T. 69. n. II. & III. T. 74. n. VIII.

TABVLA II. dicium prodat. Ipſa τȣ Λ repetitio ſuffragatur meæ opinioni; nam & integrum ΛΟΚΡΩΝ vocabulum in Epizephyriorum monetis aliquoties redit utrinque; & Magnanus unam recenſet, quæ Palladi ΛΟΚΡΩΝ, & pegaſo alterius partis ſolum Λ adſcribit, evidenti ſimul argumento, iisdem in exprimendo nomine placuiſſe interdum ſola uti litera Λ. Quantopere gauderem, ſi quæ nunc aliquanto prolixius differui, Eruditis probari intelligerem!

Pæne oblitus ſum admonere, eſſe numum meum æreum, unde vel maxime commendari meretur. Nam qui hos typos præferunt, fere argentei ſunt. Aeneum tamen ſimilem, ſed attributis in area carentem, cum epigraphe ΛΟΚΡΩΝ jam exhibuit Geſſnerus e muſeo Conſ. Pfau, *s*) cui alterum paulo diverſum ex eodem metallo addidit laudatus Magnanus. *t*) Non ergo ſolita ſua uſus eſt Cl. Eckhel accuratione, qui hujus metalli & argumenti numos negavit exiſtere. *u*) Tales Vir eruditus poterat videre non modo Locrorum, ſed Tauromenii quoque Siciliæ urbis apud Dorvillium, *x*) Pellerinium, *y*) & Torre-

s) Tab. XXXIX. n. 31. *t*) L. c. Tab. 72. n. 11. *u*) L. c. pag. 128. *x*) In Sicul. vol. II. Tab. X. *y*) Rec. T. III. pl. CXI. n. 66.

remuzzam. z) Tauromenio etiam titulo numi argentei cum effigie Palladis & Pegaſi, quem Princeps Torremuzza edidit, *a*) dari locus debebat in catalogo Corinthi coloniarum, quæ id monetarum genus fabricarunt. TABVLA II.

INCERTVS ITALIAE NVMVS.

Caput muliebre eleganter ornatum.)(Eques dextra coronam ſuſtinens. Inſcriptio deleta.

AER. III.

Numus incertus. Magnæ Græciæ artificem olet fabrica. Equitem ſimili habitu decurrentem propoſuit Capua & Neapolis Campaniæ: Croton in Bruttiis eandem Deam, quam Junonem Laciniam putant. Nihil definio inſcriptione ita exeſa, ut cum Plautino Pſeudolo credam, „niſi Sibylla legerit, interpretari alium poteſſe neminem.„ Pellerinius in tribus ſui muſei numis, quoad averſam huic ſimillimis, legit ATINOS. *b*) Sed nihil inde ſubſidii; nam viri vel urbis nomen ſit, perinde incognitum. Scio Vaillantium Haymiumque hujus generis numos Familiæ Atiliæ: N. 3.

z) Agg. III. Tav. VI. n. XXVI. *a*) Agg. II. T. II. n. XXII.
b) Rec. T. I. pl. X. n. I.

TABVLA II. N. 3. liæ: Magnanum Atinæ Marſorum urbi tribuere, ſed falluntur. Fuit & Lucanorum Atina, cui pariter Magnanus *c*) æreum numum largitur, ex Arigonio *d*) ut ſuſpicor, mutuatum, qui nomen ATINAIΩN mentiebatur. Verum AITNAIΩN genuinam eſſe epigraphen, quovis pignore certare auſim. Confer eundem cum aliis Aetnenſibus, & rem velut manu palpabis. Id ne monere quidem attinebat, niſi a Frœlichio quoque Arigonianam Atinam autonomarum urbium catalogo inſertam vidiſſem.

SICILIA

AGRIGENTVM.

N. 4. AKPAΓANTINΩN. Caput Bacchi diademate revinctum: a tergo botrus.)(Aquila fulmini inſiſtens, pone K.

AER. II.

Solet aquilam in tritis Agrigenti numis plerumque pagurus, Ceres, vel Apollo comitari: in hoc ſocium habet Bacchum, tali formæ indulgentia conſpi-

c) Luc. Num. T. 32. n. 11. *d*) Inter Quadrantes T. X. n. 20.

ſpicuum, qualem adeo feliciter expreſſit, qui cecinit: Tabula II. N. 4.

Dum dubitat natura, marem faceretne puellam;
Factus es, o pulcer! pæne puella puer. *e*)

Et facit pro Baccho non modo racemus in area, ſed etiam diadema; ſiquidem Plinio teſte, „idem diadema, regum inſigne, & triumphum invenit„ *f*) Nil mirum, huic deo addictos fuiſſe Agrigentinos, quorum colles plurimo vini generoſi proventu luxuriabant, ut in vulgus notum. Neque ii tot ſeculorum intervallo mutavere ingenium, ſed hodieque tantum adfluunt vini, olei, frumenti, omniſque fructuum generis abundantia, ut iis conſpectis nobiliſſimus Baro Riedeſel exclamaverit:

- - - - Hic vivere vellem,
Oblituſque meorum, oblivifcendus & illis.

G E L A.

Caput Cereris vel Proſerpinæ: in area monogramma.)(ΓΕΛΩΙΩΝ. Spica. N. 5.

AER. III.

Sic

e) Anthol. vet. Lat. Poet. T. I. p. 688. *f*) Lib. VII. ſect. LVII.

Tabvla II. N. 5.

Sic fieri amat. Eruditi numos obtinent injuriis temporum male adfectos. Hic plurimorum errorum fons & origo. Exemplo eſt hic numus, cui adfinem Paruta vidit, *g*) ſed vitiatum, qua parte inſcriptionem prætulit. Quippe ΓΕΛΩΝΩΣ legere ſibi viſus, a Gelone rege ſignatum credidit. Noſter ΓΕΛΩΙΩΝ nomen perſpicue fatetur, unde ambas Gelam pertinere, citra dubium eſt. Eidem urbi reſtitui poſtulat alter numus argenteus, quem æque Gelo per nefas ſibi hactenus vindicavit. Una parte dimidius biformis fluvius, altera ſpica: inſcriptio ΓΕΛΩ. *h*) Pro Gela vadem agunt utriusque partis ſymbola. Fluvius cognominis in argenteis memoratæ urbis identidem recurrit jam toto, jam medio corpore. Ariſtam & noſter & Parutanus oſtentant, de quibus paulo ante. Habes ergo utrumque typum in certis Gelæ monetis; e contrario neutrum in iis, quas Gelonis eſſe conſtat. Quare nullus hæreo, quo minus mutilatam epigraphen ΓΕΛΩ confidenter ſuppleam ΓΕΛΩΙΩΝ; neutiquam vero ΓΕΛΩΝΩΣ, uti viſum eſt Parutæ.

Spi-

g) Sic Num. Tom. III. Tab. CXLIV. n. 7. *h*) Apud eundem l. c. n. 4.

Spica nitide congruit Virgilii Campis Gelois. Eos hodiedum diligenter coli, optimæque indolis frumentum gignere, teſtatur Ill. Baro Riedeſel, i) TABVLA II. N. 5.

Qui mores hominum multorum vidit, & urbes.

*

* *

Vir galeatus arietem immolans: infra literarum veſtigia.)(Equus currens: ſuperne aſtrum.

AER. I.

Corrigendi rurſum Paruta, k) editorque muſei Pembrok, l) qui ſimillimum anepigraphum Geloni tribuunt. Abſtergit ſphalma numus alter a doctiſſimo Principe Torremuzza vulgatus, m) qui hic juvenis, illic viri arietem mactantis imaginem objicit, expreſſo nomine ΓΕΛΩΙΩΝ. Cum hoc noſter epigraphe, licet jamjam fugiente, cum Parutano & Pembrokiano typis concordat, ceteroquin vernice, nitore ac elegantia conſpicuus.

i) Reiſe durch Sicilien. S. 61. k) L. c. Tab. CXLIV. n. 10. l) P. 2. Tab. 78. m) Agg. II. T. III. n. XXIV.

Tabvla II. N. 6.

ENTELA.

ΕΝΤΕΛΛΑΣ literis antiquiſſimæ formæ. Fluvius biformis: infra piſciculus.)(Mulier ad aram litans, ſiniſtra ut videtur, ſerpentem attinet.

ARG. III.

Septem granorum numulus ingentis ævi, raritatisque maximæ laudem meretur. Exc. Princeps Torremuzza, cui linearem ejus picturam Palermum transmiſi, nusquam a ſe deprehenſum reſpondit per totam Siciliam. Quem Paruta in ære expreſſit, *n*) ſenectute nimia laboraſſe oportet, ut ectypon oſtendit. Hinc ejus interpretatio tantam commentatoribus crucem fixit. Marco Majero deſcribitur hunc in modum: „ Mulier ante templi gradus alteriusve ædificii, cujus cortinam manu elevat, ſiniſtra baculum, e quo pendet rana, tenet, pluviæ ſignum. „ Havercampo videtur mulier rebus ad balnea ſpectantibus dans operam; ceu una de filiabus Cocali Siciliæ regis, quarum inſidiis periiſſe Minoa, Diodorus Siculus perhibet, cum in balneo æſtu plurimo circumfuſus, ſtatimque frigefactus fuiſſet. Nihil horum

n) Sic. Num. T. CXIV. n. I.

rum in meo numo. Mulier illa eſt Hygia ſalutis dea, pateram ignitæ aræ infundens, ſiniſtra, ut alias, ſerpentem ſtringens. Et ſane is typus belle reſpondet alteri parti, quam fluvius Hypſa, ſolita ſub imagine tauri ſemiviri occupat. Eodem modo Selinuntia pecunia tauriformem Hypſam cum Hygia maritat; *o*) atque in Himerenſi quodam marmore *p*) ſit Aeſculapio, Hygiæ patri, fluvioque Himeræ votum his verbis: TABVLA II. N. 6.

ΑΣΚΛΗΠΙΩ. ΚΑΙ. ΙΜΕΡ. ΠΟΤΑΜ.

Ο. ΔΑΜΟΣ. ΤΙΣ. ΝΙΣΙΣ.

ΣΟΤΗΡΣΙΝ.

Aeſculapio, & Imeræ fluvio
Populus Niſæ
Servatoribus.

Sic ope hujus numi difficultates omnes evaneſcunt. Literarum antiquiſſima forma. Duæ illæ inter pedes fluvii conſpicuæ, ſi ſunt Α & Σ, pervetuſtæ nimirum figuræ, ut ſuſpicor, plenum ΕΝΤΕΛΛΑΣ nomen conficiunt, ſi præcedentibus adnectantur. Siculorum Palæographiam inſigni eruditionis atque in-

o) Khell Adp. ad Geſſn. Tab. III. n. 7. & Torremuzza Agg. I. T. II. n. XIV. *p*) Sic. Inſcr. Claſ. I. n. XI.

TABULA II. N. 6.

genii laude digeſſit Exc. Princeps Torremuzza in opere præſtante, cui titulus: Siciliæ Inſcriptionum Nova Collectio &c. Urbs Stephano topographo ΕΝΤΕΛΛΑ ſcribitur, Diodoro ΕΝΤΕΛΛΑ, Plinio Entellini. Numi variant. Ejus rudera hodiedum viſuntur ad amnem Crimiſum.

MEGARA.

ΜΕΓΑ. Navis dimidia)(Tripus inter duos delphines.

AER. III.

Complures Megaræ nomine exſtitere urbes. Sex recenſet Stephanus Byzantius. Duarum numi ſuperant, Atticæ & Siculæ. At ſuos utrisque adjudicare, hoc opus, hic labor. Sunt, qui ΜΕΓΑΡΕΩΝ, ſunt qui ΜΕΓΑ inſcribunt. Utriusque generis varios, quos inter & hic, Pellerinius vulgavit, quibus addidit nonnullos una tantum ſyllaba ΜΕΓ & ΜΕ inſignitos. De poſtremis quidem judicium diſſimulo, quia prorſus incertum, non ſolum ad utram Megaram ſpectent, ſed an non ad aliam potius urbem, nomen a ΜΕΓ vel ΜΕ auſpicantem referri debeant. De illis, qui vel integrum ΜΕΓΑΡΕΩΝ, vel dimi-

dium

TABVLA II.

dium nomen ΜΕΓΑ exprimunt, mihi quidem ita viſum, ut hos in Siciliam, in Atticam illos removendos cenſeam. Præcipuum argumentum e ſymbolis repeto. ΜΕΓΑΡΕΩΝ inſcripti adpoſito interdum magiſtratu, fere Apollinem jactant, ac in averſa citharam, *q*) typos adludentes ad urbis incunabula. Erat enim ejus conditor Megarus ex mente quorundam filius Apollinis, a quo Alcathoum quoque in reſtaurandis urbis mœnibus adjutum fuiſſe perhibent. Cithara ut Apollini ſuapte connectitur; ita Megarenſibus Atticis peculiaris miraculi cauſa extitit. Narrat Pauſanias, *r*) in eorum arce ſtetiſſe lapidem, ſuper quo citharam depoſuit Apollo, quando muros molienti Alcathoo ſuam erat operam navaturus, eumque lapidem, addit, ab hoc tempore ſi forte calculo projecto fuiſſet tactus, ſimilem citharæ motæ ſonitum edidiſſe. Huc & Ovidius *s*) reſpexit, dum cecinit:

Regia turris erat vocalibus addita muris,
In quibus auratam proles Latonia fertur
Depoſuiſſe lyram. Saxo ſonus ejus inhæſit.

Sæ-

q) Pellerin Rec. T. I. pl. XXIII. n. 23. & 24. *r*) Att. lib. I. p. 101. *s*) Metam. L. VIII.

TABVLA II.

Sæpe illuc ſolita eſt aſcendere filia Niſi,
Et petere exiguo reſonantia ſaxa lapillo.

Ex quo nemo non videt, quam merito Megarenſes Græci citharam & Apollinem ſignaverint. Videbimus porro alterum ΜΕΓΑΡΕΩΝ numum autonomum cum argumentis omnino Atticis, quando regionem Atticam fuerimus ingreſſi, quo lectores remitto. Nunc ad eos tranſeo, qui truncatam inſcriptionem ΜΕΓΑ ſiſtunt, cujusmodi noſter eſt. Multum diſcriminis hos inter & priores. Artificium diſcrepat. Patriæ nomen ut in illis ſemper integrum, qui Atticos utrinque typos indubios præ ſe ferunt: ita in iis conſtanter prioribus tantum conceptum ſyllabis, quibus impreſſa talia ſigna ſunt, quæ pro Megarenſibus tam Atticis, quam Siculis perinde faciunt, uti naves, delphini &c. quod factum videri poſſit, ut dubiis ſignis ſaltem inſcriptionis diverſitas diverſarum urbium lectorem admoneat. Sed hæc leviora. Illud maximi ponderis, eſſe numos ΜΕΓΑ inſcriptos, quos Sicilia indubitato ſibi vindicat. Talis eſt a Pellerinio *t*) vulgatus, qui Apollinem, * ac in averſa præter memoratam epigraphen

* Erant Siculi Megarenſes Atticorum Coloni teſte Strabone atque Thucydide. Hinc communia, ut fit, utrisque numina & ſacra.

t) Rec. T. III. pl. CX. n. 50.

phen biformem taurum exhibet, fluvii ſymbolum, Siciliæ Græciæque magnæ ſolis uſurpatum populis. Cedo alterum cum epigraphe ΜΕΓΑ, quem ex indiciis æque certis Atticum arguere poſſis, & Nævii ſilicem ſecuiſti. Hæc cum ita ſint, numquid juſtum videtur, ut duce numo Pelleriniano, ceteros etiam in Siciliam transferamus, qui eidem inſcriptioni navem adſociant, atque in averſa duos delphines nunc metam, nunc tripodem ambientes, aliquando ſolos circum το ΜΕΓΑ laſcivientes, cujusmodi Arigonius *u*) neſcio cui Megalæ, & Burmannus *x*) haud felicius inſulæ Melitæ tribuit, cum nulla ſint in contrariam partem argumenta, quæ Megarenſibus in Attica tribuendos ſuadeant? Non eo inficias, delphines & naves, maritimæ urbis criteria, competere poſſe Atticæ Megaræ, cujus navale Niſæa decem & octo ſtadiis auctore Strabone, ſecundum Thucydiden octo tantum ab urbe diſtabat. Quin etiam novi *αριστευοντας ερετμοις*, remis præſtantes „ oppidanos Theocrito *y*) vocari. At neque erit, ut puto, qui negaverit hos typos eodem jure pertinere ad Me- TABVLA II.

ga-

u) Tab. xv. n. 146. *x*) Dorvil. Sic. Tab. xx. n. 6. *y*) Idyl. 1β. v. 28.

TABVLA II. garenſes Siculos, tam prope mari adſidentes, ut furentem Neptunum de mœnibus ſpectarent. Atque iſtud ſufficit. Cum enim alia deficiant momenta, quæ pro Atticis militent, ſint vero, quæ iis repugnent, differentia fabricæ, inſcriptio diverſa, denique Pellerinii moneta cum fluvio tauriformi & ΜΕΓΑ, quam Siculam eſſe certo certius conſtat, nonne ratio poſtulat, ut pari typorum conditione pro Siculis potius ſententiam feramus? Sed hæc faceſſant. Certiora docebit ætas. Operæ pretium erit inquirere, num id numorum genus in Sicilia effodi ſoleat; atque hoc negotium penes Viros eruditos eſto, qui Siculo cœlo fruuntur. Exinde maximam partem & opinionis meæ firmitas, & numorum iſtorum fatum dependet.

SYRACVSAE.

N. 7. Caput Apollinis laureatum.)(ΣΥΡΑΚ.... Mulier ore ſublimi, neglectisque capillis incedit, dextra tæniam, ſiniſtra tæniam & ramuſculum ferens: in area Α.

ARG. III.

Cre-

Tabvla II. N. 7.

Crederes deſuturam Syracuſiorum monetam, quam jure anecdotis accenſeas; tantus promulgatus jam eſt numerus a Golzio, Paruta, Havercampo, Dorvillio, Torremuzza, & aliis. Tamen hæc, quam in præſentia ſiſtimus, fugit omnium hactenus & oculos & ſolertiam. In averſa unam e Bacchis agnoſco. Produnt eam ſatis liquido ſublime caput, volitantes defluique ad humeros capilli, & peplum ob feſtinatum greſſum vento ſinuatum. Solent alias Bacchantes in gemmis, picturis, & anaglyphis marmoribus impetu longe vehementiore, ore multum hiante, rejecto capite, omniumque membrorum jactatione violenta decurrere. At noſtra modeſtius furit. Viam quidem urget, ut defluentes comæ, peplumque ſinuatum indicant, neque tamen furibunda jactatur. Atque hoc ipſum eſt, quod nobile Syracuſani artificis ingenium, ut perelegans numi fabrica ſummam in arte peritiam, præclare commendat. Faſciæ, quas Baccha gerit, ad diadema forte adludunt, quod Bacchum inveniſſe fabulæ narrant, ut ſupra obſervatum eſt ad numum Agrigenti. Aliquando & Victoria ſimiles tænias in Siculis numis ſuſtinet. Camarinæ duo argentei exiſtunt apud Princi-

G 2 pem

TABVLA II. N. 7.

pem Torremuzzam, z) in quorum uno Victoria ſingulis manibus tæniam, in altero tæniam, ac ramuſculum portat. Et Pauſanias refert, a) eam Victoriam, quam Jupiter Olympius in Elide dextra ſuſtentabat, æque ταινιαν obtuliſſe. Fuit hoc capitis ornamentum poteſtatis atque imperii ſymbolum; quapropter Pallas in vetere quadam pictura b) illud Paridi offert, veluti teſſeram obtinendæ per Aſiam ac Europam potentiæ ſummæ, ſi poſthabita Junone ac Venere, formæ æmulis, ſibi tanquam pulcerrimæ Eridos pomum adjudicaret. Heroum, atque Homeri ætate id ligamen vocabatur ϛεφανη, ſerius diadema. Eruditos miror, qui confidenter negant ejus uſum ante Alexandri Magni ævum, puta devictam Perſiam, in Græcia valuiſſe. Is error, ut fit, anſam alteri præbuit, ut crederent Gelonis, Hieronis I, Dionyſii Senioris, Agathoclis, & Hieronis II, Siciliæ regum, numos poſterioribus demum temporibus fuiſſe cuſos, quod regum illorum capita viderent eo ornamento revincta. Contrarium paucis, ſed eleganter adſeruit doctiſſimus Princeps Torremuzza. c)

So-

z) Agg. I. Tav. I. n. XV. & Agg. IV. T. VII. n. XV. a) Lib. V. cap. XI. p. 400. b) Winkelmann Mon. ant. n. 113. c) Sic. Inſcr. Nov. Coll. LIV.

Solitarium elementum A in area Syracuſanæ pecuniæ perſæpe occurrit. Transferendum videtur vel Agathoclis regis ad tempora, vel ad notas monetariorum. TABVLA II. N. 7.

*

* *

Tridens inter fulmen & literam A)(Pegaſus volans, ſub quo, ut videtur, litera Koph.

AER III.

Patriam hic numulus cælat. Sed præſto ſunt indicia certa, unde arguas Syracuſanum: primo Dorvillii *d*) numus non multum diſſimilis, qui Στρακοσιων primam ſyllabam tridenti conjungit; dein A frequens in ære Syracuſano, ut mox dictum eſt; tum vero, ſi recte video, litera Koph ſub pegaſo, alias in æreis quidem rarior, ſed tanto communior in argenteis numis cum Pallade & pegaſo, quos omnes perſuaſum habeo Syracuſis deberi. At hos oportet accuratius inquirere.

d) In Sicul. T. II. Tab. XIX.

TABVLA II.

ANIMADVERSIONES IN NVMOS ARGENTEOS MAIORIS FORMAE, QVI VNA PARTE GALEATVM PALLADIS CAPVT EXHIBENT, ALIA PEGASVM CVM LITERA Ϙ, SEV KOPH.

Non intempeſtivum, nec injucundum fore puto, ſi hic loci præfatos novo examini ſubjiciam numos, qui ut prodigioſo numero ſuppetunt: ita vagi hactenus errabant nunc per Siciliam, nunc per Iſthmum Corinthium, prout Eruditorum varia ferebat opinio. Golzius, & poſt eum Paruta Syracuſis eos intulit. At Pellerinius, cujus auctoritas ſumma eſt, Corinthum revocandos, literamque Ϙ ſeu Koph ejus urbis initialem exiſtimat. *e*) In ejus ſententiam pedibus conceſſit Cl. Eckhel, *f*) tametſi Virum eruditum minime ignorem ab eo tempore aut mentem omnino mutaſſe, aut ſaltem hærere ancipitem. Non is ſum ego, qui auſim litis arbitrum agere, aut erroris inſimulare Viros, quorum nominibus ſemper adſurgo. Id tantum ago, ut meam hoc loco ſententiam exponam, & quibus poſſim argumentis graviſſimis ſtabiliam. Itaque ſtatuo, controverſos numos, inſignes Pallade ac Pegaſo, literaque ſubſcripta Koph, Corinthum metropolim quidem reſpicere ſpe-

e) Rec. T. I. p. 89. & 112. item Rec. T. III. p. 110. *f*) Num. vet. p. 121. & 127.

ſpectatis utrinque typis, reipſa vero Syracuſis in Sicilia ſignatos fuiſſe, Corinthi colonia. Cauſæ & momenta, cur ita ſentiam, hæc ſunt. TABULA II.

Exc. Princeps Torremuzza ſupplemento tertio ad Parutam *g*) teſtatur (& quis hoc teſte gravior) ingentem & prorſus ſtupendam vim talium numorum quotidie per omnem Siciliam erui; idque ſæpius ac iterum confirmat pluribus ad me datis epiſtolis. Ibi ergo domeſticos eſſe, prona eſt facilisque illatio. Hoc argumentum plurimum valet in eruendis definiendisque numis, de quorum patria Numismatologi

certant, & adhuc ſub judice lis eſt.

Momentum alterum pro Sicilia, & nobiliſſima ejus urbe inde peto, quod in numis cum iisdem typis, loco elementi Koph, ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ nomen legatur, quibus omnia muſea redundant. Illud autem maximi ponderis, exſtare non paucos, qui vetere Koph pro Græcorum Kappa utantur in exprimendo Syracuſarum nomine. Sunt hi antiquiſſimi, argentei, magnæ formæ, ac inſcripti ΣΥΡΑϘΟΣΙΟΝ, characteribus ultimam vetuſtatem olentibus. Ejusmodi duos Paruta ſubminiſtrat in Sicilia Numismatica, *h*) Bege-

g) P. 197. *h*) N. 10. & 181.

TABVLA II. gerus totidem in Theſauro Brandeburgico, *i*) unum muſeum Meadianum Londini, *k*) & Pellerinianum, *l*) & ne longius per exoticos Lares vagemur, talem item cimeliarchium Cæſareum Vindobonenſe, vulgatum pridem a M. Aegyptio, *m*) atque in hoc præſtantiorem ceteris, quod dimidiatum urbis nomen in averſa repetat. Ex his numis perſpicue diſcimus, τȣ ϙ uſum ab antiquiſſimis temporibus fuiſſe Syracuſanis familiarem, ut in Italia Crotoniatis. E contrario nec unica offenditur Corinthiorum indubia moneta, hoc inſignis charactere; quam enim Haymius *n*) produxit cum Achæorum monogrammate, literisque per aream ſolitariis ϘOPNM, minime conſtat Corinthi ſignatam. Nec Bayerum audio, qui ſiglis iis tres ſimul urbes diverſas, Corinthum, Naupliam, & Megalopolim deſignari cenſet. *o*) Vir ceterum doctrina inſignis in explicandis Achæorum numis Harduiniſmo nimium indulget, operamque perdit, dum e ſingulis in area literis & ſiglis, quibus magiſtratus veroſimiliter indicantur, neſcio quot & quas urbes elicere adlaborat. Unicus numus eſt, a Pellerinio vulgatus, &

i) Tom. I. p. 384. *k*) p. 36. *l*) Addit. aux neufs Vol. p. 26. *m*) Senatus conſulti de Bacch. Expl. p. 181. *n*) Theſ. Brit. T. II. Tab. XII. n. 2. Ed. Vind. *o*) Comment. Petrop. Tom. V. p. 372.

TABVLA II.

p) & viſus a me aliquoties in noſtratibus muſeis, qui aliquid negotii faceſſere poſſit. Typi ſoliti Palladis & pegaſi cum Koph, ſed additur Palladis vultui ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ. A Seneca memoriæ proditum, Alexandrum Magnum civitate donatum fuiſſe a Corinthiis. Inde colligit Pellerinius, hunc numum ab iisdem flatum, regisque tanquam principis eorum magiſtratus nomen adjectum. Non denego Senecæ fidem. Nihilo minus immobilis pro Sicilia perſiſto, propterea quod etiam in hac inſula Alexandrum Magnum obſervatum reperiam. Illuſtre hujus rei teſtimonium Juſtinus perhibet, *q*) enumerans varias inter gentes, quarum legati eum regem Babyloniæ opperiebantur, & Siculos. Unde inſolens videri non debet, Alexandrum in Syracuſana pecunia memorari, tanto minus quod fuerint vicinæ Italiæ urbes, e. g. Nuceria Alfaterna, quæ adeo vultum ejus regis in argento cælaverint, ut creditum aliquibus multi nominis Literatis. Nimirum (verba ſunt Juſtini) „ adeo univerſum terrarum orbem nominis ejus terror invaſerat, ut cunctæ gentes velut deſtinato ſibi regi adularentur. „ Hæc tamen iis ſolummodo dicta ſunto, qui ab Alexandro Magno nulla ſe vi dimove-

p) Rec. T. I. pl. XVII. n. 14. *q*) Lib. XII. cap. 13.

Tabvla II.

veri patiuntur. Mihi quidem ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ille neutiquam rex Macedonum, ſed magiſtratus Syracuſanus vero propius videtur. Quod ſi non fallit, omnis difficultas ſubito diffugit. Lego ΕΠΙ. ΕΛΟ. ΚΛΕ. ΝΥΣ. in ſimillimis numis pone caput Palladis, quæ magiſtratuum ſi non ſunt nomina, ænigmata ſunt. Quid quod exploratæ Syracuſarum monetæ plene perſcribant ΚΙΜΩΝ. ΛΕΥΚΑΣΠΙΣ &c. utique magiſtratus? Nec deſunt aliæ urbes, quæ Alexandros nominent. Inſcribitur ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ drachmæ Dyrrhachenæ mei muſei: ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ monetis inſulæ Siphni. Num erit, qui Magnum Alexandrum & his in numis requirat? Nihil proinde Pellerinianus cauſæ noſtræ officit. Quin eſſe Syracuſanum, æque ac reliquos ejus generis cum iisdem typis & Koph, ut e præcedentibus rationibus eluceſcit: ita ex iis, quas modo ſubtexere pergo, evidenter emerget.

Diximus & exemplis probavimus, elementum Koph jam antiquitus Syracuſanis placuiſſe. Illud amplius, litemque meo quidem judicio tantum non dirimit, ſuppetere numos, quorum antica ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ nomen referat, averſa Koph. Talem inſignis præſtan-

ſtantiæ Princeps Torremuzza edidit, *r*) una parte pereleganti muliebri capite conſignatum, alia pegaſo. Hujus numi non ille meminerit, qui adſeruit „indubitatum, omnes eos Corinthum reſcribendos, qui literam antiquam Koph impreſſam habent.„ Gravioris adhuc ponderis eſt numus argenteus muſei Meadiani *s*) ſic deſcriptus: ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ. Caput Palladis galeatum. ☾ Ϙ Pegaſus. Addo ſæpe laudati, ſed nunquam ſatis laudandi Principis Torremuzzæ auctoritatem, qui in epiſtola Kal. Maji MDCCLXXVI ad me data ſcribit: „Neque in uno tantum cum eadem literæ Koph figura ſcriptum inveni ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ.„ An pluribus opus? Habes apertum & plenum populi nomen conjunctum alterius partis elemento Koph. Habes (quod ad præſens inſtitutum inprimis facit) Meadiano in numo eadem prorſus ſigna, quæ offerunt ii, quorum patriam inquirimus, ne metallo quidem diverſo. Quid ultra deſideras? TABVLA II.

Hæc quamvis ſufficere poſſint comprobandæ ſententiæ noſtræ, tamen juvat paucis item diſpicere, an etiam typi, & occurrentia per aream attributa

H 2 quo-

r) Agg. III. Tav. VI. n. XXIV. *s*) p. 36.

Tabula II.

quorumdam numorum, quibus impreſſum vetus Koph, rei noſtræ faveant. Et præclare favere, conficiam iis ipſis numis, quibus contrariæ ſententiæ patroni in rem ſuam uſi ſunt. Apud Pellerinium *t)* minimæ formæ argenteum videas, cujus unam partem implet muliebris protome, alteram dimidius equus marinus, ſub quo Ϙ. Editor acutus & perſpicax præclare advertit, marinum equum in ære Corinthio nondum comparuiſſe, eoque nomine monetam ſuam ſingularem laudat. Enimvero id ipſum animal in Corinthia pecunia nunquam, in Syracuſana vero ad nauſeam usque rediens, Illuſtrem Auctorem commonefacere debebat, eum numum nullatenus Corinthium eſſe, ſed utique Syracuſanum.

Alius argenteus muſei Cæſarei, præter conſueta utriusque partis argumenta & Koph, per aream ſiſtit Jovem fulmine armatum, fontemque leonis e rictu manantem. *u)* Hæc attributa in Iſthmum Corinthium invitare videntur, ſuffragante Pauſania, qui tria Jovis ſigna, luculentamque perennium aquarum copiam Corinthi fuiſſe perhibet. Verum aut fallor vehementer, aut Jupiter, & leo fontem eructans vel ma-

t) II. Suppl. Pl. VIII. n. 10. *u)* Eckhel Num. vet. T. VIII. n. 12.

maxime pro Syracuſis militant. Jove nihil frequentius in earum ære, & merito; magnifico quippe templo in Acradina, nobiliſſima parte urbis, ab Hierone Juniore donatus fuit. Stetit porro trans flumen Anapum prope Syracuſas oppidulum, cui nomen Olympicum, a templo Jovis Olympii, cujus mentio a Thucydide, Diodoro, Plutarcho, Livio, aliisque facta. Conſtat præterea ſtatuam auream a civibus, everſa tyrannide, libertateque reſtituta, Jovi Eleutherio ſeu Liberatori fuiſſe dedicatam. Tabvla II.

Quid fontes memorem? Hos qui Syracuſis quærit, næ is in medio mari quærat undas. Cui veterum non dicta Arethuſa, cujus belliſſima effigies, nomenque ΑΡΕΘΟΣΑ proponitur in eleganti Syracuſio numo apud Exc. Principem Torremuzzam? *x*) Quis Cyanen ignorat profunditate celebrem, illuſtrem Ovidii & Claudiani carminibus? At nihil illuſtrius Plinii loco *y*) ubi præcipuas urbis aquas ita complectitur: „ Syracuſæ cum fonte Arethuſa. Quamquam & Temenitis, & Archidemia, & Magæa, & Cyane, & Milichie fontes in Syracuſano potantur agro. „ En integram Nympharum catervam. Adve-

x) Agg. II. T. IV. n. XXI. *y*) Lib. III. Sect. XIV.

TABVLA II. verto præterea leonis rictum, quem in exornandis fontibus amabant veteres, ſpeciatim & Siculis adriſiſſe, ut numi probant. Fuit Himera calidis lavacris inclyta, ut vulgo notum. Hinc in argento præter ſuum genium, expreſſit hominem nudum, aliquando Satyrum, qui ſuppoſito corpore ſalubres aquas excipiunt. Aquæ iſtæ e leonis faucibus perpetuo profluunt. z)

Sed illud inprimis jucundum accidit, videre fontem ſimiliter effictum in ipſis adeo ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ monetis. Ejusmodi argenteam bene magnam Pellerinius prodidit. *a*) Antica parte ſpicis ornata dea inter delphinos colludentes cernitur: juxta deæ collum leonis rictus aquas evomens. Arethuſam in hac, & in Cæſarea prædicta notari libenter crediderim, quod hic fons non modo eorum, quos Syracuſani bibebant, ſed omnium in orbe terrarum longe fuerit clariſſimus.

At quid, inquies, Chimæræ Bellerophonteæ fiet, quæ in altero id genus numo, quondam Granel-

z) Pellerin Rec. T. III. pl. CIX. n. 31. Torremuzza Agg. IV. T. VIII. n. I. *a*) Rec. T. III. pl. CXI. n. 64.

TABVLA II.

nelliani, nunc Cæſarei muſei, *b*) ad Palladem excubat? Hæc certe „ fabula cum Corintho penitus connectitur, & in numis, quibus Corinthus colonia inſcribitur, obvius typus eſt. „ Me quidem Chimæra iſthæc nihil terret. Vidi, & quisque facile videre poterit in hoc obvio pecuniæ genere, pone caput Palladis, diverſiſſima habitare animalia, noctuas, aquilas, canes &c. Quid iis omnibus facias? Hæcne Corintho item connectes? Minime quidem. Erit ergo ad notas magiſtratuum confugiendum, ut moleſtam turbam quantocyus ſubmoveas. Idem conſultius fortaſſis erat, de Chimæra Palladi ſociata ſtatuere. Sed demus, beſtiam in eo numo Corinthum reſpicere. Quid tum? Illud denique, Syracuſanos hoc etiam attributo Corinthiam originem indicare voluiſſe, perinde ac pegaſo, Corinthiis non minus proprio. Quis neſcit coloniarum morem communem, quibus ſanctum patriæ majoris uti ſymbolis? Profecto Leucadii Acarnaniæ adhuc diſertius Corinthios natales profeſſi ſunt, qui non modo Chimæram ſignabant, ita ut partem unam ſola occupet, quæ Syracuſano in numo tantum attributi locum in area tenet, verum & ipſum Bellerophontem pegaſo vectum

b) Eckhel Num. vet. T. VIII. n. II.

TABVLA II.

ctum ex altera parte addebant, *c*) quos ita conjunctos typos verius dixeris Corintho peculiares. Neque illud tacendum, Siphnios Seriphiosque maris Aegæi ejusdem monſtri typum adoptaſſe, cujus quidem ratio nondum omnino perſpecta. Tam arcte nimirum, ſi Superis placet, Chimæræ fabula Corintho connectitur.

Vidimus nitidiſſime Syracuſanis competere ea ipſa ſigna quæ aliis facere pro Corinthiis videbantur. Nunc ſi luberet attributis inſiſtere, nonnulla citare poſſem & ego, quæ contrariæ ſententiæ fautores non tam facile cum Corintho componerent. Ejus generis delphini forent galeatum Palladis caput ambientes, qui apud Corinthios nunquam, ſæpiſſime apud Syracuſanos circum eandem deam laſciviunt. Sed nolo prolixior eſſe. Niſi enim Muſæ me omnes oderint peſſime, ſatis ſuperque mihi jam videor demonſtraſſe, numos univerſos, quibus inſcriptum elementum Koph, ex Iſthmo Corinthio in Siciliam eſſe transferendos. Complures Hieronem primum aut ſecundum, Siciliæ regem, ætate contingere inde colligo, quod nonnulli ΙΕΡΩΝΟΣ nomen ſubtus pegaſo refe-

c) Pellerin IV, Suppl. pl. III. n. 3.

ferant. Talem publici juris fecit Dorvillius, *d*) ac Ill. Ludovicus Dutens Anglus *e*) orbi literato notiſſimus, mihique ſumma voluptate ſæpe coram compellatus, dum Vindobonæ deverteret. TABVLA II.

NVMVS SICVLVS INCERTAE VRBIS.

N. 9.

Duo delphini, & tres globuli.)(Quadratum incuſum

ARG. III.

Argenteus minutus & levis, ſed tanto gravior annorum pondere. Ejus cauſa rogatus a me Princeps Torremuzza, cujus literarum commercio & glorior & delector, reſpondit bis terque abs ſe viſum in Sicilia, verum ſemper anepigraphum. E delphinis parum aut nihil opis. Geminos circum epigraphen ΜΕΓΑ ludentes deprehendimus in duobus Megarenſium numis, de quibus ſupra.

NV-

d) In Sicul. Tom. II. Tab. XVI. *e*) Expl. de Méd. Gr. & Phén. ſeconde edit. pl. I. n. 3.

NVMI POENORVM SICVLI.

TABVLA II. N. 10. Caput equi: per aream tria puncta.)(Palma.

AVR. III.

*
* *

N. 11. Caput Proſerpinæ vel Cereris tribus delphinis circumdatum.)(Caput equi & palma: ſubtus duæ literæ Punicæ.

ARG. I.

Aureum nomismation granorum xv. Artificii tamen ac elegantiæ conſummatæ. Carthagini ſimillimum addixit Reverendiſſimus Dominus Bayer *f*) magnum in republica literaria nomen. Ego vero ut Carthaginienſium opus agnoſco, ſic ab iisdem Panormi, in Sicilia quidem certo ſtatum exiſtimo. Ejus inſulæ teſtes tria per aream puncta ſeu globuli, obvii in Sicula moneta, quibus pretium vel pondus indicatur. Panormus autem Siciliæ Punicæ caput erat. Talem numulum Paruta quoque vidit, ſed unciarum notis deſtitutum.

Etiam argenteus miræ pulcritudinis. Panormum, an Menas in Sicilia ſpectent ſimiles tetradrachmi,

f) Del Alfabeto y Lengua de los Fenices p. 367.

chmi, Phæniciis, aut verius Punicis literis conſignati, quales in auctoris muſeo plures latent, non convenit inter eos, qui interpretandis Phænicum, Pœnorumque monumentis ſedulo vacant. Ludov. Dutens *g*) omnis in hoc eſt, ut numos illos contra Swintonum pro Menis ſtantem Panormo vindicet, ſuamque argumentis, ſi quid video, validiſſimis communit ſententiam. Idem varios id genus tetradrachmos æreis formis exhibet, omnes ſolita ſub equo inſcriptione Punica inſignes, quam legunt AM. MAHANOTH. Populus caſtrorum.„ Unicum ex iis reperias, qui ſolam literam Mem ſub equo ſiſtit, *h*) initialem vocis MAHANOTH. caſtra „ ut cenſet laudatus Auctor. Noſter τῷ Mem alteram literam ſubjicit, non multo abſimilem, diverſam tamen. Hæc miſere vexata ab Eruditis, aliis He, aliis Mem, aliis denique Schin opinantibus. Litem diſputatam vide inter Barthelemyum, *i*) Swintonum, *k*) & Bayerum. *l*) TABVLA II. N. II.

NVMI ROMANORVM SICVLI.

N. 12.

Martis barbati galeatum caput.)(ROMANO. poſtrema litera fugiente. Pars anterior equi generoſi, & freno coerciti. ARG. III.

 Ejus-

g) Paléogr. Num. p. 207. *h*) L. c. pl. II. n. I. *i*) Mem. des Inſcr. T. XXX. & Lettre à M. le Marquis Olivieri p. 18. ſqq. *k*) Tranſact. Philoſoph. T. LIV. *l*) L. c. p. 355. ſqq.


TABVLA II. N. 12.

Ejuſmodi numos non Romæ, ſed in Sicilia, & Græcia Magna conſpexiſſe lucem, noverunt pridem, quos æquus amavit Juppiter. Perſuadent iſtud fabrica, typi, & commiſſæ quibusdam unciarum notæ, qualem Golzius exhibuit. *m*) Adde, copioſos prædictis in terris effodi. Sed enim decernere, quæ Siciliæ, quæ Magnæ Græciæ genitales eorum urbes ſint, hic nodus. Varia eorum ſymbola, variæ item inſcriptiones. In aliis ROMANO, id eſt ROMANOrum legitur, in aliis ROMA. Typi: caput Herculis, Martis, Palladis, Apollinis, Cereris; averſa parte Lupa cum Romulo & Remo, Victoria ſertum palmæ ramo adnectens, equus vel integer vel dimidius, leo, canis. ΡΩΜΑΙΩΝ æreus cum Apollinis vultu, & imagine fluvii, Neapoli ſupra fuit feliciter adſertus. Faciamus periculum, an pari argenteum, quem hic deſcripſimus, certitudine definire liceat. Ad comparationem numorum cum numis, tanquam ad ſacram anchoram, de more confugio. Hoc medio in difficultatibus numiſmaticis nihil antiquius, nihil utilius.

Vi-

m) In M. Græcia T. XVIII. n. IIII.

Video apud Golzium *n*) Dionyſii Senioris monetam auream huic tam ſimilem, ut nihil magis. En ejus imaginem. Tabula II. N. 12.



Diſcriminis, ut vides, nihil eſt, niſi quod Golziana, quo loco mea ROMANO inſcribit, ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ nomen ſubſtituat, & porro triquetra, ac elemento Σ per aream abundet. Eadem proinde utriſque patria. Sed enim Golzianam, a qua meæ monetæ fatum dependet, ad Syracuſanum ærarium ſpectare, probari non indiget. Erat Dionyſius, ut nemo ignorat, Syracuſarum tyrannus; ibidem ergo ejus nomine ſignata pecunia ſit oportet. Ad hæc triquetra Siciliam, ut litera Σ Syracuſas, veroſimiliter indicat. Ex quo fit, ut ſententia mea ſat firma conſiſteret, etiam ſi foret, qui Golzium in legendo numo de-

n) Sicil. T. XIIII. n. II.

TABVLA II. N. 12.

deceptum, & ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ pro ROMANO obtruſiſſe ſuſpicaretur; nam vel ſola per aream attributa, ut diximus, ſatis diſerte pro Syracuſis faciunt. Novas ſuppetias fert altera ejusdem urbis moneta argentea, quæ in theſauro Brandeburgico reconditur. *o*) Ejus partem anticam, quæ ſola in rem præſentem conducit, eruditi lectoris oculis rurſum ſubjicio.

Æ



Videsne ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ adſcriptum nomen circa Martis effigiem, cujus omnes oris ductus, & barba hiſpida, & galeæ forma adeo conſpirant cum noſtri numi Marte, ut idem ſcalptor utrumque videatur cælaſſe? Ita negotium duorum numorum teſtimonio confectum arbitror. Num ceteri quoque omnes cum epigraphe ROMANO Syracuſis flati ſint, id quamvis non improbabile putem, tamen adfirmare non auſim. Her-

o) Beger. T. I. p. 381.

Hercules, Pallas, Ceres, equus, leo &c. familiares Syracuſanis typi, ſed nec aliis Siciliæ, Græciæque Italicæ populis infrequentes. Campaniæ urbes, aut quæ eam attingunt, Cales, Sueſa, Teanum Sidicinum, Pæſtum & Aquinum parem ſcribendi nominis rationem tenuere, ut obvii earum numi teſtantur cum epigraphe CALENO. SVESANO. TIANO. PAISTANO. AQVINO. quorum ætas in ea demum tempora incidit, quando illæ urbes jam municipia factæ ſunt a Romanis, & aliquali adhuc libertatis ſpecie gaudebant. ΡΩΜΑΙΩΝ græcam monetam in principe Campaniæ urbe Neapoli ſignatam oſtendimus. Neque deſunt Siculæ urbes, quæ græcum Romanorum nomen ſociavere ſuo. In numis Catanæ apud Dorvillium ΡΩΜΑΝΟΣ, Mamerti ΡΩΜΑΝΟΥ legitur. *p*) Itaque nolim temere ſtatuere, univerſos cum inſcriptione ROMANO Syracuſis fuiſſe cuſos, nullos in aliis Siciliæ, vel Magnæ Græciæ civitatibus. Mihi ſufficit, inſtituta numorum contentione probaſſe, ſaltem eorum aliquos, in ſpecie hunc, cujus ectypon propoſui, e Syracuſana officina prodiviſſe. Quibus inde prodierint temporibus, quave occaſione, aliquo modo definiri poteſt. Quis enim tam omnis antiquitatis expers,

TABVLA II. N. 12.

p) Tab. III. & IV.

TABVLA II. N. 12.

pers, qui neſciat graviſſima, diuturnaque Romanorum cum Carthaginienſibus bella, quorum cauſa & theatrum potiſſimum Sicilia fuit? Tum ergo a belligerantibus in ea inſula procuſi numi, in uſus nempe uſos, militumque ſtipendia, a Romanis Romani Populi nomine: a Pœnis Punicis literis & ſymbolis, cujusmodi aureum atque argenteum paulo ante produximus. Tam Romanos, quam Pœnos ſcalptoribus Græcis, nimirum Siculis indigenis, fuiſſe uſos in fabricandis hiſce numis, & ſuapte intelligitur, & fabrica ſuadet elegantiſſima, quæ Siciliæ monetas tantopere commendat.

Hæc de patria, nunc de protome numi noſtri, quam Martis eſſe diximus.

Recte ſane, atque eleganter ab Eruditis obſervatum, comparere Martem in veterum monumentis fere juvenili ætate, virente robore, vultuque imberbi. At iſtud a veritate multum abhorret, quod nonnullis viſum eſt, eundem ſemper hac forma videri. Caſanovam plus ceteris miror, qui Martem expreſſis verbis negat barbatum in numis conſpici, *q*) pro-

q) Dænkmæler der Kunſt. S. 10.

propterea quod virum eruditiſſimum ſatis copioſam numismatum collectionem habuiſſe noverim. Ut Lucanos *r*) taceam, ut Metapontinos, *s*) Petelinos *t*) aliosque Italiæ populos, quibus Mars ſenio gravis colebatur, frequentes tritique ſunt numi ærei communi gentis Bruttiæ nomine cuſi, qui una parte barbati Martis effigiem, altera comites ejus, Victoriam tropæo adſiſtentem, vel Bellonam gradivam exhibent. Quid dicam de Romanis denariis, in quibus MARS VLTOR & ADSERTOR *u*) toties barbatus fingitur? Tam obvios numos non potuit, aut certe ignorare non debuit Cl. Caſanova. Syracuſanos quod attinet, conſtat impenſius fuiſſe Marti addictos. Fuere nimirum viri fortes, manu promti, maximasque terra, marique bellorum moles nunc adverſus tyrannos, nunc omnem rempublicam Carthaginienſem ſuſtinuere. Non poſſum, quin illuſtrem Pindari locum huc inſeram, qui ob militarem oppidanorum gloriam Martem ipſas habitaſſe Syracuſas fingit:

TABVLA II. N. 12.

ΜΕ-

r) Magnan Lucania Num. T. 3. *s*) Beger Th. Brand. T. I. p. 328. *t*) Pellerin Rec. I. pl. VIII. n. 35. *u*) Morellii Theſ. Fam. Rom. inter incerta. Tab. 2. n. N. V. P. Q. item T. 4. n. 1.

TABVLA II. N. 12.

μεγαλοπολιες ω Συρα-
κοσαι, βαθυπολεμȣ
τεμενος Αρεος, ανδρων
ιππων τε σιδαροχαρμαν
δαιμονιαι τροφοι.

„ O magna urbs Syracuſæ, bellicoſi templum Martis, virorum equorumque ferro armatorum divina nutrix! „ *x*)

Turbare non debet, ſubinde Martem & *αγενειον* in hujus urbis monetis occurrere. Ut Italiæ gentibus inſiſtam, Herculem Bruttii, Metapontini Bacchum, Poſidoneatæ Neptunum, Vulcanum Aeſernini ac Liparæi & imberbem & barbatum in ære ſignarunt. Quid plura? Ipſum Apollinem, cujus æternam juventam ſic nitide Ovidius exprimit:

- - Ipſe puer ſemper, juveniſque videris,
Et media eſt ætas inter utrumque tibi.

Alæſa Siciliæ grandævum, barbaque inſtructum prolixa coluit, teſtibus numis, quos Exc. Princeps Torremuzza vulgavit in Alæſæ hiſtoria, & in ſupplemen-

x) Pyth. 11.

mentis ad Parutam. *y*) Quis veteris ſuperſtitionis componat deliria? Tabula II. N. 12.

Neque vero Mars ſola in Italia barbam aluit, ſed aliis etiam in terris, quemadmodum in Ponto Aſiatico, ubi ejus & Bellonæ ſummi fuere honores. Ejus adſerti invictum argumentum præbet numus Pimoliſorum Ponti Galatici apud Pellerinium, *z*) in quo galea, ut ſolet, contectus, provecta ætate, barbæque majeſtate verendus adeſt; tametſi, ut quod res eſt, fatear, Pimolis Ponticarum urbium ſola ſit, quæ Mavortem ſeniculum finxerit. Ceteræ omnes, Amaſea, Amiſus, Laodicea, Miletus, Sinope, Gaziura, Chabactus, juvenem propoſuere. Quæ res Literatos, qui in hoc Ponticæ pecuniæ genus commentati ſunt, in fraudem induxit, ut paſſim cum Pallade Martem confunderent, quod item alias ſæpiſſime factum adverti. Nullus omnino Palladi locus in prædictarum urbium numis, quorum averſæ partes continuo pharetram offerunt. Martem omnia loquuntur, caſſidis forma, curti capilli (hi Palladi plerumque largius ſub galea ad humeros defluunt) facies juvenilis, maſcula

K 2 ta-

y) Tav. I. n. X. & T. VII. n. VIII. *z*) Rec. T. II. pl. XXXIX. n. 8.

TABVLA II. N. 12. tamen, ampliorque, & collum aliquanto largius, ut in Herculis προτομαις, quo roboris vis innuitur. Sed & poſticæ partis pharetra, ſeu telorum theca cum loro pendulo, eidem bene convenit, apteque jungitur. Exſtat apud Pellerinium *a*) Proſtannæ Piſidiæ urbis numus, in quo bellicum illud inſtrumentum Mars dextra gerit. Contra Palladis imago toto cælo diſcrepat in Pontico ære, armaturque tali conſtanter galea, quali gaudet in Athenarum tetradrachmis, atque identidem cum Perſeo Meduſæ percuſſore componitur, quem in perdifficili illa contra Gorgonas expeditione conſilio ac ope juvit. Id non inutile fuerit accuratius monuiſſe, quod ad hunc lapidem nuper adhuc non nemo offenderit in deſcriptione numi Amaſeæ, urbis in Ponto.

MELITA INSVLA.

N. 13. Caput muliebre velatum)(MELITAS. Tripus.

AER. III.

Melitæ numi Punici necdum certi habentur. Græce pene omnes, pauciſſimi latine loquuntur. Bilin-

a) Rec. T. III. pl. CXXXVI. n. 6.

linguem rariſſimum Pellerinius protulit. Latinus noſter cuſus, quo tempore ea inſula Romanis obnoxia fuit, ab artifice tamen græco, ut prodit inſcriptio MELITAS ad dialectum Doricam compoſita. Apud Abelam & Parutam adfinem videris. Uterque MEΛITAS legit, quæ lectio ſi ſibi conſtat, adhuc apertius græcum monetarium prodit. Hactenus detecti ex ære omnes, præter unum argenteum Golzianum, *b*) utrinque Herculis imagine inſignem, ſed fidei ſuſpectæ, quod nemini alteri, niſi ſoli Golzio viſus ſit ad hæc usque tempora. Anepigraphum ſubæratum magnæ formæ, quem inter Melitenſes recenſet Catalogus numorum veterum Lipſiæ typis editus anno MDCCLXXIV. *c*) mallem Camarinam in Sicilia reſcribere, cujus argentei numi ſuperant omnino ſimiles. *d*) TABVLA II. N. 13.

Caput velatum Abela Veſtæ, Havercampus Cereris, ego Junonis exiſtimo. Hujus in promontorio fanum ſtetit antiquum, „ quod teſte Cicerone, *e*) tanta religione ſemper fuit, ut non modo illis Punicis bellis, quæ in his fere locis navali copia

b) Græc. inſ. T. XXVIII. n. III. *c*) Catalogue raiſonné d'une Collection de Médailles. 4to. p. 57. *d*) Pellerin Rec. III. pl. CX. n. 33. & 34. *e*) In Verrem lib. IV. cap. XLVI.

TABVLA II. N. 13. geſta atque verſata ſunt, ſed etiam in hac prædonum multitudine ſemper inviolatum, ſanctumque fuerit. „ Credibile, Junonis ſimulacrum in eo templo fuiſſe velatum, ex quo imago in numis petita. Velatam Junonem porro exhibent ſtatua Muſei Capitolini, *f*) & duo anaglypha marmora inter Bartoli Admiranda. *g*)

GRAE-

f) Tom. III. Tav. V. *g*) Tab. 46. & 48.

GRAECIA EVROPAEA.

Conſcenſa Maſſiliæ navi, in Italiam fuimus ventis ſecundis delati, qua cum inſulis adjacentibus luſtrata, juvat nunc per univerſam Europæ Græciam excurrere. A ſeptemtrionibus progreſſus, per Cherſoneſum Tauricam, Daciam, Mœſiam, Thraciam, Macedoniam, finitimasque provincias vagabor, brevius diutius jam hic, jam illic commoraturus, prout negotia numismatica tulerint. Poſtea ʽΕΛΛΑΔΑ ſeu Græciam propriam adibo, Acarnaniam, Oram Joniam, Atticam, Bœotiam, Peloponneſum, & mare Aegæum, tandemque poſt difficiles per mare, per terras labores ſubſiſtam in inſula Teno, Cycladum una, ratem refecturus expeditioni Aſiaticæ, ſi Superi conatibus adſpirent.

CHERSONESVS TAVRICA.

PANTICAPAEVM.

Panos effigies acutis arrectisque auribus.)(ΠΑΝ. Caput bovis. — Tabula III. N. 1.

ARG. III.

Pri-

Tabvla III. N. I.

Primus fuit Motraye, qui Panticapæi numum æreum cum epigraphe ΠΑΝΤΙ· agnovit, *h*) quem Caffæ, olim Theodoſiæ, emtum abs ſe teſtatur. Non ita recte judicavit Illuſtris Vir de geminis aliis ejusdem urbis numis, *i*) ΠΑΝ inſcriptis, quorum alter argenteus, æreus alter eſt; quippe ambos Panormo tribuit. Offendere pedem ad eundem lapidem omnes ante Pellerinium Literati, qui ſimiles prodidere monetas, Spanhemius, *k*) Begerus, *l*) Montfauconius, *m*) Paruta, *n*) Burmannus *o*) Theupoli. *p*) Ab auctore muſei Pembrok *q*) Atabyrium revocatur ærea, quæ ſolas literas ΠΑ monogrammate colligatas gryphi adſcribit. Verum & hæc Panticapæo reſtitui debet. Exſtant aurei quoque hujus urbis numi cum apud Comitem Pembrok, *r*) tum apud Pellerinium. *s*) Huic uni octo ΠΑΝΤΙΚΑΠΑΙΤΩΝ debemus numismata in lucem protracta, diverſi metalli & typi. Ab omnibus iſtis argenteum noſtrum utraque parte diſcrepat. Jure autem dubites, an ab eximia raritate,

h) Voyag. Tom. I. Tab. XXVIII. n. 25. *i*) L. c. n. 9. & 10. *k*) De Præſt. Num. T. I. p. 273. *l*) Theſ. Brand. T. I. p. 369. item Theſ. Palat. p. 200. *m*) l'Ant. expl. T. I. P. II. p. 272. *n*) Sic. Num. T. IX. n. 89. *o*) In Dorvil. Sic. T. II. p. 604. *p*) T. II. pag. 1286. *q*) P. 2. Tab. VI. n. 2. *r*) T. I. Tab. V. n. 140. *s*) Rec. T. I. pl. XXXVII. n. 4.

te, an operis præſtantia majoris æſtimes. Artis ſane deliciæ ſunt eæ, quas „ nequeo monſtrare, & ſentio tantum. „

TABVLA III. N. I.

Pan in adverſa parte haud dubie fingitur, analoge videlicet ad urbis nomen. Ut obvia alia mittam, ſimillimum exemplum præbent denarii C. Panſæ, hominis Romani, qui pariter ob nominis adfinitatem non abſimile Panos caput exhibent. Ejus imago variat in antiquis monumentis, ut nihil non varium, atque inconſtans eſt in vetere mythologia. Sæpe a Fauno, Satyrove difficulter dignoſcas. Plerumque cornibus armatur; & Homerus, hymno in Pana, bis vocat *δικερωτα* bicornem. „ Horum loco acutis auribus in numo noſtro gaudet, adpoſite ad Silium *t*) de eo canentem:

Stant aures, ſummoque cadit barba hiſpida mento.

Capilli, uti decet agreſte numen, inculti & ſine lege, pæne ad terrorem diffuſi. Itaque recte

t) Punic. l. XIII.

TABVLA III. N. I. ſte ac eleganter Anytæ Poetriæ *u*) φριζοκομης horricomis „ arguitur, prorſus ad fidem monumentorum veterum. Facie autem omnino ea eſt, qualem ei tribuit Homerus, οψιν αμειλιχον, ηυγενειον faciem inamabilem, barbatam.„ *x*) Hanc nitidius etiam Caprarius apud Theocritum *y*) Thyrſi paſtori deſcribit:

Ου θεμις ω ποιμαν, το μεσαμβρινον, ου θεμις αμμιν
Συρισδεν· τον πανα δεδοικαμες. η γαρ απ' αγρας
Τανικα κεκμακος αμπαυεται. εντι γε πικρος,
Και οι αει δριμεια χολα ποτι ρινι καθηται·

Non fas eſt, o Paſtor, jam circa meridiem, non fas eſt nobis fiſtula canere. Pana metuimus; namque is a venatione tunc feſſus requieſcere ſolet, eſtque amarulentus, & illi ſemper acerba bilis in naribus ſedet. „

Crederes peritiſſimum numi noſtri artificem hunc Theocriti locum ante oculos habuiſſe, qui difficile illud Panos ingenium, naresque iracundiam ſpirantes adeo feliciter expreſſit. Tali eum vultu & Philoſtratus ſenior pingi præcipit in ſuis iconibus. *z*) Simillima pro-

u) Poetriarum octo fragm. c. Wolfii. p. 97. *x*) Hymno in Pana v. 39. *y*) Idyl. I. v. 15. *z*) P. 828.

protome cernitur in antiquo vaſe, quod in inſula Chio erutum fuit, apud Com. Caylum, *a*) a quo Fauni, ceu Satyri caput venditatur; item in alio vaſe Etruſco apud eundem auctorem præſtantiſſimæ fabricæ. *b*) Bellorius infundibulum protulit, ſimili capite Sileni, ut ipſi quidem videtur, ornatum. *c*) TABVLA III. N. I.

Tauri caput ex altera parte nihil ad Pana. Cadebant ad ejus aras non victimæ, ſed hoſtiæ, nimirum capræ & oves; etenim

Pan curat oves, oviumque magiſtros.

Ut ejus effigies ad nomen urbis Panticapæi: ſic tauri caput ad denominationem Cherſoneſi Tauricæ procul dubio adludit. Alioquin animal iſtud adprime convenit hujus peninſulæ, ſpeciatim Panticapes indoli, cujus terra frugum facilis, lætiſſimorumque paſcuorum ferax erat, eſtque hodiedum. Egregie Strabo: „ Poſt montana iſta (Taurorum) ſequitur Theodoſia, campo prædita fertili, & portu vel centum navibus recipiendis apto. Hic olim limes fuit Bosporianorum & Taurorum. Subſequitur regio

a) Rec. des Ant. T. I. Tab. 57. n. II. *b*) T. II. Tab. XXVII. n. IV. *c*) De vet. Sepulcris T. XXIV. in Gronovii Theſ. T. XII.

Tabvla III. N. I agri præſtantis usque ad Panticapæum, principem Boſporianorum urbem, ſitam in faucibus Mæotidis... Tota regio frumenti ferax eſt. „ *d*) Mileſiorum *κλισμα* paſſim veteres tradidere. Plura quæ ad hujus urbis geographicam notitiam pertinent, accuratius diſcuſſit Cl. Danvillius in diſſertatione: Examen critique d'Herodote ſur ce qu'il rapporte de la Scythie. *e*) Hodie vocatur Giertſch, vulgo Kerſch, paretque una cum vicina urbe maritima Genikola ſeu Jenikala, a tempore poſtremi belli Turcici, Magnæ CATHARINAE. II. AVG. imperio, cvivs laudes non equidem recenſebo:

ΟΥΚ ΕΙ ΜΟΙ ΔΕΚΑ ΜΕΝ ΓΛΩΣΣΑΙ, ΔΕΚΑ ΔΕ ΣΤΟΜΑΤ ΕΙΕΝ
ΦΩΝΗ Δ' ΑΡΡΗΚΤΟΣ ΧΑΛΚΕΩΝ ΔΕ ΜΟΙ ΗΤΟΡ ΕΝΕΙΗ·

DACIA.

N. 2. IMP. M. IVL. PHILIPPVS. AVG. Caput laureatum Philippi Imp.)(PROVINCIA DACIA. AN. II. Daciæ genius ſedens, caput mitra patria tectus, d. tenet pileum libertatis, s. vexillum cum numero legionis

XIII.

d) Lib. VII. p. 475. *e*) Mem. de l'Acad. des Inſcr. T. XXXV. p. 579.

XIII. Ad dextram aliud vexillum cum numero legionis V. Hic aquila ſertum roſtro ſtringens, illic leo. TABVLA III. N. 2.

AER. II.

* * *

Dacia ſedens, d. tenet gladium recurvum, indigenis proprium. Cetera, ut in numo præcedente.

AER. II.

Provincia Dacia raro in numis conſidet. Stans dextra vel ſignum militare tenet, vel gladium recurvum ſuis incolis peculiarem. In priore numo e noſtris pileum ſedens prætendit, quo nondum viſa eſt habitu. Pileus libertatis ſymbolum habetur, & hæc Daciæ a Philippo adſerta, qui liberam juſſit, a quo tempore Carpos, ceterosque barbaros eam infeſtantes repulit, Zoſimo numisque teſtibus. Atque hæc ſimul epochæ in numis ſignatæ cauſa. Annos nempe computavit Provincia Dacia non imperii Philippi, quem Harduini errorem Baldinius repetere non debuit, *f*) ſed

 ad-

f) In Vaillantii Num. Præſt. T. II. p. 315.


TABVLA III. N. 2. adquiſitæ libertatis; & cum Philippus barbaros, Daciæ graves, quarto imperii ſui anno repreſſerit, liquet ANNUM II. liberatæ Daciæ, quem præſens numus eloquitur, reſpondere ejus Imperatoris anno quinto.

Alterum numum cum deſcripto Daciæ typo & anno, perinde ſub Philippo ſeniore fruſtra quæſieris. Uxoris Otaciliæ talis exſtat editus in Cimelio Auſtriaco, *g*) qui nec nobis deeſt. De duabus legionibus Daciæ præſidio impoſitis, V Macedonica, cujus ſymbolum aquila, & XIII Gemina, cujus inſigne leo, Vaillantius Frœlichiusque varia notaverunt in Coloniarum numis. Legionis Quintæ Macedonicæ, ejusque ſub Gallieno Præfecti Donati meminit præſtans lapis, ut ut aliquibus locis luxatus, anno MDCCLXXV Thordæ in Dacia erutus, quem ſi erudito orbi communicem, operæ pretium facturum me ſpero. Exemplar quale recepi, tale ſiſto, ne mutatis quidem characterum figuris.

Dif-

g) Tom. I. T. XVII. n. II.

TABVLA III. N. 2.



Difficile, mutilatum hoc marmor integritati reſtituere; quod antequam periclitemur, neceſſe erit indagare, quisnam ille ſit Azizus Bonus, quem lapis commemorat. Hunc deum per omnes pagani cœli angulos diu ac multum quæſivi, ſed incaſſum. Reperi tandem apud Imperatorem Julianum II. qui ejus, ſi recte memini, ſolus mentionem facit. *h*) Locus, omiſſo græco textu, ita habet: „ Qui Edeſſam habitant.... Monimum & Azizum Solis adſeſſores & contubernales faciunt, quod ſic Jamblichus interpretatur, ut Monimus idem ſit ac Mercurius, Azizus vero Mars; utrique ſolis adſeſſores, qui in ter-

h) Orat. IV. p. 150. Edit. Lipſ.

TABULA III. N. 2.

terras bona quam plurima transfundunt. „ Tenemus Martem Azizi nomine cultum Edeſſæ in Meſopotamia. Inde ejus religio haud dubie invecta fuit Daciæ a legionibus Romanis, quæ illuc e Meſopotamia præſidio commigrarunt. Bonum vocari quid mirum, qui in terras bona plurima transfundit?

Azizo feliciter eruto, jam tentemus mutilam vocem P... TORI. Quid ſi legendum foret PROPVGNATORI? Obvii ſunt Imperatorum numi, qui Martem Propugnatorem laudant. Et commode ſubveniunt aurea illa maximæ formæ numismata, quæ hic Gordiani III. effigiem, illic Martem exhibent cum epigraphe barbara: MLETARM. PROPVGNATOREN. pro MARTEM. PROPVGNATOREM. cujusmodi ad imitationem Romanorum procuſa in Dacia videntur, ubi ſolent effodi, quo fit, ut vix aut non omnino recurrant in muſeis exoticis: in Auſtriacis, Hungaricis, & Tranſylvanicis frequentius. * Huic interpretationi tam-

* Ejusdem furfuris patriæque ſunt aurei majoris formæ numi Philippi Aug. qui galeatum Romæ caput, quale cernitur in mille denariis Reipublicæ Romanæ, ac epigraphen: PHILIPPVS. EIVS. AVGG. vel ut alii: PHILIPPVS. PIVS. AVG. exhibent, in averſa figuram haſtatam cum literis ENTILOIC KCSS. (Pellerin Mel. I. p. 161

tamdiu ſaltem locus eſſe poterit, quoad alius meliorem, certioremque proferat. Quid literæ MDD ſibi velint, Gallieni nomen præcedentes, non adſequor. Forſitan male ſcalptæ pro IMP. Me Hercle nihil tam abſurdum, aut grammatices regulis adeo contrarium, quod nequeat auctoritate probari lapidum, eorum præcipue, qui extra Italiam in provinciis longe diſſitis fuerunt inciſi. Neque geminum G in voce AVGG. difficultate caret, niſi pariter artificis errore dupplicatum ſit. Poſſis alterum G ſeparare, atque initiale cognominis Germanici habere. Quæ ſubſequuntur, ci- Tabula III. N. 2.

161. Khell Suppl. ad Vaillant. p. 164.) Nam & iſti e Pannonia inferiore, Daciaque Vindobonam feruntur, nec admodum rari ſunt in noſtratibus muſeis. Hic etiam domeſticos arbitror aureos nondum editos, qui novum Tyrannum referunt, nomine Sponſianum, indictum Hiſtoricis omnibus. Una parte inſcriptio: IMP. SPONSIANVS. Caput radiatum iisdem fere ductum lineamentis, ac Gordiani III. in aureis maximæ molis, de quibus ſupra. Alterius partis typus atque epigraphe deſumta eſt e communibus C. Augurini denariis de gente Minucia, qui ſtatuæ cum binis ſpicis inter adſiſtentes duas figuras adſcribunt C. AVG. Quis Sponſianus ille fuerit, accuratius definiri nequit, ſilentibus Hiſtoricis. Purpuram in Dacia, vel regione contermina induiſſe, veroſimiliter laborante ſub Gallieno imperio Romano, aut certe poſt Gordianum III. perſuadet cum fabrica, tum provincia, ubi hi numi dete-

TABVLA III. N. 2. citius expediam, atque facilius. Nam LIENI ſupplendum eſſe GALLIENI, pro VALERIAI legendum VALERIANI, pro SALONINA SALONINAE, & FID nempe Fidelis, pro EII. ſuapte patet. His ſtatutis ita lapidem ex parte reſtituo:

DEO AZIZO. BONO. PROPVGNA
TORI. PRO. SALUTE. MDD (forte IMP) GAL
LIENI. AVGG. ET. VALERIANI.
ET. CORNELIAE. SALONINAE.
LEGionis. V. MACedonicæ. PIAE. FIDelis.
DONATVS. PRAEFectus. LEGionis. EIVSDem.
TEMPLVM. INCEPTVM. PERFECIT.

Va-

---

teguntur, nimirum Dacia. Eorum hactenus jam quinque mihi innotuere, aurei omnes, typisque ſimiles: duo theſauri Cæſarei Vindobonenſis, quorum ectypon mox ejus theſauri Præfectus digniſſimus, R. D. Eckhel, in lucem proferet; unus muſei olim De France, nunc Ill. Dom. Heſs Vindobonæ, quartus Canonicorum Reg. S. Aug. Ducumburgi in Auſtria inferiore. Quintus Hermannſtadii ſervatur in præſtantiſſimo muſeo, aut verius Muſarum Sacrario Exc. Baronis Samuelis Bruckenthall, qui ſuo me favore, pæne dixerim, amicitia non indignum habet. Tot, tamque gravis ponderis monetas aureas per eum terrarum tractum fuiſſe cuſas, nemini prodigio videbitur, qui noverit auriferos, cumprimis Daciæ

montes, ubi Dite viſo
Pallidus foſſor redit, erutoque
concolor auro.

Valerianum, cujus nomen medium inter Gallienum, ejusque uxorem Saloninam ponitur, mallem utriusque filium, quam ejusdem nominis fratrem Gallieni. TABVLA III. N. 2.

*
* *

HER. ETRVSC ... Caput Etruſcillæ.)(--- IA (ſupple PROVINCIA) DACIA. AN. IIII. Mulier ſingulis manibus vexillum tenens, conſiſtit inter leonem & aquilam, legionum ſymbola, quarum numeri V & XIII. vexillis inſcripta ſunt.

AER. II.

Herenniæ Etruſcillæ, Trajani Decii uxoris, numum a Dacis cuſum nec Vaillantius vidit, nec Bandurius. Cum anno V unum edidit Frœlichius, in quo muliebris Provinciæ genius ramum geſtat, & ſceptrum oblongum.

M O E S I A

V I M I N A C I V M.

Numis præmitto Viminacii geographicam notitiam. In Mœſia ſuperiore collocandam eſſe hanc

Tabvla III. urbem, docent numi fere omnes inſcripti: p. m. s. col. vim. hoc eſt: provinciæ moeſiæ superioris colonia viminacium. At quo ſteterit loco, ſententiæ variant. Lazio videtur Buczidern urbs Serviæ: Widin Nigro. Hunc Frœlichius, Büſchingius, & plurimi ſequuntur. Accuratior Cellarius, qui Viminacium poſt Margum recenſet. *i*) In hanc rem egregius eſt Eutropii locus: „ Carinum omnium odio & deteſtatione viventem apud Margum ingenti prælio vicit, (Diocletianus) proditum ab exercitu, quem fortiorem habebat; certe deſertum inter Viminacium & aureum montem.„ *k*) Exinde manifeſtum, Viminacio reſpectu aurei montis interponi Margum, ac immediate præcedere. Eandem omnino poſitionem figunt Tabula Peutingeriana, atque Itinerarium Hieroſolymitanum *l*) & Antonini, quod eo loco, ut frequenter alias, corruptum Vir ſummi ingenii Weſſelingius ſanitati reſtituit. *m*) Illuſtris Coloniæ veſtigia hodieque ſuperant eo loco, cui nomen vetus Rama * prope Ramam novam e regione Caſtelli Vi-Palan-

* Ejus ichnographiam dedit Comes Marſigli in Danubio T. II. n. 10. Tab. v. fig. xiv.

i) Tom. I. p. 458. *k*) Lib. ix. cap. xiii. *l*) Pag. 564. *m*) P. 133.

lanka, quo directe ducunt ſtatuta in Tabula Peutingeriana, ac Itinerariis Margum inter & Viminacium M. P. X. cumque Danubii magnus ibi flexus ſit, eique angulo Viminacium inſederit, patet, cur hiſtoria Miſcel: *n*) inſulam magni Iſtri „ & Theophilactus *o*) *νησον περι τα ρειθρα τȣ ιςρȣ* vocet. Notitia Imperii eo collocat claſſem Iſtricam, cuneumque equitum promotorum: Ptolemæus legionem. TABVLA III.

Hæc de Viminacio generatim. Unum ſupereſt, quod moneam. Ejus urbis ſitum a Cellario recte definitum vidimus. Tamen apud eundem *p*) paulo poſt legitur: „ Viminacium (quod Widin putatur eſſe.)„ Quis ſibi perſuadeat, Cellarium adeo ſui oblitum, ut poſt aliquot paginas tam turpiter ſibi contradiceret? Itaque Viri accuratiſſimi honori cum velim conſultum, Popowitſio lubens adſentior, qui verba illa lunulis incluſa, ab inſipido correctore putat male inſuta. *q*)

Nunc propius ad numos. Horum dives eſt Viminacium, utpote *πολις αρχαια*, urbs antiqua „ ſecundum Procopium: & *πολις λαμπρα*, urbs magnifi-

 ca„

n) Lib. XVIII. *o*) Lib. VIII. H. M. C. 12. *p*) Pag. 462.
q) Vom Meere. S. 208.

TABVLA III. ca„ uti Theophylactus; quin imo Mœſiæ μητροπολις teſte Hierocle in ſynecdimo. Hoc vero dolet, fere omnes iisdem inſignitos eſſe typis, muliere nimirum ſtante inter leonem & taurum. Qui aliud argumentum offerunt, auro cariores habentur. Ejusmodi complures, nondum antea viſos, rara felicitate poſſideo, quos juvat ordine recenſere.

* * *

N. 3. - - GORDIANVS. PIVS. FEL. AVG. Gordiani III. caput laureatum.)(P. M. S. COL. VIM. AN. IIII. Figura laureata & paludata effundit pateram ſuper aram luculentam, s. tenens haſtam. Hic illic vexillum, quorum uni dimidius bos, alteri dimidius leo inſiſtit.

AER. II.

Vir paludatus, ſacra faciens ad aram, quæ „ multo fumat odore, „ haud dubio eſt Gordianus ipſe, qui anno regni tertio, v. c. 993. Viminacio coloniæ jura dedit. Quis leonis taurique vexillis imminentium ſenſus ſit, jam nulla reſtat difficultas. Oedipum ſe iis præbuit R. P. Frœlichius ad numum Viminacenſem, *r*) in quo mulier inter leonem taurumque

r) Quatuor Tent. Ed. alt. p. 124.

que media, duo ſigna militaria ſuſtinet, quibus Gordiani & Tranquillinæ capita impoſita, numerique VII. & IIII. inſcripti ſunt. Iis numeris Septimæ & Quartæ legionis Veteranos Viminacium deductos indicari, ac hujus leonem, illius taurum eſſe ſymbolum, Vir acutiſſimus loco citato eleganter adſtruit, rurſumque paulo infra *s*) novo argumento comprobat e Daciæ numis petito. Quam ob rem ne cocta recoquam, ſolum addo, eam Frœlichii ſententiam nitide ſtabiliri hoc integerrimo & anecdoto numo, in quo ipſa quadrupedia vexillis præfixa in prædictorum numerorum locum ſuccedunt. TABVLA III. N. 3.

*
* *

- - GORDIANVS PIVS. FEL.. Caput Gordiani Pii laureatum)(P. M. S.... AN. IIII. Mulier d. leporem tenet, s. vexillum. N. 4.

AER. I.

* *
*

- - IANVS. PIVS. FEL. AVG. Caput Gordiani radiatum.)(P. M. S. COL. VIM. AN. IIII. Typus, ut ſupra. N. 5.

AER. II.

Se-

s) P. 140.

TABVLA III. N. 4. & 5.

Senio confectus numus videtur, quem Frœlichius *t*) ob typi inſolentiam pro meritis laudat. Quippe cenſet Coloniæ genium cervi aut capreoli pedes ſtringere, ac dolet vexillum adeo attritum, ut legionis numerus inſcriptus diſcerni nequeat. Verum e noſtris, quos ambos ſtudio in ære expreſſimus, & quorum alter integerrimus eſt, liquido adparet, nec unquam legionis numerum fuiſſe additum, nec a muliere cervum, capreolumve teneri, ſed leporem, quem ex auribus facile dignoſcas. Næ is exiguam a Romana legione vel cohorte gratiam inierit, qui ei pro inſigni dederit animal illud omnium timidiſſimum. Ego certe ita æſtimo, a Viminacenſi genio leporem oſtentari, quo ejus in Mœſia, nominatim ſuo in territorio frequentiam notet, exemplo aliarum urbium & regionum, quæ quibus animantibus præſtabant, identidem gloriabantur in numis. Quis neſcit Hiſpaniæ adſidentes eadem de cauſa cuniculos in denariis Imp. Hadriani, quibus HISPANIA inſcribitur? Horatius *u*) reipſa memorat „leporem in campis nivalis Aemoniæ„ ſeu Thraciæ, quæ Hæmo monte a Mœſia ſeparatur. Et hodiedum Serviam, quæ vetus Mœſia, multo leporum populo frequenta-

t) L. c. p. 125. *u*) Carm. L. I. Od. XXXVII.

tatam, indeque copioſas eorum pelles, per Judæos cumprimis, ad nos deferri, e quibus pileorum noſtrorum pars bene magna confici ſoleat, edoctus ſum ab Ill. D. Jeniſch, cujus eruditiſſimi Viri auctoritati plurimum tribuo, qui iterum ac ſæpius in ea regione, atque ipſo in loco Ram, vetere ut diximus Viminacio, aliquamdiu devertit. Poterant vero Viminacenſes eo potiore jure leporum jactare copiam aut excellentiam, quod eſſent animalium iſtorum carnes antiquis in deliciis, unde Græcorum illud: *πανλα λαγωα*; & Martialis: *x*) TABVLA III. N. 4. & 5.

Inter quadrupedes gloria prima lepus.

Feminis & alio nomine commendabantur per jocum, quod quæ eas ederent, forent ſeptem diebus pulcriores. Eo adludit feſtivi Martialis epigramma in deformem Gelliam: *y*)

Si quando leporem mihi mittis, Gellia, dicis:
  Formoſus ſeptem, Marce, diebus eris.
Si non derides, ſi verum, lux mea, narras,
  Ediſti nunquam, Gellia, tu leporem.

IMP.

x) Epigr. L. XIII. n. XCII. *y*) L. V. n. XXX.

Tabvla III.

*
* *

IMP. IVL. PHILIPPVS. PIVS. FEL. AVG. P. M. Philippi Patris laureati effigies.)(P. M. S. COL. VIM. AN. V. Muliebris coloniæ genius inter taurum & leonem, ſingulis manibus vexillum tenet, quorum alteri inſcribitur VII. alteri IIII.

AER. I.

Inſcriptio partis anticæ perquam memorabilis. Caret Philippus ſolito Marci prænomine. Vocatur PIVS & Pontifex Maximus, quos titulos diſſimulant ceteræ monetæ, quas Philippo dedicavit Viminacium. Averſæ typus æque novus ſub hoc Imperatore: ſub præcedente non infrequens. Eundem repetit Hoſtiliani numus, de quo poſtea. Gemino quadrupede, numerisque VII. & IIII. legionem Septimam & Quartam denotari monuimus. Poſtremam Scotus in codice Præfecturarum Flaviam cognominat, atque in urbe Singiduno collocat, cujus de ſitu accurate diſſerit Cl. Danvillius: Memoire ſur les villes de Taurinum & Singidunum, z) ubi & multus de Viminacio ſermo eſt. Ejusdem legionis ſæpe fit mentio in veteribus lapidibus, potiſſimum iis, qui in Dacia, Mœſiæ

z) Mem. des Inſcr. T. XXVIII. p. 410.

ſiæ contermina, aut pridem eruti ſunt, aut noſtris effodiuntur temporibus. Hi Claudiam, Piam, fidelem ſalutant. TABVLA III.

*
* *

IMP. IVL. PHILIPPVS. PIVS. FEL. AVG. P. M. Caput Philippi Patris radiata corona ornatum)(P. M. S. COL. VIM. AN. V. Victoria gradiens, d. ſertum gerit, s. palmam. Hic ibi taurus leo. N. 6.

AER. II.

Viminacii annus quintus legitur ſub Gordiano Pio, & Philippo. Ex quo patet, Philippum eodem anno ſucceſſiſſe Gordiano Pio, atque adeo annum Coloniæ quintum congruere primo imperii Philippi. Hoc ſtante Victoria præſentis numi alia eſſe nequit, ac Perſica, quam Colonia Philippo regnum auſpicanti non tam gratulatur, quam optat, licet votis inanibus. Nam is pro eo, ut inſiſteret victricibus Gordiani Pii armis, quem per ſummum nefas e medio ſuſtulit, teſte Zonara „ cum ſapore Perſarum rege pacem fecit, Meſopotamia & Armenia conceſſis „ atque ita rebus in Oriente conſtitutis cum filio, Romam profectus eſt. Serius quidem, inſtante populo Romano ad arma re-

 cur-

TABVLA III. N. 6. curſum, provinciæque Perſis iterum ademtæ; verum pax denuo cum iisdem celeriter coaluit promiſſione facta reſtituendi provincias. Ceterum Victoriæ gradientis imago nunc primo comparet in ære Viminacii. De circumſcriptione capitis ad præcedentem numum diximus.

*
* *

-- PHILIPPVS. AVG. Caput ejus laureatum.)(P. M. S. . . M. AN. VI. Figura paludata inter bovem & leonem d. globum ſuſtinet, cui Victoria inſiſtit, s. haſtam præpilatam.

AER. I.

Narrat Zoſimus *a*) Philippum contra Carpos, Sarmatiæ Europeæ populos, expeditionem ſuſcepiſſe, qui jam Iſtro vicina loca depopulabantur. Prælio conſerto cum impreſſionem barbari non ſuſtinerent, in fugam ſunt conjecti ac propulſati. Eam victoriam putat Frœlichius *b*) hoc numo Viminacenſes gratulari & Philippo, & ſibimet, quibus infeſti Carpi jam jamque imminebant. Sed hanc interpretationem exclu-

a) Lib. I. Cap. XX. *b*) Quat. Tent. p. 129.

cludit Coloniæ ANNUS VI. quem mea moneta ingenue faſtetur, exeſus in Frœlichiana. Reſpondet annus Coloniæ ſextus Philippi regnantis ſecundo, quo nondum Carpicum bellum exarſit, excitatum denique duobus annis poſt. Ad hæc figura paludata Philippus filius eſt, quia vultum imberbem ac juvenilem ſimulat. Ei Pater, ſopito bello Perſico Romam contendens, in itinere imperium communicavit. Utrique proinde honoribus hunc numum conſecravit Viminacium. TABVLA III.

*

* *

IMP. CAES. C. MES. Q. DECIVS. P. F. AVG. Trajani Decii laureata protome.)(--- COL. VIM. AN. XI. Coloniæ genius muliebris inter leonem & taurum d. protendit ramum, s. oblongum ſceptrum tenet, cui Victoriola inſiſtit cum ſolitis attributis. N. 7.

AER. I.

„Ob inertem Philippi ſocordiam in omnibus (verba Zoſimi ſunt) Scythæ Tanain transgreſſi, vicina Thraciæ loca prædis agendis infeſtabant, quos aggreſſus Decius, & omnibus præliis ſuperior, præ-

TABVLA III. N. 7. da quoque recepta eſt. „ Hac de cauſa Victoria Viminacii genio ſertum imponit, quod eſſent ſuis auſpiciis ſubmoti per Decium barbari, partaque inde Coloniæ ſecuritas. Quamquam ea dea paulo poſt inconſtantiæ, levitatisque ſuæ argumentum dederit Romanis nimium quantum exitiale, puta in cruenta cum iisdem barbaris pugna, qua pars maxima Romani militis, & Decius ipſe cum duobus filiis cecidit. Numus ab Arigonio productus *c*) aut alius a noſtro fuit, aut injuriis temporum male habitus.

*

* *

N. 8. IMP. TRAIANVS. DECIVS. AV. Caput ejus laureatum)(P. M. S. COL. VIM. AN. XII. Genius inter ſolita legionum inſignia ſtans, d. prætendit cornucopiæ s. leoni imminet.

AER. I.

Cornucopiæ, quod Colonia oſtentat, procuratam ſub Decio rerum omnium abundantiam, patriique ſoli pinguedinem indicat. Et laudat Mœſiæ glebam Virgilius: *d*)

- - Hi-

c) T. XII. n. 190. *d*) Georg. l. I. v. 101.

- - Hiberno lætiſſima pulvere farra
Lætus ager. Nullo tantum ſe Mœſia cultu
Jactat.

TABVLA III. N. 8.

Ad quem locum Servius: „ conſtat Mœſiam circa culturam eſſe diligentem. Sed non ei cultus ſuus tantum prodeſt, quantum hyberna ſerenitas, & humidum ſolſtitium. „ Scio quosdam Virgilii codices pro Mœſia legere Myſia, quod nomen eſt regionis in Aſia. Sed hoc nihil obturbat, quia Mœſia etiam Myſia latino ore dicitur. Ovidius:

Hic tenuit Myſas gentes in pace fideli.

Et inſcriptiones apud Gruterum: *e*) IN. MVS. INFERIOR. item: NAT. MYSIA. SVPERIORI. Græcis autem Mœſia paſſim μυσια vocatur.

* * *

- - R. ETRUSCIL.. Etruſcillæ imago.)(P. M. S. COL... AN. XII. Colonia adſtante gemino quadrupede, cornucopiæ d. obtendit, s. globum. N. 9.

AER. I.

Nu-

e) P. 446. & 521.

TABVLA III. N. 9. Numum deſcripſiſſe ſufficiat. In ære inciſum priori conjungimus, quia novos in averſa typos uterque proponit.

* * *

N. 10. - MP. C. VAL. HOST. M. QVINTVS. AVG. Hoſtiliani laureati effigies.)(P. M. S. COL. VIM. AN. XII. Coloniæ genius inter leonem & taurum duo tenet vexilla, quibus inſcribitur VII. & IIII.

AER. I.

Hoſtiliani monetæ Viminacenſes rarioribus accenſentur. Hæc inedita & ſingularis, ceu averſam ſpectes, ceu partem adverſam. Fuit Hoſtilianus poſt infelicem illam in Thracia pugnam, qua gemini ejus fratres Herennius & Trajanus Junior cum patre Decio periere, ſolus familiæ ſuæ ſuperſtes. A Senatu Auguſtus ac Imperator renunciatus, imperium deguſtavit verius, quam tenuit, mox gladio vel peſte conſumtus. Hinc numi omnes, etiam Romani commatis perrari, qui Auguſtum, præcipue qui Imperatorem ſalutant. E Viminacenſibus hic quidem unicus eſt, a quo dictis titulis honoretur. Ceteri ad unum omnes

Cæ-

Cæſarem tantum profitentur, & nudo propterea capite repræſentant. Averſam eandem in Philippi anecdoto numo recenſui. TABVLA III. N. 10.

De variis in ære Viminacii notatis annis, quibus chronologia plurimum juvatur, nihil diſputavi, ne actum agam. Has partes Noriſius, Vaillantius, Frœlichius egregie implevere. Admodum rari numi ſint oportet, qui ANNUM X. ſub Philippis referant, cujusmodi Vaillantius vidit, ſi modo recte vidit. Mihi omni licet adhibita opera, nec talem obtinere, nec ullo in muſeo conſpicere licuit.

CALLATIA.

K. Corytus arcus & clypeus, clava & ſpica. N. 11.
)(Clypeus.

AER. III.

Crederes heri cuſum, adeo elegans & nitidum eſt id certæ antiquitatis numismation. Inter anecdota quidem omni jure locum obtinet. Erunt, qui primo ejus conſpectu Macedoniæ inſerendum putaverint, quod & nobis ab initio placuit. Provocabat eo clypei forma Macedoniæ fere peculiaris, literaque K

O Caſ-

TABVLA III. N. II.

Caſſandream, vel regem Caſſandrum innuere videbatur. Verum re magis perpenſa, atque ope aliorum numorum adjuti, mentem mutavimus, relictaque Macedonia Callatiæ, inferioris Mœſiæ urbi prope Tomos adhæſimus. Et vero pro hac ſtant periſtaſes quam plurimæ. Solitaria litera κ καλλατιας initialis videtur, ac revera juxta Cereris protomen conſpicitur in quadam ejus urbis moneta apud Pellerinium *f*) quæ in poſtica parte ΚΑΛΛΑΤΙΑΝΩΝ integrum nomen repetit. Alia apud eundem Auctorem inter clavam & corytum inſcribit ΚΑΛΛΑΤΙ. Sed omnium maxime huc conducit numus Golzianus *g*) inepte a Nonnio Galatis Aſiaticis adſcriptus, qui ſingula omnino ſigna, quibus noſter abundat, ſpicam, corytum cum arcu, & clavam exhibet adjecto urbis nomine. Is ut plenam lucem noſtro adfundit: ſic viciſſim noſtro jam debet indubiæ fidei auctoritatem, de qua non immerito antea dubitabatur, ut fere ſuſpecti habentur numi omnes, quorum præco ſolus Golzius eſt. Cl. Eckhel *h*) pariter autonomum hujus urbis citat, in cujus averſa tres ſpicæ germinant. Duas & vicini Tomitæ ſignarunt. *i*) Poſticam partem clypeus Mace-

f) Rec. T. I. pl. XXXVI. n. 6. *g*) Inf. Aſiæ Tab. II. n. I. *h*) Num. vet. p. 52. *i*) Pellerin l. c. n. 10.

cedonicus contegit. Clypeum delphino inſignitum Callatiani offerunt apud ſæpe laudatum Pellerinium. *k*) Nec eſt, quod is typus offendat. Recurrunt ejusmodi clypei Macedonici etiam in numis Pœſti in Lucania, *l*) Philadelphiæ in Lydia, *m*) & Herodis Magni Judææ regis. *n*) Fuiſſe tempus, quo Macedones Callatiam frequentaverint, probabile duco, quod Mœſia Macedoniam contigerit, ejusque tractus urbes perſæpe colonos dominosque mutaverint, & jam ſui juris fuerint, jam obnoxiæ vicinis regibus. Mela *o*) Callatiam Mileſiorum opus ſtatuit, Ovidius Megarenſium illo verſu Triſtium: TABVLA III. N. II.

Et quos Alcathoæ memorant a mœnibus ortos.

Strabo *p*) aliique ab Heracleotis Ponticis conditam adfirmant, regnante in Macedonia Amynta, & cum horum auctoritate faciunt ejus urbis numi, qui conſtanter Herculis effigiem, aut ejus arma jactant, imo ΚΤΙΣΤΗΝ quandoque prædicant, *q*) non quod

k) L. c. n. 7. *l*) Magnan Lucan. Num. Tab. 31. n. XVII. & XX. *m*) Pellerin. Rec. T. II. pl. LXIV. n. 77. *n*) Frœlich ad num. Reg. Acceſs. Nov. Tab. II. n. VIII. *o*) L. II. c. II. *p*) L. VII. p. 491. *q*) Pellerin Rec. T. I. pl. XXXVI. n. 5.

TABVLA III. N. II.

Callatia Herculem conditorem immediate agnoſceret, ſed Heracleam ab Hercule fundatam. Tradit Memnon, *r*) qui Heracleæ fata & tyrannos perſequitur a libro v. Hiſtoriarum usque ad L. XVI. temporibus Nicomedis I. Bithyniæ regis, Callatianos Iſtrianosque bello cum Byzantinis fuiſſe colliſos propter Tomos emporium, quod ſibi vicinum ſtudebant Callatiani monopolium vendicare. Sed rebus ad arma deductis Callatianorum adeo fuerunt acciſæ vires, ut ab iſta calamitate nunquam priſtinas recipere potuerint facultates. Eorum numi autonomi rari, nec frequentes ſub Imperatoribus. Deſinunt cum Philippo Seniore. Unum Septimii Severi teneo nondum editum, quem ſubjicio:

* *
*

AYT. K. Λ. CEΠ. CEOYHPOC. ΠEP. Septimii ſeveri caput laureatum.)(KA... TIANΩN. Bacchus ſtans d. haſtam puram, s. cantharum vel botrum: ad pedes panthera.

AER. II.

Nuſ-

r) Photii Biblioth. n. CCXXIV. p. 703.

Nuſpiam adnotatum inveni. Bacchus uberem vini proventum ſignificat, ut ſpica mollem glebam in præcedente numo. TABVLA III.

MARCIANOPOLIS.

ΑΥΤ. Κ. ΟΠΕΛΛΙΟΣ. ΣΕΥΗ... ΝΟΣ. Lege ΜΑΚΡΙΝΟΣ. Laureatum caput Macrini.)(ΥΠ... ΟΥ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. Aquila fulmini inſiſtens, ſertum roſtro tenet.

AER. I.

Marcianopolis, inclyta urbs Mœſiæ inferioris, monetis abundat. Tamen aquilam quæ Macrini vultui conjungat, nondum obſervata. Magiſtratus nomen exeſum ſuppleri debet ΠΟΝΤΙΑΝΟΥ. quod conſtanter ceteri hujus Imperatoris numi repetunt, eâdem in urbe ſignati, cujusmodi Vaillantius atque Frœlichius deſcripſerunt.

* *
*

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥ. ΣΕΥΗ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ...ΜΜΕΑ. Severi Alexandri & Mamææ capita adverſa.)(...ΟΥ. N. 12.

Tabula III. N. 12. ΓΕΤΟΥΛΙΚȣ ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛ. Hygia ſtans ſerpentem paſcit: in area Ε.

AER. II.

Erat Marcianopolitis ſolemne, jungere geminas Auguſtorum imagines in ære publico. Caracallæ & Juliæ Domnæ, Caracallæ & Getæ, Macrini & Diadumeniani, Elagabali & Moeſæ, Alexandri & Moeſæ vultus obverſos vel apud ſolum Frœlichium ſpectare licet in eorum pecunia. Sed tamen Alexandrum qui Matri Mamææ ſociatum viderit, usque modo nemo fuit. Magiſtratus prænomen ærugo conſumpſit, illæſum reliquit in altero hujus Imperatoris numo apud Frœlichium, *s*) qui poſticæ partis aquilæ adſcribit: ΥΠ. ΙΟΥΛΙΟΥ. ΓΕΤȣΛΙΚȣ. ΜΑΡΚΙΑΝΟΠΟΛΙΤΩΝ. Sub Julio Getulico Marcianopolitarum.„

Notari meretur ȣ pro ΟΥ. Placuit hæc ſigla non ſolum Mœſiæ, ſed & Thraciæ monetariis. *t*) Ejus uſum obtinuiſſe jam Alexandri Magni temporibus, probant numi argentei minuti, qui una parte veram ejus effigiem referunt, altera Cupidinem inequitantem leoni, cum epigraphe: ΑΛΕΞΑΝΔΡȣ *u*) quos eidem Coæ-

s) Append. Nov. ad Vaillant. p. 105. *t*) Frœlich Append. ad Vaillant. p. 304. *u*) Liebe Gotha Num. p. 99.

coævos exiſtimant. Redit eadem nota in æreis compluribus Alexandri numis apud Geſsnerum, *x*) frequentius in iis, qui habent circumſcriptionem : ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Β. ΝΕΩΚΩΡΩΝ, Severi Alexandri demum ætate cuſi. Monumentis quoque Siculis inſcriptam deprehendit Exc. Princeps Torremuzza. *y*) Sunt & Aſiæ urbes, quarum numi ea ſigla utuntur, Cyme Æolidis apud Pellerinium *z*) & Nyſa Cariæ apud Begerum. *a*) Herodis Magni, Judææ Ethnarchæ, monetæ inverſo ſitu eam pingunt, nempe ꙋ

Tabula III. N. 12.

ϙ pro ο in vetere pecunia nondum vidi, hac demta. Contra vero Ω non abſimili forma effigiat Liparæ numus a Principe Torremuzza editus ſupplemento quinto ad Parutam. *b*) Invenio tamen ϙ tam pro ο, quam pro Ω, inſertum alphabeto Græco, cujus literas valuiſſe quatuor ſeculis ante, ac tribus poſt Chriſti adventum ſtatuerunt Auctores præſtantiſſimi operis: Nouveau Traité de Diplomatique. *c*)

THRA-

x) Tab. II. n. 20. & 30. *y*) Siciliæ Inſcr. Nov. Coll. LVII. *z*) Mel. T. II. p. 182. *a*) Theſ. Brand. T. II. p. 719. *b*) Tav. I. n. 13. *c*) Tom. I. pl. X.

TABVLA IV. N. I.

THRACIA.

ABDERA.

Abderæ protome intra quadrum alte incuſum.)(Juppiter ſedens d. haſta nititur, advolante ejus comite aquila.

ARG. III.

Grandis ævi numus. Teſtes ſunt quadratum, totiusque operis auſtera ſimplicitas. Oculi ſemiaperti ſeu nictantes, ut in duobus antiquiſſimis Syracuſarum & Pharſali monetis argenteis mei muſei. Et perhibet Diodorus, *d*) finxiſſe Dædalum ſua ſigna ομμασι μεμυκοτα, conniventibus oculis, „ ut Winkelmannus interpretatur. *e*) Supremam vetuſtatem & inſcriptionis teſtatur carentia; nam ſæpe illiterati ſunt numi, qui monetariæ artis attingunt incunabula. Unde cujas ſit noſter, ignorarem, ni Abderitam proderet adfinis Golzianus cum epigraphe: ΑΒΔΗΡΑΣ ΚΟΡΑΣ. *f*) Is facem prætulit ſimili quoque Pelleriniano, *g*) qui ſolas literas Α. Κ. fatetur, initiales videlicet Αβδηρας Κορας. Quoad ſigna cum his convenit no-

d) Hiſt. l. IV. *e*) Geſchichte der Kunſt. S. 8. *f*) Græciæ Tab. XXV. n. IX. *g*) Rec. T. I. pl. XXXIII. n. 7.

noſter, typis utrinque diſcrepat. Caput eſt Abderæ Diomedis ſororis, quæ urbem condidit, atque a ſe vocavit, auctoribus Mela, *h*) & Solino. *i*) Quamquam alii ab Abdero conditam volunt, quem Diomedis equi diſcerpſerunt. Abderæ crines vitta coerciti, quæ Latinis proprie vocatur reticulum. Juvenalis: *k*) TABVLA IV. N. I.

Reticulumque comis auratum ingentibus implet.

Ejus hodieque multus apud Italicas mulieres uſus domeſticus. Græci dixere *κεκρυφαλον*, item *κρωβυλον*, ſi fides Servio. *l*) At *κρωβυλος* preſſius in viris, quod in feminis *κορυμβος*. Ulpianus lege XXV. §. 10. D. de Aur. Arg. mundo legato adpellat „ reticula crocuphantia. „ Gloſſæ veteres: „ Reticulum *γυργαθος και κροκυφαντος*. „

*

* *

Gryphus pedem dextrum elevans.)(ΕΠ... ΜΩΝΑΚΤΟΣ. Quadrum non cavum, ſed prominente ope- N. 2.

h) L. II. c. II. *i*) Cap. X. *k*) Sat. II. v. 96. *l*) Ad l. IV. Æneid. v. 138.

Tabvla IV. N. 2.

opere, diſſectum in quatuor partes cum totidem punctis in areis.

AER. III.

Et hic numus patriam fateri negligit. Erat non Abderitis modo, ſed etiam proximis Maronitis in more poſitum, ut diſſimulato nomine, magiſtratus tantummodo pecuniæ ſuæ committerent. Nihilo minus utriusque populi monetam e ſymbolis facile dignoſcas. Maronitæ intra quadratum identidem uvam vel vitem botris gravidam, altera parte Bacchum vel equum adoptant. Abdera grypho delectatur, quem typum a Tejis abſtulit, quorum pulcra fuit colonia, ut vetus proverbium habet. Id proinde animal, tum averſæ quadratum, familiare Macedonicæ Thraciæque pecuniæ, manifeſta ſunt Abderæ argumenta, cujus nomen hic numus nequidquam cælat. In averſa legendum: ΕΠΙ. ΔΗΜΩΝΑΚΤΟΣ. Sub Demonacte. „

Quadratum, ſicut monui, non incuſum eſt, ſed formis eminet. Cum vetuſtatem ſpiret non admodum remotam numismation noſtrum, ſubit mirari, Abderitis argumentum adeo jejunum ac ſterile placuiſſe. Res tamen iſthæc non caret exemplo. Quis

ne-


Tabvla IV. N. 2.

neſcit obvias tritasque Apolloniæ, Dyrrhachii, Corcyræque drachmas, quæ una parte vitulum lactentem, altera ſimile quadrum varie ornatum exhibent, veſtigium nempe retenti, atque a principio incuſi quadrati? Equidem ſcio Eckhelii, Auctoris gravis, conatus in renovandis Alcinoi hortis, quos Begerus in hoc monetarum genere plantavit, Barthelemyus deſtruxit. At vereor, ut incaſſum laboraverit. Quatuor illa jugera, & ſeptum, & areolæ, quibus Alcinoi παραδεισον inſtruxit Homerus, & quæ Eckhelius ſatis clare conſpicere ſibi viſus eſt in memoratis numis Illyricis, *m*) mihi quidem ſpecioſa vivacioris imaginationis videntur ludibria. Profecto non abſimile phantasma præſens quoque Abderitarum numulus objicit. Quid enim intereſt inter hujus & prædictarum urbium quadratum? Si forte areolas ornatas exigis, has minutiſſimo in numo ob anguſtias ſpatii tantum punctis notatas dixero. Cetera fere congruunt. Magis etiam huc facit Acanthi, Macedoniæ urbis, numus antiquiſſimus, cujus averſam reſtituo e Barthelemyi Palæographia numismatica. *n*)

m) Num. vet. p. 106. *n*) Mem. des Bel. Lettr. T. XXIV.

TABVLA
IV.
N. 2.

ÆR



Neſcio, an non hæc moneta nitidius adhuc prætenſos Alcinoi hortos exprimat, quam Apolloniæ, Dyrrhachii, Corcyræ pecunia. Indulge phantaſiæ luſibus, & omnia belliſſime cum Homerica deſcriptione concordant. Vides quadratum quadrifariam diviſum. Id „ hortum quatuor jugerum „ indicat. Comparent lineæ quadratum claudentes, apte ad „ ſeptum utrinque circumductum. „ Ne deſunt quidem punctulis eleganter „ ornatæ areolæ „ intra dicta quadrata, quas pariter Homerus memorat. Habes ergo denuo perſpicuos, ſi ſuperis placet, Alcinoi hortos. Quid igitur? Hos item in Macedonia exquires? Aut hoc age, aut illos apage.

Sed quid aliarum urbium monetis immoror? Sunt adeo Apolloniæ Illyricæ; quæ hortos illos evellant. Talem Eckhelius ipſe ſuppeditat, quæ vici-

ci-

cinum Apolloniæ Nymphæum, ſeu collem ignes ſpargentem, quadrato e formis exſtanti includit. *o*) Id quadratum nequit alium habere ſenſum, ac habent tot alia in mille numis. Quis intra παραδεισον Alcinoi monticulum ferat ignivomum? Aut quis artificem tam ineptum ſibi perſuadeat, qui hunc illi impoſuerit?

Tabula IV. N. 2.

Urit alius porro numus a Pellerinio vulgatus, *p*) pervetuſtus ac anepigraphus, quem nihil refert ad rem præſentem, ſeu Dyrrhachium revoces, ſeu potius Apolloniam Corcyramve ob vaccæ ſitum in Dyrrhachena pecunia plerumque contrarium. In ejus numi averſa ſignum, quod alias quadratum eſt, rotundum cernitur, aſtroque ſimillimum. Hoc per Jovem! nullo pacto cum prætenſis hortis componas; nam & longiſſime ab eorum forma Homerica diſcrepat, nec aliunde videtur ortum, quam ex arbitrio monetariorum, quorum varios, nec diſſimiles ingenii luſus accurate collegit doctiſſimus Barthelemyus, artisque monetariæ primordiis tribuendos præclare docuit, & tamen præfatum ſignum valorem quadrati exæquare videtur, cujus locum tenet. Si vero idem utrique valor, neutri commune quidquam cum

o) L. c. Tab. VI. n. 19. *p*) Rec. T. I. pl. XI. n. 8.

Tabula IV. N. 2.

hortis erit. Non ignoro Græcorum, quod Eckhelius recte notat, crepandis in monumentis ardentiſſimum ſtudium, præcipue ſi Homeri verſibus nobilitata fuere. At novi etiam, & quisque noverit monumenta maximæ famæ, quin adeo habita inter orbis miracula, de quibus tamen altum ſilet vetus moneta. Et dic amabo! Cur ſolum in argento vigeat Homericorum hortorum memoria? Cur non item in ære? An non Cnoſſii Cretenſes labyrinthum tam in ære, quam argento centies oſtentavere? Nonne vel ex eo, quod a primis artis monetariæ temporibus id genus quadrata argenteis potiſſimum numis incuſa fuerint, vix æreis: nonne inquam, vel ex eo argumentari fas eſt, prætenſos hortos, qui conſtanter & ſolum in argento occurrunt, non eſſe denique niſi veſtigia retenti, argentoque incuſi ab origine quadrati? Sed hæc ſatis de Alcinoi paradiſo jam bis perdito.

ANCHIALVS.

ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ. ΝΕΑ. ϹΕΒΑϹΤΗ. Protome Fauſtinæ Junioris.)(ΑΓΧΙΑΛΕΩΝ. Ceres ſedens d. duas ſpicas, s. facem ardentem ſuſtinet.

AER. II.

Quem

Quem Vaillantius deſcribit, *q*) ab hoc diverſum invenio tam averſæ typo, ſi modo recte vidit laudatus auctor, quam capitis epigraphe, in qua deſideratur *το* NEA. Duæ ſunt ejus nominis urbes, altera Thraciæ, Ciliciæ altera. Poſteriori numos aliquos adſcripſit Vaillantius nullo certo criterio. Hos pariter in Thraciam Pellerinius *r*) & Eckhelius *s*) ablegandos cenſuerunt; quæ lex ſi univerſim obtinet, Anchialus Thracica, quantum memini, ſola eſt ex urbibus Europæ, quæ Fauſtinam, Aurelii conjugem, NEAN ſalutet. * Reliquæ urbes, quibus eo vocabulo filiam a matre cognomine diſcernere placuit, omnes Aſiaticæ ſunt, nempe Æzanis Phrygiæ, Pergamus Myſiæ, Temnus Æoliæ, Amaſtris Paphlagoniæ. Addere poſſem Nicæam Bithyniæ, in cujus geminis numis legendum contendit Vir ſummus Eckhelius: *t*) AN. NEA. ΦΑΥϹΤΕΙΝΑ ϹΕΒ. non ANNEA, ut Vaillantius. At mihi nondum de hoc omnino liquet. To NEA in prædictarum urbium monetis nunquam præit, ſed Fauſtinæ nomen conſtanter ſubſequitur, perin-

TABVLA IV. N. 2.

* In Byzantii numo compellatur: ANN. ΦΑΥϹ... ΘΥΓΑ-Θ-ηρ. Annia Fauſtina Filia „ nempe Antonini Pii, & Fauſtinæ Senioris. Pellerin Mel. T. II. p. 94.

q) Num. Imp. Græc. p. 59. *r*) Mel. T. II. p. 126. *s*) Num. vet. p. 55. *t*) L. c. p. 183.

Tabvla IV. N. 2.

inde ac numi Romani perpetua lege dicunt: CONSTANTIVS. IVN. nunquam IVN. CONSTANTIVS. Unde Nicæenſes monetarios, argumento ex analogia petito, ſcribere pariter oportebat: AN. ΦΑΥСΤΕΙΝΑ. ΝΕΑ. minime vero AN. ΝΕΑ. ΦΑΥСΤΕΙΝΑ. Ad hæc ſimillimus numus apud Geſſnerum *u*) perſpicue habet ANNIA. Itaque mallem & ANNEA unam vocem, nimirum Fauſtinæ Junioris prænomen habere, quæ Annia vocabatur. Nihil obeſt ANNEA pro ANNIA poni. Literarum hujus generis permutationes quot numi offerunt? VENVS GENETRIX quem fallit? Et quis numerabit errores, quos Coloniarum, urbiumque Græcarum pecuniæ inſcripſit artificum vel imperitia vel oſcitantia?

Vaillantius Anchiali ſex numos cum capite Gordiani Pii, quatuor cum ejusdem & Tranquillinæ *προτομαις* vulgavit. Hi neſcio quo pacto, in operis indice omiſſi ſunt. Hunc defectum notare viſum eſt, ne quis eo deluſus, ut nuper non nemo, ſecurius adſerat: „ Poſtremum Anchiali numum Vaillantius in Geta commemorat. „

BI-

u) Inter Imp. Rom. T. CLX. n. 50.

TABVLA IV. N. 3.

B I Z Y E.

Neptuni caput.)(BIZYHNΩN. Jupiter nudus adſiſtit aræ luculentæ, d. pateram tenens, s. haſtam puram.

AER. III.

Primus atque unicus autonomus, in quem certum Bizyenis jus ſit. Duos Auctor Muſei Theupoli *x*) eisdem adſcripſit cum vultu & nomine Byzantis, quem Stephani epitomator Neptuni & Croëſsæ filium, alii claſſis Byzæ Thraciæ regis ducem, Euſtathius Megarenſium claſſi præfectum perhibent. Sed illos Byzantium ſpectare in confeſſo eſt. Nolim vero aliquis ſuſpicetur turpis Sycophantæ ſubeſſe fraudem, a quo nomen BYZANTIΩN mutatum ſit in BIZYHNΩN. Numus integerrimus eſt, omnisque doli neſcius.

Bizyen in Aſtica, regione Thraciæ, collocat Stephanus: Cænenſi, quæ Aſticæ contermina fuit, Solinus inſerit. Plinius *y*) memorabile quid de ea narrat: „ intus Bizya, arx regum Thraciæ, a Terei ne-

x) P. 1254. *y*) L. IV. Sect. XVIII.

TABVLA IV. N. 3.

neſaſto crimine inviſa hirundinibus; „ non quod illic facinus perpetratum, ſed quod Terei patria fuerit. Theatrum fabulæ, quam canit Ovidius, Daulis Phocidis oppidum a Pauſania conſtituitur, atque inde eſſe, „ quod intra hujus terræ fines hirundines neque pariunt, neque ex ovis pullos excludunt, nec omnino tectorum laquearibus ullos adfigunt nidos. „ *z*)

Neptunum coluit Bizye, quem oris ductus, & capillorum ratio manifeſtant, licet eſſet a mari reductior. Enimvero murorum urbis cujuscunque fundamenta deus ille tuetur. Servius: „ Neptunum muros; ipſi enim fundamenta ſunt conſecrata, cujus & moventur arbitrio, unde εννοσιχθων dicitur, hoc eſt, terram movens aquæ concuſſione. „ *a*) Eam ob rem Strabone teſte *b*) fuit Apamenis Phrygiæ, ut ut mediterraneis, in honore, qui vehementibus terræ motibus frequenter laborabant. Pars altera Jovem Neptuni fratrem exhibet. Inſolens, Jovem ſacrificare, qui Pater Rectorque hominumque deumque. Attamen ſacris faciundis intentum etiam alii numi ſiſtunt, e. g. Cyrenaici aurei apud Pellerinium. *c*) Communes

z) L. X. p. 807. *a*) Ad II. Æneid. v. 610. *b*) L. XII. p. 868. *c*) Rec. T. III. pl. LXXXVI. n. 5.

nes quoque Veſpaſiani Imperatoris denarii, in quibus IOVIS CVSTOS ſuper aram libat. Phænomenon Lactantius explicat. Is poſtquam dixiſſet Cæſarem ex Aglaoſthene referre, Jovem in inſula Naxo priusquam adverſus Titanas bellum moliretur, ſacrificium feciſſe prope littus, confeſtim ſubjungit: „ cui ergo ſacrificare Juppiter potuit, niſi Cœlo avo ? „ *d*) Huius ſacrificii, ab Jove peracti, meminit æque Fulgentius. *e*) TABVLA IV. N. 3.

Apud Arigonium *f*) Bizyenus numus exſtat cum protome Sept. Severi, cujus averſam Juppiter implet eodem habitu, ſed ara deficit. Circumſcriptio BIZYNΩN obtruditur pro BIZYHNΩN. Joanni Cantacuzeno *g*) oppidani vocantur *βιζυιοι*. In actis conciliorum Epheſini & Chalcedonenſis paſſim *βυζη* ſcribitur, corrupte videlicet, ut ſunt urbium nomina in Notitiis Eccleſiaſticis peſſime depravata. Fuit ea urbs nobilitata Euſtathii Antiocheni exilio.

Q 2 BI-

d) De falſis relig. L. I. C. II. *e*) Mythol. L. I. C. XXV.
f) T. XIX. n. 241. *g*) L. III. C. 78.

TABVLA IV. N. 4.

BISANTHE.

Caput Bacchi.)(BI. Racemus.

AER. III.

Biſanthe Samiorum colonia, dicta & Rhædeſtus. Ejus numi paucis abhinc annis reperti, adeoque rari ſunt, ut non niſi tres hoc ætatis comparuerint, a Pellerinio & Eckhelio vulgati. Totidem noſtra ſupellex recondit. Sed is anecdotus, qui Bacchum & racemum jactat. Univerſa Thracia vini ferax; ſed & incolæ vinoſi audiunt, ac *οινοπλυγαι* a Poetis paſſim carpuntur. De Byzantio (atque hæc Bacchum pariter & racemum ſignavit cum epigraphe BY) lepide mercator aliquis ita ludit apud Menandrum: *h*)

Παντας συ μεθυσȣς, Βυζαντιον,
Τȣς εμπορȣς ποιεις· ὁλην επινομεν
Την νυκτα δια σε· και σφοδρ᾽ ακρατον μοι δοκω·
Ανισαμαι γȣν τεσσαρας κεφαλας εχων.

Omnes tu ebrios, o Byzantium,
Mercatores facis. Totam bibimus

No-

h) Men. & Philemonis Reliquiæ. Amſt. p. 22.

Noctem propter te, & plane merum, ut mihi quidem videtur. TABVLA IV.

Surgo igitur habens quatuor capita.

CONSTANTINOPOLIS.

CONSTANTINOPOLIS literis fugientibus. Caput galeatum urbis genii: a tergo ſceptrum.)(VOT. XX. MVLT. XXX. intra coronam lauream.

AER. III.

Vota xx ſoluta, xxx ſuſcepta ſunt pro ſalute ac incolumitate Conſtantini Magni anno v. c. MLXXVIII. Chriſti CCCXXV. Tum igitur ſignatus numus, quem nec Bandurius vidit, nec poſt eum alius.

MESEMBRIA.

ΑΥΤ. Δ. (ſic.) Μ. ΑΝΤ. ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. ... ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝ. Gordiani & Tranquillinæ obverſa capita.)(ΜΕϹΑΜΒΡΙΑΝΩΝ. Æſculapius more Pæonio amictus baculum tenet, cui ſerpens implicitus.

AER. II.

Meſembriæ, dorice Meſambriæ numi oppido rari, qui nomine vultuque Imperatorum Romanorum

TABVLA IV.

glориantur. Cl. Eckhel unum deprehendit in præſtanti muſeo Ill. Comitis Vitzai cum icone Caracallæ, cujus pretium augeri ait, quod præter Severum, Gordianum & Philippos nullus adhuc in hujus urbis numis conſpectus eſt Imperator. *i*) Verum reclamat Hadrianus, quem vidit, aliisque videndum dedit Frœlichius Appendicula ad Vaillantium. *k*) Itaque Meſembriæ pecuniæ agmen (de noſtris temporibus loquor) Hadrianus ducit, Philippi claudunt. Æſculapius novus hujus urbis typus. Deus idem a proximis Maronitis cultus, ac in numis effigiatus eſt, cujusmodi apud Pellerinium *l*) exiſtit, hic ejus ſtatuam repræſentans, illic Maronem urbis conditorem, ni potius Ariſtæus ſit, quem ferunt „ primum omnium in eadem gente mel miſcuiſſe vino, ſuavitate præcipua utriusque naturæ ſponte provenientis. „ *m*)

Gordiani titulus ΑΥΤ. Δ. monſtrum offert. Crederem Δ ſcalptoris errore cælatum pro Κ, niſi ænigma non abſimile proponeret mox citatus Hadriani numus, cujus hæc inſcriptio: ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟC. ΔΙC. CEB. Frœlichius interpretatur ΔΙC. CEB. iterum

i) Num. vet. p. 58. *k*) p. 184. *l*) Rec. T. I. pl. XXXV. n. 32.
m) Plinius Hiſt. Nat. L. XIV. Sect. VI.

rum Auguſtus, „ & conjectat græculos Thraces, quod paſſim in aliis Latinorum juxta ac Græcorum numis & monumentis obſervarent numerum quemdam Imperatorio aut Conſulari titulo, vel Tribunitiæ Poteſtati adjungi, ſive annos imperii adſignari, hunc imitatos fuiſſe morem, cenſuiſſeque ad Auguſti quoque titulum annorum poſſe notam adſcribi. Quid ſi noſtro pariter in numo litera Δ initialis foret τȣ ΔΙϹ, adeoque legendum: ΑΥΤ. Διϛ. Μ. ΑΝΤ. &c. hoc eſt: Imperator Bis M. Antonius &c.? TABVLA IV.

Aliquantiſper adhuc moratur litera Σ, quam præſens numus & rotundæ & quadratæ formæ oſtentat. Præbet alterum ejus rei exemplum Anchialus Thraciæ, cujus moneta in auctoris muſeo, Gordiani pariter & Tranquillinæ vultibus conſpicua, ſcribit: ΓΟΡΔΙΑΝΟϹ. CEB. Prætereo alias non paucas Europæ Aſiæque urbes, quibus eam literam eodem in numo variare placuit, imo vero in eodem vocabulo, ut Aphrodiſias in Caria *n*) Soæmiæ Aug. nomen expreſſit ϹΟΑΙΜΙΑϹ. Vel unius Thraciæ civitates luculenter docent, lunatum quadratumque ſigma eadem va-

n) Pellerin Mel. II. pl. XXX. n. 2.

TABVLA IV.

valuiſſe ætate, fuiſſeque promiſcue adhibitum, prout artificum ferebat libido. Ex quo Illius judicium neutiquam adridet, qui Automalæ Cyrenaicæ urbis numisma, a Gorio productum, eo quoque nomine fraudis inſimulat, quod ſigma triplici forma, nempe Σ. C. atque ⊏ effigiat. Eam monetam facile αγνησιολιτȣς abſolverem, niſi graviora latentis doli obſtarent indicia. Generatim Virorum doctiſſimorum complures de ætate quoque τȣ ⊏ minus recte ſentire video. Auguſto vix antiquius plerique putant, præcinente magno Spanhemio. *o*) Aſt fuit jam adhibitum in literato Archidami clypeo, quem Amyclis Laconicis celeberrimus Fourmontius inter Apollinis templi rudera detexit. *p*) Floruit autem Archidamus, Spartanorum rex & filius Ageſilai, trecentis & amplius annis ante Auguſti tempora. Nec minus occurrit in urbium monetis remotiſſimæ vetuſtatis, Siridis in Lucania, *q*) Agrigenti, *r*) & Meſſanæ *s*) in Sicilia. Id verum, ab Auguſti ævo, præcipue poſt Antoninos, frequentius atque ante fuiſſe uſurpatum in numis, marmoribusque; verum hoc falſiſſimum, cœpiſſe tum de-

o) De Præſt. Num. Diſs. II. p. 102. *p*) Mem. de Bell. Lettr. T. XVI. *q*) Pellerin III. Suppl. Pl. III. n. 9. *r*) Apud eundem Rec. T. III. pl. CVIII. n. 7. *s*) Scriptores Hiſt. Rom. Lat. Heidelb. T. I. p. 320. Tab. XLII.

demum adhiberi. Uſus ejus familiarior tamen Aſiæ populis, quam Europæ fuit. Ut taceam reges Commagenes, Armeniæ, Parthiæ, Ponti, Judææ, notavi plurimas Galatiæ, Phrygiæ, Myſiæ, Lydiæ, Bithyniæ, Ciliciæ, Syriæ, Phæniciæ, & Palæſtinæ urbes in adverſariis meis, quarum numi autonomi quadratum exhibent ſigma. Contra vero Europæ monetis inſcriptum non deprehendi extra Italiam & Thraciam late ſumtam, inſulasque Cretam, Melum, & Siphnum; & quamvis lunata figura, nempe c, generatim loquendo, communius adriſit ob facilitatem ſcribendi, quoniam uno ſtyli ductu formatur, quadrata nihilo ſecius multo tempore vigebat. Gallieni quidem ætate paſſim adhuc in ære vetere legitur. TABVLA IV.

Hæc quæ de uſu & antiquitate literæ ᴄ potiſſimum e numis diſputavi, cave minuta exiſtimes, aut inutilia. Hallucinati ſunt in definienda numorum, gemmarum, lapidumque ætate ſæpe ac multum, qui ſiniſtra hac in parte ducebantur opinione. Poſſem exempla facile congerere, ſi numerarem in deliciis aliorum ſphalmata venari.

TABVLA IV.

VLPIA PAYTALIA.

ΑΥΤ. Κ. Μ. ΑΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟϹ. Caput laureatum Elagabali.)(ΟΥΛΠΙΑϹ. ΠΑΥΤΑΛΙΑϹ. Duo ſigna militaria, inter quæ ara encarpis ornata, cui aquila inſiſtit coronam roſtro tenens.

AER. II.

Facies imberbis ac elegans Elagabalo præ Caracalla convenit. Sub neutro invenias præſentem numum deſcriptum. Hæc ejus unica laus eſt. Averſæ typus commentario non eget.

SERDICA.

N. 5. Α.. Κ·Λ·ϹΕ·Ϲ..ΗΡΟϹ. Septimii Severi protome.)(ΗΓΕ. ΚΑΙΚΙΝΑ. Α.... Tropæum inter duos captivos: infra ϹΕΡΔΩΝ.

AER. II.

Erat Septimius Severus, ut Herodiani *t*) verbis utar, „ clariſſimus omnium Imperatorum bellicis operibus. Neque enim aut civiles quisquam adverſus

t) Hiſt. Lib. III.

ſus inimicos, aut externas adverſus barbaros totidem alius victorias reportavit. „ Civilem an externam Severi victoriam Serdicenſes celebrent in hoc numo, definiri ſatis tuto poteſt; ſiquidem captivorum habitus is eſt, qui hominibus barbaris, non Romanis congruat. Hinc tropæum nihil ad Peſcennium vel Albinum pertinet, imperii æmulos ſuperatos, ſed ad Parthos Britannosque devictos. Magiſtratum, cujus primæ tantum literæ tempus edax pepercit, nobis alter ſervavit Pautaliæ numus a Frœlichio editus, *u*) qui una parte Severi caput, altera ejusdem ſtantis ſimulacrum exhibet cum circumſcriptione: ΗΓΕ. ΚΑΙΚΙΝΑ. ΛΑΡΓΟΥ. Tabula IV. N. 5.

Sunt, qui Serdicam ſeu Sardicam inferiori Mœſiæ potius, quam Thraciæ adnumerent, a qua immenſis Hæmi montibus disjungitur. Urbs olim potens, a Trajano Ulpiæ nomen ſortita, concilio memorabilis, hodie, ut putant, Triaditza.

PHILIPPOPOLIS.

... ANTONIN.. M. Aurelii caput laureatum.)(ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ. Aquila expanſis alis.

AER. III.

u) Cimel. Auſtr. T. I. Tab. XVII. n. 3.

Tabvla IV. Apud Vaillantium duæ aquilæ volant, roſtris coronam ſtringentes. Ex hoc numo avolavit altera, & quæ remanſit, ſertum amiſit.

LYSIMACHVS.

N. 6. Caput imberbe galeatum.)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧΟΥ. Dimidius leo, ſubtus ferrum haſtæ, in area caduceus & ΛΟ.

AER. III.

In muſeo Theupoli talis numus indicatur, *x*) ſed attributis per aream deſtitutus. Huic Cl. Cary, auctor elegantiſſimi operis: Hiſtoire des Rois de Thrace & de ceux du Bosphore Cimmerien, dediſſet locum in tabulis æreis, quemadmodum adfirmat, ſi ejus ectypi potiundi facultas ſibi ulla fuiſſet. Mihi, cui fortuna non ectypon, ſed ipſum obtulit numum, pergratum ac volupe accidit illud exequi, quod Viro erudito non licuit. Caput galeatum Lyſimachi credo, aut verius Martis. Palladis quidem certe non eſt, quam ſolent antiquarii cum Marte confundere. Leonis ſignati cauſas recenſet laudatus Cary. *y*)

RHOE-

x) T. II. p. 1218. *y*) L. c. p. 41.

RHOEMETALCES I.

TABVLA IV. N. 7.

Sella curulis, ſeu throni genus, cui monogramma inſcriptum. Superne caput, in area ſceptrum, epigraphe deleta.)(ΣEB. . OT. lege ΣEBAΣTOT. Capricornus cum globo, cornucopiæ, & haſta pura.

AER. III.

POIMHTAAKOT, Rhœmetalcis I nomen ex antica penitus obliteratum. Id ſupplent numi duo, quos e muſeo Regis Galliarum produxit Cl. Cary, z) ab hoc tamen diſcrepantes. Quæ throno imminet effigies, videtur eſſe Cotyos Rhœmetalcis filii. Et vero apud laudatum auctorem *a*) monetam video, quæ ſociatos dicti regis conjugisque vultus, atque in area literas BA. & ſimile caput parvum oſtentat, quod Sequinus & Patinus Veneris exiſtimant, Cary vero propius Cotyos eorum filii. Cetera per utramque aream diſperſa ſymbola nihil negotii faceſſunt. Eorum ſenſum, uti Rhœmetalcis I fortunam pridem executus eſt eruditiſſimus Cary in hiſtoria regum Thraciæ.

z) L. c. p. 68. *a*) Pl. II. n. 6.

TABVLA IV.

* * *

ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΡΟΙΜΗΤΑΛΚΟΥ. Capita jugata Rhœmetalcis I. ejusque uxoris, aut filii Cotyos.)(ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΚΑΙΣΑΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. Auguſti Caput nudum.

AER. II.

Sola epigraphe circum Auguſti protomen ab editis differt.

THASVS INS. AD. THRACIAM.

N. 8. Faunus vetulus genu flectens phialam tenet.)(ΘΑΣΙΩΝ. antiquiſſimæ formæ literis. Diota intra quadratum.

ARG. III.

Is numus e ſolo Golzio *b*) cognitus, cujus auctoritas plus æquo laboravit hactenus. Quapropter ad vindicandum egregii Viri fidem, non abs re putabam, pervetuſtum ac elegans νομισματιον reſtituere. In hoc tamen peccat Golzianum ectypon, quod Herculem Scypho armatum effigiat. Ego Faunum bene

b) In Græcia T. XIII. n. 7.

ne caudatum dilucide agnoſco. Is pariter in Naxi Siculæ argento frequenter conſidet, lætusque phialam ori admovet, quaſi ſtrenue potaturus. Et fuit eadem Fauni ſignandi cauſa Thaſiis, quæ Naxiis, nobilitas vitium, quæque inde conſequitur, Bacchi religio. Thaſium vinum multis laudibus celebrant Comici Græci paſſim, & Athenæus & Plinius. TABVLA IV. N. 8.

PAEONIA.

AVDOLEON.

Caput Jovis laureatum.)(ΑΥΔΩΛΕΟΝΤΟΣ. Eques galeatus: in area ſignum incuſum triquetræ ſimile. N. 9.

ARG. I.

Pæoniæ reges numerantur Deon, Beſantis regina, Dropion, Agis, Audoleon a Philippo II. victus, & Ariſton ejus filius, a Lyſimacho paterno regno reſtitutus, moxque per fraudem exutus. Horum ſolus eſt Audoleon, cujus nomen in vetere pecunia vivit. Frœlichius c) ejus tetradrachmum vulgavit no-

c) Ad Num. Reg. Acceſs. Nov. p. 45.

Tabula IV. N. 10. noſtro plane geminum, ſi notam incuſam excipis, accurateque obſervat, barbaram ejus numi fabricam plurimum accedere ad ſpeciem eorum numismatum argenteorum rudis etiam operis, quæ ſimiles utrinque typos, ſæpe caput mire ornatum, & pro equite varia animantia & monſtra, vel ſine vel cum epigraphe plerumque barbara exhibent, cujusmodi frequenti numero e Pannoniis Daciaque ad nos deferuntur; ex quo porro conjicit, hujus generis tetradrachma vicinis Pæoniæ Macedoniæque regionibus, præſertim qua Thraciam & Mœſiam contingunt, eorumque Principibus eſſe tribuenda. Ea Viri doctiſſimi conjectura magnopere firmatur, evehiturque ad certitudinis gradum præſente numo Audoleontis, cui ſignum impreſſum eſt ad formam triquetræ. Nam eandem prorſus notam ea referunt tetradrachma, de quibus negotium agitur. En tale mei muſei cum lite-

N. 10. ris ΠΕ Tabula IV. expreſſum. Tanta ejus cum Audoleonte conformitas, qua major eſſe nequit. Communia argumenta. Eadem moles, pondus, metallum, artificium; ſed quod rei ſumma, vel ipſa triquetra ſupra equitem adeſt, ſolo diſcrimine, quod hæc Audoleontis numo incuſa ſit, in altero formis emineat, redeatque ſecundo. Num fas erit dubitare amplius, quin uterque numus ſin minus ad eandem,

dem, certe confinem patriam pertineat. Et nonne ex his manifeſte ſequitur, cetera quoque talia tetradrachma partim literata, partim anepigrapha, aut in ipſa Pæonia, aut in conterminis Pæoniæ terris lumen vidiſſe tanto certius, quod ibi tam prodigioſa, ut audivimus, fere indies multitudine eruantur*? Per Daciam quidem obvia, & pro Decebali numis communiter ab indigenis haberi, ſemel atque iterum coram teſtatus eſt Exc. Baro Bruckenthal, TABVLA IV. N. 9. & 10.

* Druantillæ Aug. monetæ ſatis cognitæ Eruditis e Supplemento Rhellii ad Vaillantii Imperatores Rom. ſed ubinam illa gentium, & cujus uxor tyranni fuerit, hoc quidem incognitum, tacentibus veterum commentariis. Si quis meam exquirat ſententiam, audacter Druantillæ quoque ſedem in Pannonia, Mœſia, vel Dacia figo, propterea quod ejus denarii nuſpiam alibi, quam hoc terrarum tractu obveniant. Et quid, ſi Sponſiani thalamo jungenda foret, cujus ignoti pariter tyranni aureos quinque numos in Dacia ſupra recenſui? Profecto utriusque ætas, ſpectata numorum fabrica, non admodum differre poteſt, videturque in Gallieni tempora incidere. Usque modo Druantillæ quatuor numos, omnes argenteos, contrectare mihi licuit in Theſauro Cæſareo, Comitumque Arioſti & Nadaschdy Vindobonæ. Quartum ego detexi, intulique præſtanti muſeo Exc. & Reverendiſſimi Dom. Georgii Klimo, Epiſcopi Quinque-Eccleſienſis in Hungaria νυν εν' Αγιοις, cujus erga Rempublicam Literariam merita, ac erga me beneficia majora ſunt, ac ut dicendo adſequi poſſim.

TABVLA IV. N. 9. & 10. thall, Magni Tranſylvaniæ Principatus Gubernii Præſes, quem recte meritoque Bono Patriæ, ac Reipublicæ Literariæ natum dixeris. Ad hæc tam copioſi tantæ molis numi argentei ſupponunt patriam argento plurimo divitem. Quis autem Daciæ, Mœſiæ, Pæoniæque montes argento fuiſſe antiquitus, eſſeque hodiedum gravidos ignorat?

His ita confirmatis, ſit mihi fas nonnullos hujuscemodi numos barbaros hoc loco depromere e mea penu necdum vulgatos. Neque enim aut opportunior alius de iisdem diſſerendi locus & occaſio erit, aut eorum examen utilitate carebit.

*
* *

N. 11. BIA. Duo capita juncta, aliud laureatum, aliud galeatum.)(BIATEC. Eques decurrens læva manu ramum portans.

ARG. I.

Singularis hæc eſt moneta, quæ anticæ BIA inſcribit. Ceteræ, notatæ ſolo nomine BIATEC ſub equite, nullo pretio ſunt, atque in Auſtriæ Hungariæque muſeis vel tenuiſſimis redundant. De Wilde,

Har-

Harduinus, Begerus, Morellius, Havercampus varie de iis ſentiunt, male omnes. Neque felicior hac in parte Pellerinius optimus, qui ad veteris Hiſpaniæ regulos & principes animum adjecit. *d*) Florezius, qui omnem antiquam patriæ ſuæ pecuniam ſummo ſtudio collegit, nitidisque commentariis illuſtravit, hoc genus monetarum alto premit ſilentio, parte quoque tertia, cui tamen ſupplementi loco Hiſpanicas omnes e Pellerinii gaza intulit. Unde patet, ejusmodi neque copioſius occurrere per Hiſpanias, neque patriam fuiſſe habitam pecuniam a præfato auctore. TABVLA IV. N. II.

Supra in Dacia Gordiani III. Philippi, & Sponſiani numos aureos memoravi, cuſos ad exemplar Romanæ monetæ a barbaris, ſervo pecore, quibus imitari ſolemne. Illuſtre ſervilis imitationis exemplum denuo vides in numis BIATEC. Quis enim eſt, quin ſlatos intelligat ad normam denariorum Familiæ Fuſiæ, qui eadem jugata capita præferunt, adſcriptis inſuper nominibus HO. VIRT. id eſt: HONOS VIRTUS, ut Morellio *e*) dudum ſuboluit? Hæc obſervatio multi momenti eſt. Namque ſimul eluceſcit,

S 2 æta-

d) Rec. T. I. p. II. *e*) Epiſt. ad Perizonium p. 211.

TABVLA IV. N. II. ætatem numiſmatum BIATEC non poſſe removeri ultra annum V. C. DCLXIV. quo ex mente Havercampi, citatos denarios Triumviri Monetales Calenus & Cordus feriri juſſerunt.

Superant ex auro quoque numi barbari, qui nomen BIAT. fatentur, initiale fortaſſis τȣ BIATEC, quemadmodum το BIA noſtri tetradrachmi abbreviatum nomen eſt, quod plenum legitur ex altera parte, nimirum BIATEC. Talem gazæ Cæſareæ jam ſeptem ante annos in ære incidi curavi præfigendum diſſertationi, quam tum animo parabam de hoc incognito aureorum numorum genere. Ut puto, ejus exemplar neque hic intempeſtivo erit loco.



Equidem attentione ſemper digniſſimum habui, quod forma, pondere, mole, aurique puritate ad amuſ-

amuſſim exæquet aureos illos, qui anno MDCCLXXI. ad octoginta circiter pondo Auſtriaca inventa ſunt juxta pagum Podmocl in Bohemia. Ejus omnimodæ ſimilitudinis vadem eo confidentius agere auſim, quod ipſe indulgentia Celſiſſimi Caroli Egonis, S. R. I. Principis ab FÜRSTENBERG, Regii Bohemiæ Gubernii Præſidis, Dominique prædii Pyrglitz, quo ſpectat prædictus pagus, haud exiguam numorum illorum vim diligenter contenderim cum citato aureo muſei Cæſarei, cujus inſcriptio BIAT. Novi ſane, quid Rev. ac doctiſſimus P. Adauctus Voigt, *f*) quid alii de hoc aureorum numorum genere ſenſerint. At mihi ſemper ſcrupulus adhæſit, debeantne fortaſſe in Pæoniam, Mœſiam, terrasve revocari conterminas, facem præferente Cæſareo omnibus partibus æquali, quem epigraphe BIAT ejusdem tractus partum prodere videtur, cujus argentei ſunt cum nomine BIA. & BIATEC. Suſpicionem nuper auxit paulo ante laudatus Celſ. Princeps, Muſarum eorumque, qui Muſis vacant, cultor fautorque multo maximus, transmiſſo ad me ſub finem elapſi anni barbaro tetradrachmo ex eorum genere, quibus jam ſuam conſtituimus pa-

TABULA IV. N. II.

S 3 tri-

f) Schreiben an einen Freund &c. Prag. 1771. item Beſchreibung der Böhmiſchen Münzen. I. B. S. 235.

TABVLA IV. N. 11. triam, adjectaque epiſtola, in qua pro ea, qua erga me eſt, benevolentia ſumma ſignificat, eum numum fuiſſe in prædiis ſuis erutum una cum pluribus aureis ejusdem indolis, cujus ii, qui ad locum Podmocl detecti ſunt. Ex eo, inquam, vetus mea ſuſpicio magnopere crevit. E præcedentibus extra controverſiam arbitror, rudis operis tetradrachmum illud, ſicut reliqua hujus generis, ſpectare Pæoniam, Mœſiam, vel unam e finitimis provinciis. Si hoc eſt in eo tractu domeſticum, ut certo eſt, licet e Bohemiæ viſceribus extractum, quid prohibet idem conjicere de aureis ibidem, ac ſimul cum argenteo effoſſis, invitante præterea in Pæoniæ viciniam Cæſarea ſimili moneta cum epigraphe BIAT? Sed hæc quamvis a veritate non omnino aliena videantur, tamen non dicta ſunto, niſi ſolum per conjecturam. Forte

- - - - - - - felicibus inde
Ingeniis aperitur iter.

Utinam eſſent, qui ſolicite indagarent, num ejusmodi numi aurei & in prædicto terrarum tractu frequentius eruantur! Tum enim vero delatos exinde in Bohemiam fuiſſe, luculentius emergeret.

*
* *

Tabvla IV. N. 12.

covnos. Caput imberbe.)(Eques.

ARG. I.

Quæ Principum aut Dynaſtarum nomina craſſæ Minervæ tetradrachmis argenteis (de his tantummodo mihi res eſt) impreſſa deprehendi, in unum collecta ſubjicio. Poſtremum non ipſe vidi numum, ſed e Pellerinio mutuavi. Ceteros omnes hiſce manibus verſabar per Auſtriam atque Hungariam.

ΛΛ. ti. adna. Numus Pellerinii, *g*) & auctoris. Alter Ill. Domini Ferd. Freisleben, Conſiliarii Aulici, & archivo Cæſareo præfecti Vindobonæ, clare: ADNΛΛ. AI.

AIAIO. XIR.	ECCAIO. item EICCAIO. & HCCAIO.
ATTA.	EVOIV. XIR.
AVSCRO.	FAPIEΩ.
BIATEC. In meo redit BIA.	AEMT.
BVSV. & BVSSV.	AIONNOS.
COBLIOB.	

COV-

g) 1. Suppl. Pl. 1. n. 3.

TABVLA IV. N. 12.	COVNOS.	NENET vel ΛENET. contra-ctis prioribus duabus literis.
	DONNVS.	SVICCA
	DVBNO.	- - NGE.
	MONNOC. & retrograde ƆONNOM.	

Huc item ſpectant numismata copioſa, tetradrachmis Philippi II. ejusque filii Alexandri Magni ſimilia, plus minus rudia, ſed quæ regum illorum nomina characteribus turbatis ac peſſime ductis miſerum in modum torquent: ſæpe lingua loquuntur ignota. Hæc longo poſt Philippum & Alexandrum denique annorum intervallo a Macedoniæ, Thraciæ, Mœſiæ &c. barbaris fabricata videntur. Nonnullis incuſæ notæ. Talia noſtræ ſuppellectilis eruditus
N. 13. & 14. Lector intuebitur Tabula IV.

Mentione vix habeo dignos innumeros hujus generis numos, ſed nulla inſignes epigraphe, quibus accenſendus & ille videtur, quem Celeberrimus Dutens e ſuo theſauro produxit, Ætolisque adjudicavit. *h*) Ad fabros aurarios hæc inſipida barbarorum pin-

h) Expl. de Méd. Gr. & Phén. Pl. I. n. 2.

pinguis ingenii monumenta, unde nihil didiceris! Sequens tamen numus illiteratus neutiquam erat diſſimulandus. TABVLA IV.

*

* *

Protome incognita, pone quam arbuſculæ genus.)(Avis facie humana. N. 15.

Similem poſſedit Pellerinius *i*) cum inſcriptione ΓΑΡΙΕΩ, qua ductus Vir ſummus, reique numariæ Parens, eam monetam Phariæ ſeu Pharo, Adriatici maris inſulæ, tribuit. Verum hoc privanda honore eſt, certiſſimeque rejicienda in claſſem barbaræ pecuniæ, de qua mox egimus. Quod typos attinet, Terentianum illud recte pronunties: „ incerta hæc, ſi tu poſtules ratione certa facere, nihilo plus agas, quam ſi des operam, ut cum ratione inſanias „ De monſtro pennato multum ſibi complacuiſſe videntur monetarii barbari; nam iſtud ſæpius deprehendas in hiſce numis. Quidam τῳ ΓΑΡΙΕΩ ſubſtituunt nomen ΑΙΛΙΟ. ΧΙΡ. cujusmodi plures vidi, & habuit etiam Ari-

i) Rec. T. III. pl. CXIV.

TABVLA IV. N. 15. Arigonius. *k*) Meus illiteratus. Sed piget diutius inter monſtra verſari. Macedoniam peto.

MACEDONIA.

NEAPOLIS.

TABVLA V. N. 1. Larva exerta lingua.)(Quadrum incuſum.

ARG. II.

Numis numi quam optime illuſtrantur. Ejusdem prorſus formæ larva, cujus

- - - - - - - - hiatum
In gremio matris formidat ruſticus infans

ii numi horrent, quorum pars antica muliebri capiti adſcribit ΝΕΟΠ. hoc eſt: ΝΕΟΠΟλιτῶν Unde nequit dubitari, quin ad hos Neopolitanos & præſens pertineat. Conſentit Cl. Eckhel, qui ſimilem, ſed minutæ formæ, eodem nixus argumento, eandem ad urbem revocavit. *l*) De Perſonis, ſeu larvis prolixe tractarunt Boindinus Diſcours ſur les Masques des An-

k) Inter incert. T. IX. n. 13. *l*) Num. vet. p. 65.

Anciens, *m*) & Ficoronius opere Romæ vulgato: Maſchere ſceniche &c. * Perſonam in ære Neapolis conſpicuam, referri ad Bacchi ſacra, quæ per Thraciam & Macedoniam multo furore peragebantur, obſervatum pariter jam fuit. TABVLA V. N. I.

ARCHELAVS II.

Galea intra quadrum e formis eminens.)(Equus gradiens. N. 2.

ARG. III.

*
* *

Caput regis diadematum.)(ΑΡΧ.Λ.Ο. lege ΑΡΧΕΛΑΟ. Equus gradiens freno ad terram defluente. N. 3.

ARG. I.

Archelai numi raritatis tam exquiſitæ, ut ægre reperiantur in muſeis etiam laudatiſſimis. Quidam regis nomen, ut ejus fratris Alexandri II., aut ſi mavis, Alexandri I. reticent, dignoſcendi e ſymbolis, qui-

* Verus ejus operis auctor a Winkelmanno proditur R. P. Contucci. Monum. Ant. vol. II. p. 59.

m) Mem. de Bell. Lettr. T. IV. p. 132.

Tabvla V. N. 2. & 3.

quibus alii ſimiles ΑΡΧΕΛΑΟ nomen addunt. Eo uſus criterio priorem e noſtris, alterumque muſei Pelleriniani *n*) huic regi adſtruo, quia ſimillimus apud eundem Auctorem exſtat cum luculenta epigraphe: ΑΡΧΕΛΑΟ. *o*)

Poſterior nonnihil differt ab eis, qui Theſaurum Brandeburgicum & Pembrokianum exornant. Ad hæc quadratum ſive impreſſum, ſive prominens, hactenus in omnibus Archelai numis obſervavi alterutra ex parte. Id omnino jam abeſt e noſtra moneta, ex quo artis monetariæ progreſſum non ſine voluptate ſub eo rege intuemur.

Caput Archelai diademate vinctum. Velim ergo libenter edoceri, quo demum pacto cum iſtorum numorum fide certa conſiſtere poſſit Jac. de Wilde, Spanhemii, eorumque ſententia, qui Alexandrum Magnum e Macedoniæ regibus primum diadema geſtaſſe, atque in Græciam introduxiſſe defendunt, ex imitatione videlicet Darii Perſarum regis, quem Alexander debellavit. Erroris cauſa videtur, quod inter diadema Perſicum & Macedonicum diſcernere

Vi-

n) Rec. T. I. pl. XXIX. n. 8. *o*) Méd. des Rois. pl. I.

Viri eruditi neglexerint. Hujus dudum ante Alexandri tempora in Macedonia obtinuit uſus: * illius ab ætate demum Perſiæ devictæ. Hoc Diodorus Siculus *p*) & Curtius *q*) haud obſcure docent. Prior *το περσικον διαδημα*, alter „ purpureum diadema albo diſtinctum, quale Darius habuerat, „ capiti circumdediſſe Alexandrum perhibet. Fuit igitur Perſicum, quod Alexander adoptavit, addiditque Macedonico; ac ipſo adeo colore diverſum a communi, quod candidi erat coloris.

Tabvla V. N. 2. & 3.

Fuerunt, qui hujus generis numos omnes Archelao primo adjudicaverint: ſecundo, nempe Amyntæ III. e Gygæa filio, & fratri Philippi II. tribuendos putat Frœlichius. *r*) Hujus ſi vera eſt opinio, mallem & argenteos ΑΛΕΞΑΝΔΡΟ, qui Macedonem una manu equi frena, altera duas lanceas tenentem, atque in averſa quadratum incuſum exhibent, aut hic Jovis effigiem, illic equum gradientem, ab Alexandro primo ad ſecundum transferre. Sane equus eo-

* Quod mirere, Spanhemius ipſe Archelai caput diadematum profitetur de Præſt. Num. Diſs. VII. p. 376.

p) Hiſt. l. XVII. *q*) L. VI. c. XIV. *r*) Ad. Num. Reg. Acceſs. nov. p. 49.

Tabvla V. N. 2, & 3. dem modo graditur in tetradrachmis Amyntæ III. & Perdiccæ III. quorum prior parens, poſterior frater Alexandri II. & Archelai II. erat.

ALEXANDER III. MAGNVS.

N. 4. Caput imberbe Herculis, leonis exuviis tectum.)(ΒΑΣΙΛΕΩ - ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Juppiter ſedens d. tenet aquilam, s. haſtam puram. In area Pallas dextra fulmen vel haſtam intorquet, læva clypeum obtendit.

Neſcio, quo pacto contingat, ut inter tot numos Alexandri Magni, qui caput Herculis, ſedentemque Jovem oſtentant cum nomine ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, jam addito, jam neglecto ΒΑΣΙΛΕΩΣ titulo, nec unus innotuerit hactenus, quem certo conſtet in Macedonia cuſum; & tamen eſſe, qui lucem ibi conſpexerint, vix & ne vix quidem dubitari poteſt. Cl. Eckhel quos hujus generis deprehendit variis in urbibus flatos, operoſe collegit, atque uno ſub conſpectu propoſitos recenſuit; *s*) non reperit tamen, Golzianis demtis, quorum patriam in Macedonia, quin imo Eu-

s) Num. vet. p. 70.

Europæa in Græcia tuto figeret. Dubii omnes, aut ſiniſtre explicati, quos Amphipoli, Aſsæ, aliisque Macedoniæ urbibus tribuebant varii auctores, fallacibus ducti criteriis. Haud equidem ſcio, num hac in parte ſim felicior anteceſſoribus meis futurus. Interim iſtud, cujus ectypon vides, Alexandri M. *τετραδραχμον* potiore ſaltem jure Macedoniæ concedendum opinor, aut uni ex adhærentibus regionibus, Theſſaliæ vel Epiro; quod ne invita Minerva ſtatuiſſe videar, ipſam viæ ducem ſequar.

TABVLA V. N. 4.

Hæc dea pone Jovem ſedentem conſiſtit in area ſimillimo prorſus habitu, quo ſolet in ære Demetrii Poliorcetis, Antigonæ Gonatæ aut Doſontis, & Pyrrhi Macedoniæ regum adeſſe. Quidni ex eo pronum ſit argumentari, ad eandem regionem ſpectare noſtram quoque monetam? Hac deæ imagine feliciter uſus eſt pari modo Cl. Eckhel, ut argenteum Alexandri Pyrrhi filii numum, per diverſas antea regiones vagatum, in Epirum reduceret. *t*) Fuit nempe Minerva Itonia ſumma religione culta Theſſalis, finitimisque Epirotis & Macedonibus, quorum in

t) L. c. p. 104.

Tabvla V. N. 4.

in numis propterea frequens viſitur eadem forma, eodemque cultu, quo comparet in meo, nempe haſtam aut fulmen dextra vibrans, pendentibusque utroque de brachio alis. Et vero illæ alæ Palladi Theſſalæ peculiares fuiſſe videntur & characteriſticæ, quapropter Suidæ πτεϱυγες θεττaλικαι alæ Theſſalicæ vocabantur. Itaque ſi prædictam deam viæ ducem & eligam, & ſequar, quo alio deferar, quam recta via in Theſſaliam & Macedoniam? Non nego, tali habitu, qualem præ ſe fert in hoc tetradrachmo, extra Theſſaliam, Epirum & Macedoniam videri Palladem. Id negarem contra fidem numorum, quos Syracuſæ Siciliæ, *u*) Side Pamphyliæ, *x*) regesque Syriæ procuderunt, Seleucus I. vel II. apud Haymium, *y*) atque Antiochus II. apud eundem, *z*) aut quemadmodum Pellerinius cenſet, *a*) Antiochus IV. rex Commagenes. Sed iſtud parum angit. Cum enim Theſſala Pallas areæ inhæreat veluti teſſera & ſymbolum regionis, quæ numum ſignaverit, nonne par eſt, rectæque rationi conſentaneum, ut potius pro ea regione ſtemus, quæ eam deam tutelarem coluit,

u) Paruta in Sic. Num. T. LXIX. & ſqq. *x*) Pellerin Rec. T. II. pl. LXXI. n. 18. *y*) Theſ. Brit. T. I. Tab. I. n. I. & 2. *z*) T. II. Tab. III. n. 3. *a*) Méd. des Rois. pl. XIV.

Tabvla V. N. 4.

luit, ob eamque rem perpetuo in publica moneta, tanquam ſibi peculiarem jactavit, quam pro alia, quæ vix una vel altera vice eodem uſa eſt typo? Alioqui perſuaſum habeo, Itoniam Minervam in ære Syriæ regum, ſtirpem deſignare Macedonicam; neque alienum a veritate videtur, citatos ΣΥΡΑΚΟΣΙΩΝ numos, qui cum eadem dea Herculis imaginem conſtanti lege maritant, fuiſſe Syracuſis flatos, quo tempore Pyrrhus in Sicilia bellavit, & Syracuſanos, a quibus in auxilium arceſſitus eſt, Pœnorum obſidione liberavit; ſiquidem uterque numorum iſtorum typus prorſus ex ingenio Macedonum eſt.

Regionem, ni fallor, præſentis numi tenemus: urbem genitalem quis auſit decernere, niſi cui Juppiter in aurem ſuſurraverit? Pellæ tamen non vana ſuſpicio inceſſit. Patet opulentam, potentemque fuiſſe urbem, cui licuerit tantæ magnitudinis argenteos fabricare numos. At enim fuit Pella Macedoniæ, ut Melæ vocatur, „ & maxima & illuſtris, „ imo vero regum ſedes a Philippo Amyntæ ad Perſen uſque. Conjecturæ mirifice ſubvenit autonomus Pellæ numus apud Pellerinium *b*) cujus averſam Itonia Minerva oc-

b) Rec. T. I. pl. XXXII. n. 49.

TABVLA V. N. 4. occupat eodem habitu, quo pugnat in meo tetradrachmo.

*
* *

Caput Herculis leonis rictu ornatum.)(ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Juppiter ſedens, ut ſupra: per aream equus marinus, & duo monogrammata.

ARG. I.

Hoc numisma Lampſacus Myſiæ ſibi vendicat. Vadem ſe præſtat equus marinus, cujus typo Lampſacus delectatur. Drachmale non multum abſimile & Pellerinianum *c*) & noſtrum recondit muſeum. Ea urbs porro aliis ſe manifeſtavit criteriis in illo monetarum genere, quas Alexandri memoriæ dedicavit. Exſtat perelegans in cimeliarchio Ill. Dom. Ferdinandi Freisleben, Conſiliarii Aulici Vindobonæ, cujus per aream litera Λ, atque ardens lampas, & piſciculus occurrunt, manifeſta Lampſaci argumenta. Sic Methymna Lesbi alias lyram præter initiale nomen ΜΕ, alias Ariona delphino vectum ſignavit in numis, *d*) quos ejusdem regis honoribus feriri juſſit.

Ca-

c) Mel. T. I. pl. III. n. 14. *d*) Pellerin l. c. pl. II. n. 6. & 7.

*
* *

Caput Herculis, ut ſupra.)(..ΕΞΑΝΔΡΟ. Juppiter more ſolito: in area literæ ΑΣ, & ſub his triangulum, in cujus centro punctum eſt. TABVLA V. N. 5.

ARG. I.

Aſcalonis, antiquæ Palæſtinæ urbis, initiales ſunt literæ ΑΣ. De ſimili numo Alexandri, ſed annis epochæ ΚΓ (23) notato, Pellerinius nitide agit, *e*) corrigitque Panelium, qui tales Aſſam Macedoniæ urbem traduxit.

Prætereo plures Alexandri M. numos argenteos hujus muſei, variis per aream notis & ſiglis inſignes, ſed unde nihil certi eruas. Nam parvi æſtimantur, niſi perſpicuos urbium, a quibus cuſi ſunt, characteres in fronte gerant. Maximus iis honos, qui addunt vel epocham, vel nomen magiſtratus. Præſtanter de hoc genere monetarum, communi charactere, probabili uſu, conſignatis epochis doctiſſimi Duumviri tractarunt Pellerinius *f*) atque Eckhelius,

V 2 quo-

e) L. c. p. 115. *f*) Méd. des Rois p. 12. & Mél. T. I. p. 109. ſqq.

TABVLA V. N. 5.

g) quorum ſi perlegeris commentationes, vix ſupererit, quod deſideres. A priore in eo ſolum diſſentio, quod caput leonina pelle formidandum non Alexandri, ſed Herculis exiſtimem, nihil obſtantibus iis, quæ Vir maximus pro ſententia ſua tuenda diſſerit ad numum Seleuci I. Syriæ regis. *h*) Mihi quidem contrarium plane perſuadent numi regum Macedoniæ, qui Alexandrum M. præivere, Amyntæ III. Perdiccæ III. & Philippi II. nam horum tetradrachma eandem protomen exhibent, nempe quod genus ab Hercule ducerent. Explicatius hunc deum loquuntur ipſius Alexandri M. communes ex ære monetæ, quæ ſimillimum caput leonis pelle tectum, in averſa clavam, corytum & arcum ſubminiſtrant. Ea arma Herculi propria ſatis liquido produnt, cujus ſit alterius partis imago. Quippe averſa, ut moris eſt, adverſæ parti cohæret. Quod ſi Herculis, non regis, vultus in ære adeſt, cur quæſo, diſpar ſit argenti ratio? Veram & genuinam Alexandri effigiem ii tantum numi indulgent, quorum ex averſa, præter nomen regis, aut leo graditur, ſive Cupido leone vehitur: aut legitur ΚΟΙΝΟΝ. ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Β. ΝΕΩΚΟΡΩΝ. Priores ar-

g) Num. vet. p. 70. *h*) Méd des Rois p. 59.

argentei ſunt, regique videntur coævi. Poſteriores ærei, flati demum ſub Imperatore Severo Alexandro, Magni cultore ac imitatore ſtudioſiſſimo. Fingitur plerumque ore ſublimi,comisque eleganter undarum in morem ſinuatis. Non defuerunt, qui Alexandri vultum adeo in aureis ejus monetis intuebantur, quæ galeatum caput (Palladis nimirum, aliquando etiam inauribus ornatæ) & ſtantem Victoriam offerunt. Sed hæc jam vetulorum eſt opinio. TABVLA V. N. 5.

*
* *

Caput Apollinis laureatum: monogramma & literæ EA)(ΑΛΕΞΥΝΔ (ſic) clava, arcus & pharetra. N. 6.

ARG. III.

Monſtrum vides, barbarorum indubium fœtum, uti clamant periſtaſes omnes, fabrica rudis, epigraphe ΑΛΕΞΥΝ pro ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ, compoſitio duorum typariorum, quæ tam belle connectuntur, ac ſi delphinum ſilvis adpingas, & fluctibus aprum. Poſticam partem liquet Alexandro Magno fuiſſe ablatam, cujus ærei numi communes iisdem armis horrent medio nomine ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. Effigies Apollinis ex

TABVLA V. N. 6.

alia parte ſimillima forma, eodemque capillorum cultu ſpectatur in mille denariis Familiæ Calpurniæ, qui decurſorem equitem averſa repræſentant. Servilis inepti artificis usque adeo proceſſit imitatio, ut vel ipſam numi oram ſerratam fecerit, nempe ad exemplum pecuniæ Reipublicæ Romanæ. In Pannonia inferiore, ubi erutus eſt, domeſticum arbitror, ut ceteros tantum non omnes, qui Familiarum Romanarum æmulantur denarios, ſed craſſo artificio, contortisque characteribus partim Latinis, partim Græcis, cujusmodi frequentes Vindobonam ex Hungaria mittunt. Horum aliqui Eruditos male torquebant. Sic Frœlichius non reperit, quid conſilii caperet de numo a ſe vulgato, *i*) cujus una pars ei Ptolemæum objiciebat, Jubæ II. Mauretaniæ regis filium, alia recte videbatur ſpectare ad gentem Mamiliam, quæ Ulyſſem comite cane ſignavit. Quid multis opus erat? Numus, & a me viſus, barbarus eſt, ac nullatenus Ptolemæi vultum nomenque, ut Frœlichius putabat, ſed caput miſere fictum exhibet cum inconcinna epigraphe: TΘV IVVIL, unde nulla vi Ptolemæi nomen elicias. Si petas, quid hæc ſibi velit inſcriptio,

i) Reg. vet. Num. Anecd. T. III. n. II. p. 85.

ptio, aut cujus viri caput ſit, cum Horatio reſpondebo: Tabvla V. N. 6.

Deſine . . . : . . . ſectarier, unde laboris
Plus haurire mali eſt, quam ex re decerpere fructus.

THESSALIA.

OETA.

ΟΙΤΑΙΩΝ. Hercules nudus, capite radiis circumdato, ambabus manibus clavam attinet.)(Caput leonis ore ſpiculum tenentis. N. 7.

ARG. III.

Geographi veteres Othryn, Oetam, Callidromum, Coracemque ita conjunxere, ut nominibus diverſi, re unius ejusdemque montis partes videantur. Othryos incolæ, diſſimulati veteribus omnibus, æterna forent oblivione ſepulti, niſi eorum memoriam ſervaſſet unicus in hanc diem muſei Cæſarei numus, quem Cl. Eckhelii debemus induſtriæ. *k*) Meliore fortuna uſi Oetæi, monti cognomines, dudum cogniti & numorum & ſcriptorum auctoritate. Antonius Liberalis etiam urbis conditorem nominat, *l*) Amphiſſum Apol-

k) Num. vet. p. 89. *l*) Metam. c. XXXII.

Tabula V. N. 7.

Apollinis Dryopesque filium. Et præclare conſentit ejus urbis moneta Pembrokiæ Comitis, *m)* ac Pellerinii, *n)* quæ laureatum Apollinem antica exhibet, nempe generis auctorem. Hæcatque alia diverſa muſei Pelleriniani, utraque ærea, Oetæorum ſolæ ſunt monetæ, quæ ad noſtra tempora in apricum protulit ætas. Jis tertiam nunc addo, ſpectato metallo unicam, artificio, cujus veneres nec verbis, nec ſcalpro digne exprimas, nitore atque elegantia inſignem. Nec argumentum ejus ignobile. Oetæus Hercules quem fugit? Stat heros ille adverſo corpore, nudus totus, jam hominem flammis exutus rogi, jamque indutus ſemideum, ambabus manibus clavam ſuſtinens, quam nec in deorum adlectus cœtum dimiſit unquam, atque Αςεροχιτων. Fere ſimili ſpecie comparet in Sarda muſei Florentini, *o)* caput pariter ſtellis & radiis circumdatus. A Nonno etiam tunica ſtellis diſtincta ornatur, atque ab Orpheo proditur capite auroram noctemque gerere. Pluribus non indigemus. Si plura noſſe cupis, Poetas adi, cumprimis Senecæ tragœdiam, cui titulus: „ Hercules Oetæus „ & Nicandri Oetiaca. Nos Ovidii tantum elegantem locum ſubji-

---

m) P. 2. T. 23. *n)* Rec. T. I. pl. XXVIII. n. 34. *o)* T. I. Tab. XXXIX. n. 8.

jicimus, quo herois noſtri in Oeta apotheoſin magnifice deſcribit. *p*) TABVLA V. N. 7.

Interea quodcunque fuit populabile flammæ,
Mulciber abſtulerat; nec cognoſcenda remanſit
Herculis effigies, nec quidquam ab imagine ductum
Matris habet, tantumque Jovis veſtigia ſervat.
Utque novus ſerpens, poſita cum pelle ſenecta,
Luxuriare ſolet, ſquammaque nitere recenti:
Sic ubi mortales Tirynthius exuit artus,
Parte ſui meliore viget, majorque videri
Cœpit, & auguſta fieri gravitate verendus.
Quem Pater omnipotens inter cava nubila raptum
Quadrijugo curru radiantibus intulit aſtris.

ILLYRICVM.

APOLLONIA.

ΑΠΟΛ. ΧΑΙΡΗΝΟΣ, Quadrum, intra quod collis ardens, & pedum.)(ΑΙΒΑΤΙΟΣ. Vacca vitulum lactans: infra ſpica:

ARG. III.

Præ-

p) Metam. L. IX.

TABVLA V. Præſtantem drachmam e gaza Cæſarea prævertit Cl. Eckhel, eruditoque ut ſolet, commentario illuſtravit. *q*) Quapropter ignivomo colli Apolloniæ vicino, quem incolæ dixere Nymphæum, ac præſens numus nitide exprimit, immorari non lubet, eo minus, quod hoc argumentum & a Palmerio videam non minus accurate, quam fuſe pertractatum in Græciæ antiquæ deſcriptione. Ariſta, qua Cæſareus deſtituitur numus, levioris quidem momenti. Sed neque leviora negligenda ſunt in hujus generis cimeliis.

* * *

N. 8. Dianæ protome cum luna creſcente in fronte: a tergo pharetra & arcus.)(ΑΠΟΛΛΟΝΙΑΤΑΝ. Tripus intra coronam lauream.

AER. II.

Extorſerunt quodammodo numi ectypon eximia operis præſtantia, nitor conſervationis longe maximus, & luna in fronte Dianæ creſcens, qua differt a cognitis Apolloniæ monetis. Dianæ cultum valuiſſe apud oppidanos, non eſt, quod mirere. Fuit enim

q) Num. vet. p. 92.

enim ſoror Apollinis, quem ſpreta Gylacis memoria, ΑϚχαγελαν venerabantur, auctoremque nominis jactabant. TABVLA V. N. 8.

DYRRHACHIVM.

Caput Jovis.)(ΔΥΡ. ΣΚΥΡΘΑΝΑ. Tripus intra coronam lauream: in area, ſi recte video, ariſta.

AER. III.

* * *

Caput Jovis.)(ΔΥΡ. ΦΙΛΩΤΑ. Typus idem.

AER. III.

Muſellius priori ſimilem *r*) adjudicavit Scyro, Ægæi maris inſulæ, deluſus epigraphe ΣΚΥΡ. Noſter luculentum urbis nomen ΔΥΡ ſub tripode profitetur. Adfinem errorem erravit auctor muſei Pembrok, *s*) qui circa tripodem legens ΑΓΑΘΟΚΛΕ, ab Agathocle Siciliæ rege talem numum procuſum cenſuit. Vix numeres eorum lapſus, quibus magiſtratuum nomina

X 2 im-

r) In Addendis T. VII, n. 4. *s*) P. 2. T. 79. n. 63.

TABVLA V. impoſuere. Ita fuit, qui pariter in Philotam, ſecundo numo inſcriptum, graviter peccaverit; qua de re, ſi lubet, conſulendus Cl. Eckhel. *t*)

Vulgares, tritæque ſunt, ut vulgo notum, Dyrrhachiorum drachmæ, quæ hic vitulum lactentem, illic quadratum ornatum exhibent, cujusmodi plus minus octoginta Theſaurus Cæſareus Vindob. recondit, variis magiſtratibus inſignes. Earum una apud Golzium ſupra vaccam inſcribit ΜΟΝΟΥΝΙΟΣ, usque modo dubiæ fidei habita ob dubiam editoris fidem. Sed eandem integerrimam deprehendi occupatus in ordinando præſtanti muſeo Exc. & Reverendiſſimi Domini Georgii Klimo, Epiſcopi Quinque-Eccleſienſis in Hungaria, quem fatis functum & Muſæ & boni omnes lugent. Id monendum duxi ad confirmandam Golzii auctoritatem. Monunium illum opinor ab rege cognomine alium, cujus quædam Dyrrhachii tetradrachma exſtant oppido rara cum epigraphe: ΒΑϹΙΛΕΩϹ ΜΟΝΟΥΝΙΟΥ. Nam hæc, ſpectata mole & fabrica, longe vetuſtiora videntur memoratis duabus drachmis, quibus ΜΟΝΟΥΝΙΟΣ inſcribitur. Nec dicas, recentioris ætatis indicium eſſe „ lunata effictum teſtudine

t) Num. vet. p. 96.

dine ſigma„ in voce BACIΛEΩC. Ut Gelenſis populi decretum *u*) taceam indubie factum, priusquam Siciliam occupaverint Romani, quod c & Σ promiſcue uſurpat, lunatum ſigma occurrit jam in lapide a Fourmontio Amyclis detecto, cujus ætas DCC aut DCCC annis Chriſtianam æram prævertit. *x*) A vero non abhorret, Golzianum Monunium fuiſſe unum e poſteris τȣ BACIΛEΩC MONOYNIOY, quem Dardanorum principem ingenioſe conjectat Exc. Comes Franc. Ant. Khevenhüller, *y*) Honunum Livio, Menunum Athenæo vocatum. TABVLA V.

I S S A.

Caput Palladis galeatum.)(IΣ. Hircus ſtans N. 9.

AER. II.

* * *

Caput idem.)(IΣ literis retrogradis. N. 10.

AER. III.

X 3 Ca-

u) Torremuzza Ant. Iſcriz. di Palermo p. 239. *x*) Nouv. Traité de Dipl. T. I. p. 632. *y*) Reg. vet. Num. anecd. p. 46.

TABVLA V.

* * *

N. 11. Caput ejusdem deæ.)(IΣ literis retrogradis. Cerva ſtans dextrum pedem elevat, cui volucris imminet.

AER. III.

* * *

N. 12. Protome virilis, imberbis, nuda.)(IΣ. Diota.

AER. III.

Adriatici maris inſulæ inter incognitas Geographiæ numismaticæ terras ſpectabant ante Frœlichium. Hic primus Corcyram Nigram detexit, nuper Iſſam Eckhelius, mox Pharum eruemus nos, alias alii detegent. * Non ingratum Eruditis fore putabam, ſi Iſſenſes hujus muſei numos conjunctim referrem, tametſi tres priores ab editis parum abludant. Dubitari nequit, hoc genus monetæ pertinere Iſſam. Id nuper, ut diximus, ab Eckhelio probatum ſolide. z) Nec habeo, quod addam argumentis ab eodem prolatis, præ-

* Promiſſum eſt mihi numi ΣΚΟΔΡΙΝΩΝ exemplar. Erat Scodra nobilis Dalmatiæ urbs, Gentii regia, cujus hactenus nulla viſa moneta.

z) Num. vet. p. 97.

præterquam teſtimonium Rev. Dom. Alberti Fortis, qui conceptis verbis teſtatur, *a*) in ea inſula reperiri numos, hic Palladis capite, illic capra vel amphora notatos. Hujus autem Viri auctoritas ſumma eſt; non enim alius Adriatici ſinus inſulas aut diligentius perſcrutatus eſt, aut elegantius deſcripſit. Fuiſſe non ſolum Iſſam, ſed proximas etiam inſulas caprarum, ovium, cervorumque numero vel præſtantia celebres, tam numi docent, quam veterum commentaria. Vicinam Brattiam a capris diſerte commendat Plinius: *b*) „Nec pauciores, inquit, Liburnicæ, Celaduſſæ. Contra Tragurium Bavo: & capris laudata Brattia.*„ In tertio numo ſupra cervam avicula volat, argumento evidenti, neque pennatum Iſſenſibus defuiſſe populum. Inſulanis quippe uſitatum, domeſticas aves, quibus adfluebant, agitabantque commercia, pecuniæ ſuæ committere. Ab earum multitudine haud dubie nomen abſtulit Pullaria, quam Plinius in eo ſinu recenſet.

TABULA V. N. 9. & 12.

Ad

* Locus vexatus. Cl. Fortis retenta vetere lectione, ſed mutata interpunctione ita legit: „Nec pauciores Trucones Liburnicæ. Celaduſſæ contra Surium. (hodie Zuri) Bubus, & capris laudata Brattia.„ T. I. p. 170.

a) Viaggio in Dalmazia T. II. p. 164. *b*) Hiſt. Nat. L. III. Sect. XXX.

Tabvla V. N.° 9. & 12.

Ad numum propero, poſtremum loco, præſtantia facile principem. Anecdotus quidem certo eſt. Caput rei, nos eo diſcere magiſtro, quo numi pertineant cum iisdem utrinque typis, ac epigraphe ΦΑ, nunc usque patria extorres, de quibus mox copioſius agemus. Inde ſumma ejus commendatio, pretiumque minime vulgare. Ab Iſſenſibus vero flatum, nemo ibit inficias. Suadent literæ ΙΣ, quibus dicti inſulani pecuniam ſuam de more notabant, tum vero auctoritas Rev. Dom. Fortis, qui amphoras ipſe vidit in eorum monetis. Et erat omnino, cur diotam in ære fingerent Adriatici maris monetarii. Plinius *c*) quo loco varia & præſtantiora vaſorum genera enumerat, expreſſe commendat Adriatica. „ Adrianis firmitas. „ Horum magnam vim in Iſſa fabricatam fuiſſe, uti jam ex eo veroſimile fit, quod hæc omnium Adriaticæ oræ inſularum primas tenuerit: ita certam fidem facit Cl. Fortis *d*) quo teſte hodiedum antiqua ibidem vaſa eruuntur, ſimilia iis, quæ vulgo Etruſca dicimus. Erat nimirum vaſorum figlinorum maximus apud veteres uſus in ſacris æque, ac in profanis; unde frequentes eorum officinæ,

---

c) L. XXXV. Sect. XLVI. *d*) L. c. p. 165.

næ, cumprimis apud inſulares. Plinius numerat octo in Italia, ſex aliis in terris. Videtur autem de ſolis celebrioribus loqui, & ſui temporis. TABVLA V. N. 9. - 12.

Sed ecquis ille heros, cujus protome anticam occupat? Si quid video, Ariſtæus eſt Apollinis e Cyrene filius. Hujus cultus per Adriaticas, Jonias, Ægæasque inſulas plurimum vigebat. Præ reliquis Cea, nota Ægæi maris inſula, ſub ejus tutela floruit; ex quo toties in Carthææ ac Julidis, aliisque totius inſulæ nomine ſignatis numis comparet. Fuit etiam Sicinus, non admodum Cea diſtans, eidem devota teſtibus numis, qui hic Ariſtæi vultum, ut arbitror, illic apem vel botrum offerunt. *e*) Similes item Corcyræ Joniæ ſunt apud Arigonium. Nec opus eſt citare obvios ejusdem inſulæ numos, in quibus heros ille conſiſtit agnoſcendus nomine ΑΓΡΕΥϹ, cum ſerpente in dextra, quos doctiſſimus Eckhel præclare illuſtravit. *f*) Ejusdem ſimulacrum, me judice, eximium Zacynthi quoque tetradrachmum exhibet a Pellerinio vulgatum, *g*) cujus averſæ parti figura ſeminuda ac imberbis inſidet, anguem dextra prehendens.

e) Pellerin Rec. T. III. pl. CXII. n. 1. & 2. *f*) Num. vet. p. 107. *g*) L. c. pl. XCIII. n. 1.

Tabvla V. N. 9. - 12.

dens. Etenim Æſculapius fere ſemper * barba venerabilis eſt. Quod attinet Adriatici maris inſulas, non miror Ariſtæo litaſſe. A veteribus traditum, in eas commigraſſe colonos Siculos; ac Iſſam definite compellat Scymnus Chius *h*) Coloniam Syracuſanorum:

νησος κατ' αυτȣς δ'εϛιν Ισσα λεγομενη
Συρακȣσιων εχȣσα την αποικιαν·
Inſula vero apud illos eſt, Iſſa dicta,
Syracuſanorum habens coloniam.

Num vero eſt, qui Ariſtæi per univerſam Siciliam honores ignoret, ſpeciatim Syracuſis, ubi ſignis, eodemque cum Libero templo colebatur? A Siculis proinde colonis, ut vetus mos ferebat, avita religio & patria numina in Adriaticum ſinum advecta. Ad hæc probabile, Adriaticos rei venaticæ & paſtorali operam dediſſe, quos magno ovium, hircorum, cer-

* Dixi, fere ſemper, quia numi quarundam urbium, e. g. Phliuntis Achajæ, imberbem ſiſtunt, conſpirante Pauſania in Corinth. qui diſerte perhibet, Phliaſios Æſculapium coluiſſe αγενειον. Hos vellem numos Winkelmannus vidiſſet, qui eum deum in omnibus monumentis barbatum pronunciat. Verſuch einer Allegorie. S. 37.

h) Perieg. v. 412. inter Hudſoni Geogr. Min. vol. II.

cervorum, aliorumque varii generis animantium ferarumque numero abundaſſe novimus. Quin etiam mellis præſtantia inclaruiſſe videntur; nam mel Iſſenſe hodiedum in honore eſt ob eximium ſaporem. *i*) Hinc facile dederim, & iſtis nominibus impenſius fuiſſe per eas inſulas obſervatum Ariſtæum, quem paſſim repertorem mellificii, tutoremque paſtorum & venatorum credidit antiquitas. Enimvero Chiron centaurus de naſcituro puero ſic patri Apollini vaticinatur apud Pindarum: *k*)

TABVLA V. N.9. - 12.

- - - - - θησον-
ται τε νιν αθανατον
ζηνα και άγνον Απολλω-
ν' * ανδρασι χαρμα φιλοις,
Αγχιστον οπαονα μηλων,
Αγρεα και Νομιον
τοις δ' Αρισταιον καλειν.

Y 2 fa-

* Oxonienſis editio habet Απολλωνα ανδρασι, vitium inimicum metro, ut obſervat Vir ſummus Chriſt. Heyne, cujus merita in Pindarum, aliosque auctores Claſſicos maxima ſunt, nec noſtris laudibus egent.

i) Fortis T. II. p. 167. *k*) Pyth. Od. IX. v. 110.

TABVLA V. N. 9. - 12.

- - - - - facientque
eum immortalem
Jovem & ſanctum Apollinem,
Gaudium amicorum,
Proximum comitem ovium,
Venatorem & paſtorem,
ab aliis vero Ariſtæum adpellari.

Et hæc diverſa Ariſtæi munera in cauſa ſunt, quod diverſis quoque modis in ære vetere fingitur. Plerumque ſolo capite comparet, ac jam imberbis, jam barbatus laureatusque nunc Jovem ſimulat, nunc Apollinem, prout hic vel ille habitus eſt. In elegante Julidis numo noſtri muſei imberbi mento cernitur, ſed lauro ſimul redimitus & tænia. Imberbem, nudoque capite finxere Sicinus & Iſſa: Pharus nudo quidem capite, ſed aliquando barbatum, aliquando & imberbem, ut mox videbimus. Frequenter apis ex altera parte additur, aliquando botrus, quod homines mellificium docuit, uſumque mel miſcendi vino. A Corcyræis Phæacibus & Zacynthiis integro corpore proponitur, ſerpentem tenens ſalutis ſymbolum, ob herbas ſalubres inventas, liberatamque a peſte univerſam Græciam; de qua re conſulendus Diodorus Siculus, qui omnem Ariſtæi vitæ rationem, cauſasque

que apotheoſeos fuſius enarrat. *l*) Scilicet ut varia & multiplex eſt vetus mythologia: ſic & varia deorum, heroumque ſimulacra. Nunc velis remisque proximam Pharum petamus. TABVLA V. N. 9. - 12.

PHARVS.

TABVLA VI. N. 1.

Ariſtæi vultus imberbis.)(ΦΑ. Diota.

AER. III.

* * *

Caput imberbe, ac ut videtur, laureatum.)(- Α. Hircus ſtans. N. 2.

AER. III.

Nova rempublicam numismaticam inſula atque urbe ditamus. Jam pluribus quidem abhinc annis tetradrachmum inſcriptum ΓΑΡΙΕΩ. in Pharum inſulam irrepſit, ſed inde rurſum a nobis ejectum eſt, atque in terras Pæoniæ vicinas relegatum. Neque locum eſſe puto Eckhelii conjecturæ, qui numos ΠΑΡΙ. & caprum exhibentes opinatur eidem inſulæ tribuendos, quæ Parus antea vocabatur. *m*) Conjecturæ fatum, ipſo

l) Hiſt. L. IV. *m*) Num. vet. p. 98.

TABULA VI. N. I. & 2. ipſo judice Eckhelio, dependet ab ea periſtaſi, an id numorum genus per Adriaticas inſulas copioſius effodiatur; quo ſi negotium omne deducitur, quæſtio deciſa jam eſt. Namque iſtud negavit Cl. Fortis, idoneus & gravis auctor, quem eam ob rem conſului ope amici Tergeſtini, Viri ornatiſſimi, mihique ſumma benevolentia conjunctiſſimi Andreæ Bonomo de Stettner. Præterea video per illas inſulas conſuetudinem tuliſſe, nonniſi primam nominis ſyllabam in ære exprimere. Lego ΦΑ. ΙΣ. ΚΟΡ. conſtanter in Phari, Iſſæ, & Corcyræ Nigræ monetis. Ad hunc morem receptum debebat ΠΑ vel ΠΑΡ, non ΠΑΡΙ, Pariæ ſeu Phariæ pecuniæ inſcribi. Ego quidem ita ſentio, ut æneos illos numos cum epigraphe ΠΑΡΙ & capra vel hirco, a Pariis Ægæi maris, quemadmodum argenteos, qui larvam atque in averſa taurum cum eadem inſcriptione præferunt, a Parianis in Myſia * ſignatos

* De poſtremis argenteis dubitatum, quo ſpectent, Parumne Ægæi maris, an Parium Myſiæ. Primus Pellerinius in Parium propendebat, ductus ſimilibus Abydi numis (Rec. T. III. p. 89.) Illuſtrem Virum recte ac feliciter conjectaſſe, invicte probat Dutenſii numus argenteus, qui hic ſimillimam larvam, illic victoriam, atque integrum nomen ΠΑΡΙΑΝΩΝ ſuppeditat. (Paléogr. Num. pl. I. n. 7.) Hoc animadvertere, quia animadverſum non eſt a Dutenſio, e re videbatur, quo lis diu pendens finiatur.

tos exiſtimem. Sed æquum eſt, pulſis e Pharo numis, qui in ea conſiſtere tentaverunt, ut nunc eodem revocemus, qui hactenus exulabant immerito. Et hujus quidem generis ſunt gemini noſtri, quos hic Eruditorum oculis expono. Priori ſimiles jam ante cogniti, ea ſolum differentia, quod Ariſtæi caput oppoſitam partem reſpiciat, ſitque barbatum. Talem Arigonius habuit, Phaſinque Colchidis urbem traduxit. *n*) Alterum collegii Academici, nunc muſei Cæſarei, Frœlichius citat, conjicitque Phaſelide in Lycia cuſum. *o*) Veritatem neuter attigit, quod neutri vitio verti debet. Defuere nimirum veritatis inveniendæ criteria. Sane ſtetimus & nos de numorum iſtorum patria tamdiu ancipites, donec propitiæ Muſæ præſtantem Iſſæ numum obtulerunt, quem paulo ante deſcripſimus, quoad omnes apices, ſi nomen urbis demas, ſimillimum ei, cui diota inſiſtit cum epigraphe ΦA. Tum denique lumen oriri cœpit adeo ſerenum, ut continuo tenebræ diffugerent, Pharumque manifeſto tenerem, ſpreta quacumque alia regione. Sic numis numi recenter detecti benignam opem præſtant. Sic poſteri novis adjuti ſubſidiis, quibus

TABVLA VI. N. I. & 2.

n) Tab. XVIII. n. 177. *o*) Not. Elem. p. 85.

TABVLA VI. N. I. & 2.

bus hodie caremus, facili negotio quæ nobis ænigmata ſunt, monumenta expedient. Dubii ſi quid reliqui foret de numi patria, omnino tolleret effatum Rev. Dom. Fortis, qui in deſcriptione Phari *p*) tribus tantum verbis ſignificat, ejus inſulæ hodiedum ſuperare monetam, quin ullam faciat typorum mentionem. Suſpicabar Virum eruditum reſpicere prædictum tetradrachmum ΦΑΡΙΕΩ. Verum mox per literas edoctus ſum, indicatam a ſe monetam eſſe prorſus eandem, ac meam cum typo diotæ.

Alteri numo non multum abſimilem Arigònius pariter edidit, *q*) Pſamathumque Laconiæ revocavit. Cui ſententiæ quo minus ſubſcribam, præter alia vetat primum nominis ſub capro elementum, quod in mea moneta exeſum eſt, in Arigoniana magis ad formam τȣ Φ, quam Ψ accedit, ut ectypon intuenti patebit. Quid multa? Pharum agnoſco cum ex inſcriptione ΦΑ, tum e capro, quod animal non ſolum vicinis Iſſenſſibus placuit, ſed etiam Pariis Ægæi maris, qui *κατα τινα χρησμον αποικιαν εκπεμψαντες εις τον Αδριαν, εκτισαν εν αυτῳ νησον ονομαζομενην Φαρον*, ut ait Diodorus Siculus, *r*) ſuffragante Strabo-

p) L. c. T. II. p. 171. *q*) T. XIX. n. 184. *r*) Hiſt. L. XV.

bone, atque Ephoro apud Stephanum, apud quem pro *κτισμα Φαριων* indubitato legendum *κτισμα παριων*. TABVLA VI. N. 1. & 2.

Fuit hæc inſula non obſcuri nominis, memorata plerisque Græcis Latinisque auctoribus, nonnullis Pharia dicta, uti Ptolemæo & Plinio. Urbem habuit cognominem, patriam celebris illius Demetrii, qui Pharii cognomen ab ea cepit. Polybius bene munitam, magnoque virorum fortium numero frequentem laudat, inſuper commeatibus ac reliquis belli adparatibus inſtructam. A Romanis tamen capta & diruta eſt fugato, quem prædiximus, Demetrio. Noſtra ætate & urbs & inſula Leſina vocatur, paretque imperio Sereniſſimæ Reipublicæ Venetæ, ut fere omnes Adriatici maris inſulæ. Hodiernam ejus faciem, quæque ad hiſtoriam naturalem attinent, egregie proſecutus eſt R. D. Fortis.

CORCYRA NIGRA.

ΚΟΡ. Faunus, vel Silenus e diota vinum in aliud vas effundit.)(Bacchus thyrſum intorquens tigride vel pantheriſco vehitur.

AER. III.

TABVLA VI.

* * *

KOP. Victoria ſtans d. ramum tenet.)(Avis retroſpiciens, in area botrus.

AER. III.

Hos numos Frœlichius Corcyræ Nigræ tribuit. *s*) Pro Corcyra Jonia ſerius edixit Pellerinius, ſuamque ſententiam iterato defendit *t*) adverſus Khellium, qui Frœlichii partes tuetur. *u*) Nos non iſtud agimus, ut argumenta in utramque partem prolata ventilemus. Alioqui totius rei cardo, conſentiente quoque Pellerinio, in eo vertitur, an hujusmodi numi ſæpe ac frequenter eruantur ea ipſa in inſula, quæ olim Corcyra Nigra, modo Curzola vocatur. De hoc ſimul ac conſtiterit, conſtabit etiam, quis rectius ſenſerit. Quare huic ſolum inſiſtentes periſtaſi, audiamus Viros, quibus nemo facile fidem negaverit. Prior in medium prodeat Ill. Comes Santonini, antiquitatis eruditæ cultor egregius. Is coram ſæpius atque iterum adfirmavit, a Curzolano mercatore oblatum ſibi ſacculum bene capacem fuiſſe Gori-

s) Animadv. in num. urb. p. I. *t*) Rec. T. III. p. 58. & Suppl. p. 62. *u*) Adp. alt. ad Geſn. p. 162.

ritiæ, refertum talibus monetis, quales nunc inquirimus, quæ quidem omnes in ipſa inſula Curzola repertæ fuerint. En unum teſtem, gravem ſane! Luculentiſſimus alter, ad quem provoco, eſt ſæpe laudatus Rev. Dom. Fortis. Hic per prædictum amicum Tergeſtinum ſuper eodem negotio rogatus reſpondit, fuiſſe ad ſe magnum ejusmodi monetarum numerum ex eadem inſula deportatum; & quod amplius, adjecit, etiam Nobilem quemdam Venetum, nuper e Curzola redeuntem, plurimos id genus numos ſecum retuliſſe, cujus rei vadem citat Ill. D. Hieronymum Zannetti, ſcientiæ numariæ peritiſſimum. Num quid præterea petimus? Aut tantorum Virorum diffidemus oraculis? Iſtud quidem nefas. Si vero acquieſcendum eſt eorum auctoritati, nonne jam liquida res? Et cedo! quid eſt, cur numismaticos honores Corcyræ Nigræ deneges? Vidimus Iſſæ Pharique numos. Cur nullos ſignaverit Corcyra Nigra, parum aut nihil eis inſulis inferior, ideoque plurimis tam Græcis quam Latinis geographis celebrata? Inſtar omnium ſit nobis Agathemerus, *x*) qui adpoſite ad rem præſentem ſcribit: Εισιν εν τῳ Αδρια νησοι παρα την Ιλλυριδα,

TABVLA VI.

x) L. I. C. V.

Tabula VI. ὧν ἐπισημότεραι Ισση, και ἡ μελαινα κορκυρα, και Φαρος, και μελιτη· „ Sunt in Adriatico mari inſulæ prope oram Illyridis, quarum inſigniores Iſſa, & Corcyra Nigra, & Pharus, & Melite.„ Audis cum Iſſa & Pharo Corcyram Nigram inſignioribus Adriaticis inſulis connumerari?

Itaque de patria numorum jam liquet. De typis, quos explicuit Frœlichius, liqueret non minus, ni pæne novam contentionem moliretur ruſticus ille deus, qui diotam in aliud vas ſubjectum exonerat. Is jam olim cum Khellio Pellerinium commiſit. Res agebatur de cauda, quam Pellerinius, ac ante Frœlichius ſemideo abſtulit, miraque metamorphoſi mutavit in piſciculum. Mihi neque lubet in tali cauſa arbitrum agere, neque vacat immorari ejusmodi argumento. Id tamen auſim jurare per Jovis barbam, crepidamque Junonis, caudatam figuram manifeſto cerni non ſolum in meo, ſed in omnibus hujus generis numis bene ſervatis, quos per varia muſea conſpexi. Unde Faunum credo. Satyrus, qui Frœlichio, Khellioque probatur, non adridet; nam Satyri capripedes pro more ficti.

EPI-

EPIRVS.

TABVLA VI. N. 3.

PYRRHVS REX.

Dianæ protome: a tergo pharetra clauſa, in area fax ardens.)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΥΡΡΟΥ. Victoria gradiens, d. coronam, s. tropæum geſtans: per aream fulmen & aſtrum.

AVR. III.

Deſunt verba, quibus artis commendem illecebras. Pretium ex ſe magnum augetur vel maxime, quod a ſimilibus jam editis numis differt, quamvis in paucis tantum. Sed hujusmodi cimelia poſtulant, ut etiam minimorum ratio habeatur. Fulmen juxta Victoriam gradientem in aliis regum Epiri monetis, ut Alexandri Neoptolemi filii, quandoque ſolum rutilat ex averſa parte, atque ad Jovis Dodonæi cultum adludit in Epiro percelebrem.

De Pyrrho ipſo tacere præſtat, quam parum loqui. Ejus vitam e Plutarcho, animi celſitudinem e colloquio cum Fabricio conſule diſces, quod apud Dionyſium Halicarnaſſeum nunquam ſine nova ac incredibili voluptate lego.

TABVLA VI. N. 4.

CORCYRA PHAEACIA.

Facies Bacchi.)(Pegaſus, ſub quo A/℞ ω.

ARG. II.

Varii ejus generis numi argentei variam etiam fortunam experti ſunt. Juvat omnes eodem ſub conſpectu proponere, quo me illud conſecuturum ſpero, ut comparatione facta, eorum patriam ſin minus certo, ſaltem pæne certo eliciam. Eccos itaque!

Caput Bacchi.)(Pegaſus poſterioribus pedibus navi inſiſtens. Supra A℞: infra ℞. Pellerin Rec. T. III. pl. CXV. n. 13.

Caput idem.)(Pegaſus, ſupra quem A℞: ſubtus litera V, cujus inter crura P. Pembrok T. I. P. 2. Tab. 3.

Bacchi vultus.)(Pegaſus: ſupra AK, infra P. Patet genuinam epigraphen reſtituendam eſſe A℞. ℞. Spanhemius Diſs. VIII. p. 553.

Eadem facies.)(ſub pegaſo ✠ ℞. Begerus Theſ. Brand. T. I. p. 435.

Ca-

Caput laureatum.)(ΘE ℞. Pegaſus. Begerus Theſ. Brand. T. I. p. 442. TABVLA VI. N. 4.

Suum Pellerinius inter ignotos exhibet, Corcyræ tamen ſtatum ſuſpicatur. Alter ab auctore muſei Pembrok Agrigento in Sicilia tribuitur. Tertius videtur Spanhemio Theronis honori dedicatus ab Agrigentinis. Begerus quartum Paro inſulæ, poſtremum Theæ Corinthiorum coloniæ adſcribit.

Me quod attinet, Corcyram Jonii maris (hodie Corfou,) ſpectare omnes judico. Et ſuffragantur utriusque partis ſymbola. Bacchi honores per eam inſulam ſummi fuere, ut omnibus notum; & pegaſum in argento Corcyræo volantem conſpicatus eſt pariter Eckhelius. *y*) Sed argumentum firmiſſimum ex inſcriptionibus peto. Si nempe monogrammata, hiſce numis conſignata, paulo attentius conſiderare, atque inter ſe componere libet, duo in quolibet numo deprehendimus, quorum variat unum, aliud perpetua lege adeſt. Itaque ex ſolenni, cunctisque Eruditis probato canone pronum eſt deducere, illud magiſtratus, hoc urbis nomen indicare. Quod ſi non fallit, ne-

y) Num. vet. T. VII. n. 14.

Tabvla VI. N. 4.

neſcio an de Corcyra dubium ullum remanere poſſit, cui familiare, monogrammate ℞ in ære publico uti. Reclamat quidem Khellius, qui dictam ſiglam opinatur Cretæ potius, quam Corcyræ adplicandam, ideoque numos ea notatos, quos Pellerinius edidit, z) in Cretam navigare jubet. *a*) Sed audiendus non eſt, neque ita conjeciſſet Vir doctus, ſi geminos in ſcriniis noſtris vidiſſet numos, quorum alter una parte caput Herculis, alia navem offert, & ℞ ΦΙΛΩΝ, cujusmodi exſtant plene perſcripti ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ ΦΙΛΩΝΙΔΑ: alter circa navis apluſtre loco τȣ ℞, quod in uno e citatis Pellerinianis eidem typo adſcribitur, perinde plenum nomen ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ fatetur; qui citra controverſiam Corcyræ ſignati liquido evincunt, ex eadem officina etiam Pellerinianos prodiviſſe; unde firmus in propoſita ſententia perſiſto.

Notari adhuc meretur litera ω pro Ω in meo numo. Eandem repetit ΚΟΡΚΥΡΑΙωΝ autonomus æreus hujus muſei, qui Corcyram Nympham, & Jovem Caſium exhibet.

Ca-

z) Rec. T. III. pl. XCVI. n. 16. & 18. *a*) Adp. alt. ad Geisn. p. 160.

* * *

Caput velatum Cereris.)(Apluſtre inter monogramma ℞, & literam Φ.

AER. III.

* * *

Idem caput.)(Tauri caput adverſum intra coronam; hic κ, illic ο fere detritum.

AER. III.

* * *

Neptuni protome cum tridente a tergo.)(Adverſum tauri caput inter ℞ & ο: ſupra monogramma M, omnia intra coronam.

AER. III.

Nihil eſt in antiquitatum ſcientia antiquius, quam monumenta monumentis componere. Id ſi feciſſent, qui talium, quales nunc deſcripſimus, numorum patriam operoſe indagabant, non utique abiiſſent in partes adeo contrarias. Jucundum erit, quos apud auctores varios vulgatos reperi hujus generis,

TABVLA VI. cunctos rurſum ordine recenſere, & quid quisque in eos animadverterit, paucis referre.

Golzius in uno cum Neptuni taurique capite legit ΜΑ℞ο: in alio ſimillimo ΜΑ℞ΟΚΕΦΑΛ. ac utrumque Macrocephalis barbaræ Ponticæ genti adſcripſit. *b*) Et Harduinus quidem ei adſtipulatur. *c*) Hos falli Pellerinius adfirmat, & hujusmodi numos Crotonæ tribuit. *d*) Poſtea mutata mente, tam ſuum, quam Golzianos in claſſem ignotorum rejecit. *e*) A Khellio editus alter effigiem Herculis, taurique obverſum caput præfert inter monogramma ℞, & literam Φ. Ejus judicio, ſeu conjectura potius, *f*) hæc Phæſtum, illud Cretam deſignat, cujus urbs Phæſtum erat. In quodam Comitis Pembrok *g*) Jovis, aut verius Neptuni protome cernitur, averſam partem bovis caput implet, medium inter literas ΚΟ: ſupra ΑΥ, omnia intra coronam. Alter ejusdem muſei cum Neptuni vultu, ac epigraphe ΗΡΩΔΗϹ. ℞. circum apluſtre, Herodi Judææ Tetrarchæ immani errore adjudicatur. *h*) Habes & quos reperi numos meis ad-

b) Nom. Aſiæ T. I. n. III. & IV. p. 298. *c*) Num. Pop. p. 99. *d*) Rec. T. I. p. 46. *e*) Suppl. p. 66. *f*) Adp. alt. ad Geſsn. p. 159. *g*) P. 2. T. 19. n. 10. *h*) Tab. 86.


adfines, & ſimul varias interpretum opiniones, quas qui legerit, nonne Terentianum illud merito inclamabit? TABVLA VI.

Feciſtis probe. Incertior ſum multo, quam dudum.

Faciamus periculum, an meliora de noſtra penu depromere valeamus, ne quis cum Horatio & nobis occinat:

Quod mecum ignorat, ſolus vult ſcire videri.

Si tres noſtros, ceterosque ex alienis muſeis relatos numos ea, qua par eſt, accuratione conſideres, tantum inter eos ſimilitudinis deprehendes, ſive typos ſpectes, ſive inſcriptiones, ut unam omnibus eſſe genitricem regionem continuo adpareat. Regionem illam eſſe didici Corcyram Phæaciam, adjutus eo ſubſidio, quo ſemper utor in dubiis numiſmaticis, videlicet numorum cum numis comparatione.

Et vero prior hujus muſei numus ad Corcyræorum ærarium indubitato pertinet. Adſertum ſupra, inſularibus iis conſuetum fuiſſe monogrammate  ſuum in ære nomen exprimere. Citatus ibidem numus cum

Tabvla VI.

typis eisdem, qui *τῷ* ΚΡ ſubſtituit integrum ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ nomen. De primo igitur res liquida. Sed enim plenam inde lucem mutuant illi duo, quos a Khellio & Pembrokio vulgatos memoravimus. In priore pone bovis caput epigraphe ΚΡ. Φ. ut in noſtro. Poſterior eandem ſiglam, & quod amplius, eundem quoque typum exhibet, nimirum apluſtre. Ob tantam adfinitatem quis neget communem his & noſtro patriam? Inſuper Herculis & Neptuni vultus, quos antica parte repræſentant, in aliis manifeſtis Corcyræ numis ſæpe conſpicitur. Ergo apage Herodem Judæum! Apage Cretam cum urbe Phæſto, ac utramque monetam Corcyræis redde! ΗΡΩΔΗC non regis nomen eſt, ſed magiſtratus, quorum frequens mentio in eorum pecunia.

Qui reſtant ceteri numi, fere velatam Cererem, aut Neptunum offerunt, ac in averſa bovis caput obverſum cum literis ΚΟ, vel nota ΚΡ, adjectis porro variis ſolitariis characteribus vel ſyllabis, initialibus forte magiſtratuum. Hos pari celeritate expediam. Neptuni Cererisque velatæ protomen modo vidimus in duabus certis Phæacum monetis. Literæ ΚΟ, *κοϱκυϱαιων* primæ, inſcribuntur eorum mille numis, cujusmo-

modi vel ignobiles catalogi & muſea paſſim ſubmini- Tabvla VI.
ſtrant. Reliquum eſt, ut oſtendam, bovis adverſum caput, ſerto circumdatum, non modo non repugnare ſententiæ meæ, ſed etiam favere; & hoc nullo negotio probabo. Omitto vulgares Corcyræ numos, in quibus aut integri, aut dimidii boves habitant. Ad alium muſei Theupoli provoco, qui Tom. II. ita deſcribitur: „ Caput bovis adverſum.)(Monogramma ℞ intra Coronam. „ Hunc eſſe Corcyræum nemo negabit, qui meminerit duplicem ei inſulæ placuiſſe notam, qua nomen ſuum innueret, nempe ℞ & ℞, exemplo Panormi Siciliæ, quæ pariter monogramma variabat. Tenemus ergo indubiam Corcyræam monetam, quæ pari modo, ut præcedentes, adverſum tauri caput coronæ includit.

Hæc ſatis eſſe poſſint. Quo plus tamen dictis fidei ac luminis accreſcat, aliquamdiu adhuc circa typos verſabor, quos numi mei præ ſe ferunt. Primus & ſecundus Cereris imaginem habet. Huic deæ Corcyra ſacra fuit ab antiquiſſima memoria.

Δηω γαρ κεινη ενι δηποτε νασσατο γαιη.
τιτηνας δ' εδαεν σταχυν ομπνιον αμησασθαι

Tabvla VI.

Ceres enim aliquando eam terram inhabitavit,
Titanasque docuit ſegetem fertilem metere.

ut auctor eſt Apollonius, *i*) cujus Fabulæ origo haud dubie ſoli felicitas erat. Homero quidem jam εϱιβωλος vocatur, ad quem locum Euſtathius: ὁ τι δε εϱιβωλος και αλλως και ευδαιμων, των φαιακων αἱ ἱϛοϱιαι λεγȣσιν. Quod autem fertilis ſit & felix, Phæacum hiſtoriæ dicunt. „ Apluſtre alterius partis incolarum ingenium belle adumbrat.

Ου γαϱ φαιηκεσσι μελει βιος, ȣδε φαϱετϱη,
αλλ' ἱϛοι και εϱεϊμα νεων, και νηες εἶσαι,
Ἡ σιν αγαλλομενοι πολιην πεϱοωσι θαλασσαν·

Non enim Phæacibus curæ eſt arcus, neque pharetra,
Sed mali & remi navium, & naves æquales,
Quibus læti trajiciunt ſpumoſum mare. *k*)

Atque hæc ſola ſuffeciſſet ratio, cur Neptunum coluerint impreſſum tertio numo, etiamſi haud aliam, & magis peculiarem fabuloſa ſuggereret antiquitas. Fuit nempe communis ac vetus traditio, Neptunum Cor-

i) Argon. l. IV. v. 988. *k*) Odyſs. L. VI. v. 270.

Corcyram Aſopi filiam in hanc inſulam devexiſſe, Phæacemque ex ea genuiſſe, a quo poſtea Phæaces indigenæ dicti. Neptuno taurinum caput ex averſa perſæpe jungitur. Ejus animantis ſymbolo denotari armenta opima, & gramina læta, quibus priscis temporibus Corcyra inclaruit, piget repetere. Neque hoc ignorare quemquam puto, fuiſſe taurum Neptuno gratiſſimam victimam. Sed quid, ſi alia porro ſubeſſet ratio, & ſpeciale quoddam factum, cujus memoriam ii inſulares, conſignatis toties Neptuno & bove, ad poſteros transmittere voluerint? Ita ſane videtur. Narrat Pauſanias, *l*) inter Apollinis Delphici munera fuiſſe taurum ex ære, Theopropi Æginetæ opus, Corcyræorum donum oblatum ſequentis prodigii cauſa. Contigit apud eos aliquando, ut aliis bubus relictis unus e paſtu abiens contra pelagus vehementer mugitaret; quod cum ſingulis diebus faceret, tandem bubulcus ad mare deſcendit, quid rei eſſet, exploraturus. Et mirum! tantus thunnorum numerus aderat, quem vix mare caperet. Indicato protinus miraculo, Corcyræi quod piſces capere conati operam luſerant, ſciſcitatum Delphos mittunt. Ju-

TABVLA VI.

l) Phoc. p. 818.

TABULA VI. Jubet Apollo taurum Neptuno mactari, confectoque mox ſacro præda potiuntur. Quidni ex hac Pauſaniæ narratione, velut e tripode, explicantur illi numi, qui Neptuno taurum ſociant? Hæc itaque tam mira typorum conſenſio cum Phæacum mythologia, ceteraque ſuperius adducta momenta ſatis probant, quam recte congeſtos ſupra numos iisdem fuerimus largiti.

* * *

N. 5. Caput Bacchi pampinis coronatum.)(ΚΟΡ. Vas. AER. III.

Variæ formæ vaſa Corcyrææ pecuniæ inſiſtunt. Eorum magna vis in hac inſula confecta fuerit, quemadmodum in vicina Corcyra Nigra, ceterisque Adriatici maris inſulis. Bacchici cultus teſtes & numi ſunt, & Tabula celebris in Diario Italico Montfauconii edita, atque ab Emin. Cardinali Quirino *m*) reſtituta, quæ Ariſtomenen quemdam tradit argenti Corinthii minas ſexaginta, & Pſyllam totidem donaſſe Corcyræis pro mercede hiſtrionum Bacchi ad Dionyſiaca


m) Primord. Corc. p. 177.

ca celebranda. Templo etiam ab iis honoratum fuiſſe, Thucydides refert. Neque Bacchus viciſſim officio ſuo defuit, ſed hominibus adeo ſibi devotis generoſi vini munere amplas divitias reddidit. Athenæo dicitur χαριεστατος δ' οινος εις παλαιωσιν ὁ κερκυραιος, ſeu Corcyræum vinum vetus jucundiſſimum. „ Et Xenophon eorum οινωνας, ſeu cellas vinarias commendat. TABVLA VI. N. 5.

* * *

ΣΩ. Diota, cui botrus imminet.)(ΑΛΛΑΣ aut ΑΜΑΣ ſupra dimidiam navem.

AER. III.

Non aliam novi inſulam vel urbem, quæ monetas ſuas tam varie inſcripſerit, quemadmodum Corcyra Jonia. Legeris ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ. ΚΟΡΚΥΡΑ. ΚΟΡΚΥΡ. ΚΟΡΚ. ΚΟΡ. ΚΟ. denique ſolam literam Κ. Sæpe monogrammate uſa tantum, ſed neque in hoc ſibi conſtat, nam  &  promiſcue adhibuit. Poſterius quandoque bis recurrit eodem in numo, quin etiam in eadem numi facie, *n*) quod citra exemplum eſt. Vagan-

n) Pellerin Rec. T. III. pl. XCVI.

Tabvla VI. gantur non raro per aream ſolitariæ literæ, uti N. O. Φ. &c. aut plures ſimul, nec non monogrammata diverſa. Interdum certa magiſtratuum adduntur nomina, ΗΡΩΔΗΣ, ΝΙΚΑΝΩΡ, ΦΙΛΩΝΙΔΑ &c. Nec deſunt adeo numi, qui nomen inſulæ penitus reticeant, notati ſolummodo deorum tutelarium vocabulis, ZΕΥC ΚΑCΙΟC, ΑΓΡΕΥC: aut una pluribusve ſyllabis, magiſtratuum forte initialibus; atque horum e numero is eſt, quem in præſentia ſiſtimus. Corcyræum prodit fabrica, vas, botrus, & navis, ſymbola Corcyræis uſitata, quibus frequenter ceu plenum ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ nomen, ceu decurtatum ſociatur. Quare Ill. Pellerinio nequaquam adſentior, qui ſimilem numum Solis in Cypro adjudicat, dubie tamen, quia ut eſt accuratiſſimus, nomen ΣΟΛΕΩΝ conſtanter ομικρω ſcribi præclare obſervat. *o*) Minime latet, Virum ſummum conceptam de Solis Cypriis opinionem non nihil tenacius tueri *p*) adverſus Eckhelium, occaſione alterius numismatii, quod ei pariter Solis, *q*) Eckhelio in Phæacia Corcyra *r*) ſignatum videtur. Verum fruſtra laborat. Non equidem nego, potuiſſe ΣΟΛΕΩΝ &

o) Rec. T. III. p. 128. *p*) Additions aux neuf vol. p. 72.
q) Rec. T. III. pl. CII. n. 8. *r*) Num. vet. p. 107.

& ΣΩΛΕΩΝ ſcribi, quemadmodum in ære Coorum ΚΟΙΩΝ & ΚΩΙΩΝ legitur. Id nego, reapſe utrumque ſcribendi modum a monetariis Solorum fuiſſe uſurpatum, idque tamdiu negabo, quoad una ſaltem certæ fidei proferatur moneta, quæ contrarium evincat. το ΣΩ familiare Corcyræ numis, ac veroſimiliter magiſtratum notat, quem ſignificatum & ΑΛΛΑΣ, ſeu ΑΜΑΣ alterius partis habere puto. Pellerinius legit ΑΜΑ, eoque vocabulo ſuſpicatur Amathunta, aliam Cypri urbem latere, cui cum Solis ſocietas ſive fœdus coaluerit. Sed hæc conjectura tametſi fœcundum Auctoris ingenium commendet, vel ex eo ruit penitus, quod meus numus perelegans, viridique involutus vernici, luculentam epigraphen ΑΛΛΑΣ, ſive ΑΜΑΣ profitetur. TABVLA VI.

ACARNANIA.

ANACTORIVM.

Caput galeatum Palladis: in area facies imberbis & cornuta, ſubtus E.)(Pegaſus volans, ſub quo Ν. N. 6.

ARG. II.

TABVLA VI. N. 6. Frequentes numi argentei, qui Palladis caput & pegaſum offerunt. Non pauci tamen urbis nomen denegant. Attributa ambigua, literæ per aream ſolitariæ, monogrammata dubia, hæc fere ſunt, quæ cupidis antiquariis hoc invidum numorum genus indulget, unde parum opis. Paruta negotium cito confecit, cunctosque nullo delectu Syracuſis intulit *, etiam qui patriam liquido denunciant, ut inſcripti ΑΛΥ, ΑΜΦΙ, ΑΡΓΕΙ &c. Quorundam patriam rite ſtabilivit Pellerinius. Sed optime de iis meritus Cl. Eckhel, *s*) qui undequaque conquiſitos ſevero examini ſubjecit, in ordinem digeſſit, & catalogum texuit omnium Corinthi coloniarum, quæ iſtiusmodi monetas fabricarunt. Cuinam ex iſtis coloniis præſens numus competat, dubitari poſſet, ni criterium ſatis certum ſufficeret Acheloi vultus unius partis, & monogramma alterius. Ex illo regionis, ex hoc urbis augurium capio. Acheloum, regem aquarum, ut ſe ipſe apud Ovidium vocat, e geographia & fabulis nemo ignorat. Tenuit ejus ſumma reverentia cunctos populos, qui ei circumfuſi erant; quæ res non inſolens videbitur

tur

---

* Spectatis iis, quibus impreſſum ♀, & mecum facit, & Jove judicat æquo, ut ſupra oſtenſum.

s) Num. vet. p. 121.

tur iis, quibus cognita eſt inſana veterum erga fluvios religio. Et Acheloo quidem ingens fama nominis fuit, cultusque longe maximus ex infauſta illa, ſed celebri cum Hercule pugna, quam ipſe adeo eleganter decantat ore Ovidii. *t*) Aliis aliæ divinitatis cauſæ, quas paucis comprehendit Maximus Tyrius, *u*) cujus verba neminem legiſſe pœnitebit. „ Eſt ſuus, inquit, fluviis honor aut ob utilitatem, quomodo Ægyptii colunt Nilum; aut ob pulcritudinem, ut Peneum Theſſali; aut ob magnitudinem, ut Iſtrum Scythæ; aut ex fabula, ut Ætoli Acheloum; aut ex lege, ut Spartiatæ Eurotam; aut ex ſacro inſtituto, ut Iliſſum Athenienſes. „ Atque huic tribuendum eſt veteris orbis erga fluvios pietati, quod eorum effigies in numis toties niteant. Acheloo nihil frequentius in Acarnanum, Æniadarum, Thyrei, atque extra Acarnaniam in ære Ambraciæ, unde proclivis illatio, per eum tractum etiam noſtri numi patriam oportere conſtitui. Supereſt igitur, ut ejus tractus urbem requiramus, quæ præſentem numum ſignaverit; & hanc videor mihi expiſcari e nota ſub pegaſo, quæ literis colligatis AN vel ANA conſtat. Quid enim prohibet, ne has literas ΑΝΑκτοϱιων primas exiſtimem,

TABVLA VI. N. 6.

t) Metam. L. IX. *u*) Serm. XXXVIII.

TABVLA VI. N. 6. quorum nomen plene adſcribitur in eleganti moneta apud Pellerinium *x*) iisdem Palladis & pegaſi typis? Ut hoc ſentiam, movet porro alter Anactorii numus ab Eckhelio *y*) productus, cujus antica parte æque Acheloi caput, & quod minime negligendum, imberbe cernitur, quemadmodum in meo numo, quod rarius obſervatur. Fuit autem Anactorium & portio Acarnaniæ, & urbs cognominis a Corinthiis habitata, ut omnis ille tractus, quapropter Stephano κοϱινθιων *αποικος* adpellatur, Thucydidi κοϱινθιων *πολις*. Exiſtunt ſimiles numi, ſed abſque vultu Acheloi, qui notam A/ utrinque repetunt. Talem edidit Ill. Comes Winchilsea, *z*) & injuſte Anaphlyſto tribuit ignobili oppido haud procul Athenis, ſeductus Golziana moneta *a*) quæ caput Apollinis cum epigraphe ΑΝΑΦΛΥΣ. & pegaſum præfert, ſed hactenus a nemine viſa, ideoque ſuſpectæ *γνησιοτητος*. Fuit, qui adfinem cum gemino A/ Naupactum Ætoliæ revocavit ob adſcriptum Palladi ΝΑΥ. Verum & hunc Anactorii cuſum non immerito conjecit Cl. Eckhel. *b*) το ΝΑΥ incertæ ſignificationis eſt, cujus loco ſubſtituit ſi-

x) Rec. T. I. pl. XIII. n. 6. *y*) Num. vet. T. VII. n. 16.
z) Haym. Theſ. Brit. T. I. p. 218. *a*) In Græcia T. XV. n. I.
b) L. c. p. 127.

ſimilis numus muſei Cæſarei ΝΥΣ. alter Conſ. Pfau ΚΛΕ. Poſteriorem Corinthiæ pecuniæ male miſcuit Geſsnerus. *c*) Tabvla VI. N. 6.

LEVCAS.

- ΕΥΚΑ. Chimæra, cujus cauda in anguem finit: ſupra diota.)(Bellerophon pegaſo vectus telum intorquet. N. 7.

AER. III.

Corinthus multarum urbium mater. Earum tamen nulla fuit, quæ modo tam peculiari Corinthios natales profeſſa fuerit, quemadmodum Leucas. Hæc enim pegaſum, & Bellerophontem cum Chimæra pugnantem conjunxit, ſigna Corinthiæ pecuniæ propria. Si Geſſnerum *d*) audis, iisdem typis uſa quoque Seleucia, ſed fallitur. Numus, quem e muſeo Conſ. Pfau depromit, in ſegmento habet ΛΕΥΚ. & pone Chimæram ΣΕ. Ratus Vir eruditus deberi ambo vocabula componi, legit ΣΕΛΕΥΚεων. Inde error. Seleuciæ, imo totius Syriæ nullam offenderis monetam, quæ Chimæram exhibeat; ac vel ipſa inſcriptionis ratio

c) T. XXXII. n. 37. *d*) T. LX. n. 24.

TABULA VI. N. 7. tio duas innuit diverſas voces. Quare το ΛΕΥΚ. ΛΕΥκαδιων interpretor, το ΣΕ magiſtratum, quorum varia nomina æs Leucadium laudat. Diota, ſupra monſtrum conſpicua, tam deficit in numo Geſſneriano, quam in altero non abſimili, quem Pellerinius publici juris fecit. *e*)

ITHACA.

E Leucadia, quæ ante peninſula, poſtmodum facta eſt inſula, provehimur Ithacam „ Laertia regna, & terram altricem ſævi Ulyſſis. „ ut cum Virgilio loquar. Ejus inſulæ antequam numum deſcribam, quem præcipuum mei muſei ornamentum, ac veluti gemmam quantivis pretii æſtimo, juvat nonnulla præmittere, quæ ad geographicam atque hiſtoricam ejus notitiam pertinent.

Ithaca ſuper æthera nota ex Ulyſſis & Penelopes fatis: ceteroquin tenuis fuit & ſcopulis horrens, quo non obſtante tantum ejus repetendæ deſiderium Ulyſſem tenuit, ut mori cuperet, ſi modo vel fumum

e) IV. Suppl. III. pl. n. 3.

mum exilientem videret hujus terræ ſuæ. Elegans Ciceronis *f)* locus, & aptus ad rem præſentem, ubi ait: „Ac nos, quod maxime debet, patria noſtra delectat, cujus rei tanta eſt vis, tanta natura, ut Ithacam illam in aſperrimis ſaxulis, tanquam nidum adfixam, ſapientiſſimus vir immortalitati anteponeret. „ Celebratur ea inſula Homero pluribus locis una cum Nerito, cujus nomine alii diverſam ab Ithaca inſulam, alii vero propius Ithacæ montem intelligunt. Ejus nomen ex Hebræo fonte, ut ſolet, derivat Bochartus, *g)* quod „durum & intractabile„ ſignificet, nempe ob ſoli difficultatem. Aliter Euſtathius ad Homeri catalogum: *ιθακη δε εκληθη απο ιθακου ἡρωος, ου και ὁμηρος μεμνηται·* hoc eſt: Ithaca dicta eſt ab Ithaco heroe, cujus & Homerus meminit. Exſtat is Homeri locus, quem Euſtathius diſſimulat, Odyſſeæ libro XVII. verſu 207. ubi de ſplendido urbis fonte loquitur:

Tabula VI.

την ποιησ' ιθακος, και Νηριτος, ηδε Πολυκτωρ·

Quem fecit Ithacus, & Neritus, & Polyctor.

In-

f) 1. de Orat. c. 44. *g)* L. I. c. 23.

TABVLA VI.

Ingenium inſulæ Menelao nitidis coloribus ita pingit Telemachus: *h*)

εν δ' ιθακη ϗτ' αρ δρομοι ευρεες, ϗτε τι λειμων·
αιγιβοτος· και μαλλον επηρατος ἱπποβοτοιο.
ου γαρ τις νησων ἱππηλατος, ϗδ' ευλειμων,
'αι θ' ἁλι κεκλιαται· ιθακη δε τε και περι πασεων·

In Ithaca vero neque ſane curricula lata, neque ulla prata: Capris paſcendis apta eſt, & optabilior equorum paſcuis. Nulla enim inſularum equis vel pratis accommodata, quæ mari circumdatæ ſunt; Ithaca vero & ſupra omnes.

Quem locum Venuſinus Poeta præ oculis habuit, dum cecinit: *i*)

Non eſt aptus equis Ithacæ locus, ut neque planis
Porrectus ſpatiis, neque multæ prodigus herbæ.

Non adeo tamen ingratam Ithacenſes coluiſſe tellurem, comperimus e præſtanti marmore, quod ex hac inſula nobiliſſimus claſſi Venetæ Præfectus Ja-

h) Odyſs. δ. v. 605. *i*) Epiſt. I. VII. v. 41.

Jacobus Narius anno MDCCLVIII. Venetias transmiſit, doctusque Paciaudius eleganter explicuit. *k*) Is lapis non modo nos inſtruit, Dianam Ithacæ Soſpitam fuiſſe, ſed auguſtum præterea templum ibidem habuiſſe, prædiaque & agros ſibi conſecratos, ut eſſet in perpetuum, unde annui ſumtus reparando templo, ſacrisque faciundis neceſſarii ſuppeterent. TABVLA VI.

In quatuor partes diviſam Heracleo Glauci filius memoriæ prodidit; urbem autem cognominem habuiſſe a Ptolemæo traditum. Plutarchus porro aliud urbis nomen perhibet ita quæritans: ποθεν ἡ των ιθηκησιων πολις αλαλκομεναι πϱοσηγοϱευθη; „ Quare Ithacenſium urbs Alalcomenæ adpellata eſt ?„ Et mox ſubdit, a temporibus Laertis & Anticliæ jam ita vocatam, eo quod Anticlia Ulyſſem Alalcomenis Bœotiæ peperiſſet. *l*) Fuerunt igitur Alalcomenæ, aut ſecundum Stephanum, Alcomenæ vel diverſæ ab urbe Ithaca, vel hujus forte ſolum epitheton. Hodiernam inſulæ faciem deſcribit Sponius in Itinerario, adſeritque conſimili nomine Jathaco vocari. Græcis Theachi, Turcis Phiachi dicitur, teſte Leunclavio.

k) Mon. Pelop. T. I. p. 140. *l*) In Quæſt. Gr. Q. 34.

Tabvla VI. Ejus inſulæ, adeo priſcis temporibus celebris, quæque hodiedum Literatis tam cara eſſe debet, ac fuit quondam Ulyſſi, ob hunc tanti nominis virum, argumentum Odyſſeæ nobile, ejus inquam inſulæ monetam iniquo fato ad hæc uſque tempora nobis ætas invidit, adeo ut numorum pæne tam ſterilis fuiſſe, quam equorum herbarumque videretur. Quidni Apollini, Muſisque omnibus Hecatomben gratus ſacrificem, quarum indulgentia omnium mihi primo primam Ithacæ monetam & nanciſci licuit, & erudito orbi communicare? En itaque integerrimam, ac multo ſenio gravem!

N. 8. Caput Ulyſſis barbatum, & pileo coopertum. ☽(ΙΘΑΚΩΝ. Gallus gallinaceus: in area ſigla.

AER. III.

Primus hic eſt, ut prædiximus, atque unicus Ithacæ numus, qui ad hoc temporis prodivit. Præſtantiam auget Ulyſſis imago, nondum viſa, ſi recte memini, in Græca pecunia, tametſi præſto eſſent gemmæ, anaglypha marmora, veteresque picturæ, quæ vultum & varia ejus fata liberaliter offerrent. Signum Ulyſſis characteriſticum pileus eſt hemiſphæricus,

cus, quo caput tegitur. Secundum Euſtathium *m)* primus pileatum finxit Apollodorus: Nicomachus ex mente Plinii. *n)* Cauſam Voſſius & Meurſius a pileatis Spartanis accerſunt, a quibus Penelope genus ducebat. Sed nullo idoneo argumento nituntur. Non diſſimili capitis ornamento hodiedum utuntur nautæ, cumprimis Adriatici atque Jonii maris; & Winkelmannus haud immerito cenſet, Ulyſſem eo inſigniri, quo ejus longinqui & diuturni per plura maria inſinuentur errores. *o)* TABVLA. VI. N. 8.

Ex averſa gallus criſtas erigit. Ejus gratia iterato Homerum, & quosdam Tragicos excuſſi, quod partem averſam plerumque cum antica connecti probe noverim. Nullum tamen herois noſtri ſpeciale facinus fatumve reperi, quo animal iſtud adluderet. Quodſi revera ad eum refertur, haud dubie ſummam ejus vigilantiam, bellicamque fortitudinem arguit. Communiter enim hæc avis induſtriæ, vigilantiæ, & pugnacitatis ſymbolum habetur, ideoque ſacra eſt Mercurio, Soli, Marti, Palladique Εϱγανῃ. Alioquin hanc Deam Homerus fidelem Ulyſſi Comitem,

m) Ad Odyſs. A. p. 1399. *n)* L. XXXV. Sect. XXXVI. *o)* Mon. ant. p. 208.

Tabula VI. N°. 8. tem, numenque tutelare attribuit. Occurrit & iſtud. Auctore Pauſania *p*) Idomeneus Cretenſis gallum in clypeo geſtabat, quod is a Solis filia Paſiphae fuerit oriundus. Quid ſi præſente in numo gallus Circen, æque Solis filiam, reſpiceret?

> εκ γαρ της κιρκης οδυσσευς, της πασι θρυλλουμενης,
> αυσονα και τηλεγονον γεννα και κασιφονην·
>
> E Circe enim, quæ omnium monumentis celebrata eſt,
> Ulyſſes Auſonem, & Telegonum & Caſiphonem procreavit.

ut habet Tzetzes in Chiliadibus, conſpirante Euſtathio ad Homerum & Dionyſium. At hæc longius petita videri poſſint. Illud vero proximum arbitror, gallinaceum Ithacæ indolem notare, quæ hoc avium genere aut redundaverit, aut excelluerit. Pari modo, eademque de cauſa & in numis vicinæ Cephalleniæ arietes & aves crebro vagantur. Capris quidem dilectam ex Homero audivimus. Inviſam leporibus Plinius *q*) adſtruit his verbis: „In Ithaca lepores illati moriuntur.„.

Nunc

p) In Eliac. p. 444. *q*) L. VIII. Sect. LXXXIII.

Nunc relicta tandem Ithaca magnanimos, ut Homerus vocat, adeamus Cephallenios, qui & ipſi quondam Ulyſſis atque Telemachi parebant imperio. TABULA VI. N. 8.

CEPHALLENIA INS.

CRANIVM.

Aries.)(Arcus. N. 9.

AER. III.

* * *

Aries.)(Arcus intra quadratum incuſum. N. 10.

ARG. III.

Utramque monetam jungo, quod alterius altera poſcit opem, & conjurat amice. Ærea nondum edita. Argenteæ pervetuſtæ duas adfines reperio in Cimelio Auſtriaco, *r*) & Frœlichii Notitia elementari *s*) cum epigraphe ΚΡΑΝ. quæ meis aut nunquam inſcripta fuit, aut nunc adeo exeſa, ut penitus nullum literarum veſtigium adpareat. Dum ovem, aut ſi mavis,

r) T. IX. n. 7. *s*) T. III. n. XVII. p. 25.

Tabula VI. N. 9. & 10. vis, arietem anticæ partis intueor, ſubit illius paſtoris memoria, qui apud Virgilium *t*) ſic opes ſuas magnifice crepat:

Mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.

Quippe hoc ipſum eſt, quod Craniorum monetarii arietis typo prædicare volebant. Et vero frequentes arietum oviumque greges habitaſſe in „Saxis Cephalenum„ uti Silius vocat, lubens crediderim, quod animal iſtud ſaxoſi atque aſperi ingenii locis multum delectatur. Mira ſunt, quæ de capris Cephalleniis Ariſtoteles narrat. *u*) Si ei fides, non bibunt, ut reliquæ quadrupedes quolibet die, ſed capita oraque adverſum ventos obvertunt, hiantesque ventum excipiunt. Et quod amplius mirere, alibi *x*) tradit, ſex menſibus ab omni potu abſtinere; id quod Ælianus ſuo quoque calculo probat. *y*)

Alterius faciei typus in meis numis arcus videtur, in aliis pæne literam Δ mentitur. Frœlichius putat Cephallenen τετϱαπολιν, aut ipſam Cranon, quartam ejus inſulæ urbem, deſignari. Sed hoc inge-

t) Bucol. Eclog. II. v. 21. *u*) Admir. L. I. *x*) De Animal. L. XVI. *y*) De nat. anim. L. III. C. 32.

geniofius, quam verius. Arcus non minus venatio- TABVLA VI.
ni, quam bellicis uſibus aptus.

*

* *

Caput tænia revinctum: in area - Y.)(KPAN. N. II.
Ξ. Lyra intra coronam lauream.

AER. II.

Golzii Græcia z) ſimilem complectitur, ea diverſitate, quod KPANIΩN plenum nomen ſuggerat. Suſpectus videri poterat, ut omnes ſuſpecti ſunt numi, qui uni illi auctori memorantur. At noſter genuinus, ſi quis alius, Golzium abſolvit. Ita laborantem eruditi Viri fidem, quæ inexhauſta terræ viſcera quotidie ſuppeditant probatæ antiquitatis monumenta, magis magisque corroborant. Stephano Byz. gentile formatur κϱαναεις. Rectius κϱανιοι Thucydidi & Straboni, quibuscum facit numorum auctoritas. Antica parte heroem potius aliquem agnoſco, quam Apollinem. Neque oris lineamenta deorum omnium elegantiſſimo addicunt, neque lauro crines coerciti ſunt, ſed

z) T. XV. n. 3.

TABVLA VI. N. 11. ſed tænia. Quid ſi caput eſſet Cranii urbis conditoris, aut patris ejus Cephali, a quo nomen inſulæ factum? Hunc ſane, tænia pariter redimitum, videre mihi videor & in alio muſei hujus numo Sames, (erat Same una e quatuor Cephallenes urbibus) in cujus averſa canis a Procride ei donatus, nomine Lælaps, arrectis auribus coram arbore ſedet, pedem dextrum elevans, quaſi domino ſuo feram in ſilva latentem eo geſtu indicaturus. Si quis tamen e lyra alterius partis Apollinem arguere malit, per me licet. Ejus numinis cultus ad Cephallenios e proxima peninſula Leucadia profluxerit, ubi tanta religione colebatur, ut inde Leucadius Apollo cognominaretur.

P A L E S.

N. 12. Π. & granum frumenti.)(Delphinus adſiliens ſuper undas marinas.

AER. III.

* * *

N. 13. Caput Cereris.)(ΠΑ ſpecie monogrammatis.

AER. III.

Pri-

Primo fere geminum poſſedit Cl. Khellius, ac inter ignotos cælatum propoſuit. *a*) Panormo dedit Burmannus, quem edidit Dorvillius cum vultu Cereris, atque uva intra literam Π. *b*) Ego quod delphinem eodem prorſus impetu ſuper undas ferri vidiſſem in ære Liparæ, cœpi vicinas inſulas, earumque urbes diligenter perſcrutari, num reperirem, cui liceret id genus numos inferre. Huc illuc fluctuanti tempeſtive ſuccurrit doctiſſimus Eckhel, de hac re a me compellatus, e quo didici, cum citatos numos, tum ſubſequentem cum epigraphe ΠΑ, qui a Pellerinii temporibus Panormi in Sicilia exulabat, *c*) ſpectare Palen Cephalleniæ urbem. Ratio eſt, quod ſæpius ibidem eruantur, ut ex erudito quodam amico intellexit Cl. Eckhel. Huic proinde, non mihi, debetur revelatæ numorum iſtorum patriæ honos, quod ingenue fateor. „ Eſt enim benignum & plenum ingenui pudoris, fateri per quos profeceris, „ ut eleganter a Plinio dictum. TABVLA VI. N. 12. & 13.

Enimvero ſi alterius gloria eſt inventæ patriæ, mihi ſaltem e ſignorum interpretatione aliquid erit,

 ut

a) Adp. alt. ad Geſsn. *b*) In ſicul. T. XVII. n. IX. *c*) Rec. T. III. Tab. CXI. n. 59.

TABVLA VI. N. 12. & 13.

ut puto, laudis. Delphini ratio nota. Secus de uncis ſub delphino conſpicuis; nam horum ſenſum neque Burmannus eſt adſecutus, neque Khellius. Hic vitiatam adeptus monetam, literarum veſtigia delphino ſubeſſe putabat: ille piſcatoriam machinam inſidiantem piſcibus. *d*) Sed enim maris undas ea ſpecie fuiſſe a veteribus adumbratas, perſuaſum habeo. Id probant evidenter Tarentinorum numi triti, qui ſimillimos unços ſæpenumero exhibent, verum ſemper ea tantum parte, qua vir nudus delphino vehitur. Teſtantur hoc etiam Reipublicæ Romanæ aſſes, aſſiumque partes, quæ naves figuratis eundem in modum fluctibus innatantes præferunt. Vide gentis Cæciliæ ſemiſſem in Theſauro Morellii Familiarum Romanarum, *e*) neque ultra dubitabis. Nec prætereundus nobilis Camarinæ tetradrachmus apud Dorvillium, *f*) qui cornutam fluvii Hipparis effigiem ſimilibus includit uncis. Quid his facias? De nihilo putabis adeſſe? Id tantum abeſt, ut potius ab artifice ingenioſo credam adpictos, quo & cornutæ figuræ ſenſus nitidius exprimeretur, & facilius ab intuentibus dignoſceretur.

Fru-

d) L. c. p. 450. *e*) Tab. 2. n. IV. *f*) L. c. Tab. XIV.

Frumenti granum ex averſa parte, vultusque Cereris * alterius numi, neſcio an plus lucis adfundat, an debeat Polybio. Narrat auctor graviſſimus, ubi de Philippi expeditione in Ætolos agit, *g*) eum regem ad Palen exercitum admoviſſe, *συνιδων δε ταυτην την χωραν γεμȣσαν σιτȣ, και δυναμενην τρεφειν ϛρατοπεδον* „ cum videret eam regionem ſegetibus abundantem, atque ad exercitum alendum ſufficientem. „ Num quid aptius dici potuit ad explicandum hordei granum, quod intra prægrandem literam π tantum non pinguedine rumpitur? Quidni jucundum cernere oculis, quam belle nitideque ſcriptores veteres cum veterum monumentorum fide conſentiant?

TABVLA VI. N. 12 & 13.

Fuit Cephallene, ut Ithaca, *τετραπολις*, ſeu quatuor continens urbes, Palenſes, Cranios, Samæos, Pronæos. Ex iis ſoli Palenſes, quorum deſiderabantur numi ad hæc tempora. Pronæorum hodieque unicus cenſebatur, quem Pellerinio debemus. *h*) Sed iisdem adjudico alterum item æreum tertii ordi-

Dd 3 nis,

* Cereris ſimillimum caput ejusdem inſulæ Pronæi ſignarunt apud Pellerinium, novo argumento, ad hanc inſulam ſpectare numum ſecundo loco deſcriptum.

g) Hiſt. L. V. *h*) Rec. T. III. pl. XCV. n. 10.

Tabvla VI. N.12.&13. nis, inter Panormitanos commorantem in Parutæ Sicilia, *i*) qui hic Jovis verendum caput exhibet, illic monogramma literis ΠΡ compoſitum, in cujus medio botrus turget. Sentiet omnino mecum, quisquis eum numum accuratius cum noſtris contulerit.

Palenſium nomen magnopere variat. Thucydidi urbs παλλης: (dialecto communi παλλεις) oppidani Herodoto παλεες dicuntur, nempe Jonica dialecto. Pauſanias & Strabo παλεις. Polybius vocat παλαιεων πολιν, unde παλαια deduci poſſit. Sed mox infra παλευτα diſerte nominat. Livius Palenſes, ut editio Drakenborchiana, vel Pallenſes, ut Gronoviana & Creveriana ſcribit. Marmorea baſis, e Cephallenia in muſeum Nobiliſſimi doctiſſimique Bernardi Nanii Veneti advecta, habet: Η. ΒΟΥΛΗ. ΚΑΙ. Ο. ΔΗΜΟΣ. ΠΑΛΕΙΩΝ. *k*) & alter lapis apud Cyriacum Anconitanum *l*) Η. ΠΟΛΙΣ. ΠΑΛΕΩΝ. Sed juvat plenam inſcriptionem hoc loco proponere, quandoquidem nos erudit, qua ſint fortuna uſi Palenſes Hadriani Aug. ætate. Fuit Cephallenia in poteſtatem Populi Romani redacta A. V. C. DLXV. Ab eo tempore victo-

i) T. 19. n. 189. *k*) Pacciaudi Mon. Pelop. T. I. p. 94.
l) Inſcript. p. XII.

ctoris juga tulit uſque ad Hadrianum, qui eam inſulam Athenienſibus ſibi tam caris donavit. Tum Palenſes, everſa Same totius inſulæ πρωτοι, Athenis Hadriano ſequens monumentum poſuere, quo ſeſe „ liberos, & ſuis utentes legibus „ gloriantur: TABULA VI. N. 12 & 13.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΤΡΑΙΑΝΟΝ. ΑΔΡΙΑΝΟΝ
ΣΕΒΑΣΤΟΝ. ΟΛΥΜΠΙΟΝ. Η. ΠΟΛΙΣ. ΠΑΛΕΩΝ. ΤΗΣ
ΚΕΦΑΛΗΝΙΑΣ. ΕΛΕΥΘΕΡΑ. ΚΑΙ ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ
ΔΙΑ. ΕΠΙΜΕΛΗΤΟΥ. ΦΙΛΟΥ. ΑΥΙΟΥ.

BOEOTIA.

LARYMNA. SALGANEVS.

Caput muliebre.)(ΛΑ. ΣΑ. Scutum Bœoticum. TABVLA VII. N. 1.

AER. III.

Pellerinius quod legeret in conſimili numo ΛΑ. ad Lacedæmonem animum convertit; *m)* qua in re ſectatorem habebit neminem, tametſi auctoritas illuſtris Viri ceteroquin ea ſit, ut a quo tempore cœpit numismaticos ſuos theſauros effundere, ac illuſtrare de-

m) Rec. T. I. pl. XIX. n. 4.

TABVLA VII. N. I.

decem voluminibus, æternis ingenii ſui monumentis, reſtitutæ ſcientiæ Numariæ epocham deducere fas ſit. Bœotiam liquido manifeſtat ſcutum, quod a forma huic regioni peculiari, paſſim ſcutum Bœoticum audit, numisque Bœoticis inhæret velut ſignum *διακριτικον*, ſuppreſſo etiam gentis nomine. Totus labor eſt in expiſcanda prædictæ regionis urbe, quæ hos numos procuderit. Pellerinianus non niſi literas ΛΑ eloquitur, ΣΑ reticet. Illæ igitur certum urbis nomen truncatum continent, utpote quæ ambobus in numis æque occurrunt. Hoc ſtante Larymnam tenemus; neque enim aliam Bœotiæ urbem cognovi, cui *το* ΛΑ congruere poſſit. At quid erit literis ΣΑ, quas adjicit auctoris numus? Magiſtratus initiales ſi dixeris, citius quam verius expedita erit quæſtio. Mihi quidem altera Bœotiæ urbs latitare videtur, cui nomen *Σαλγανευς*. Hæc Larymnæ proxima fuit, atque ex eo facile inducor, ut credam, eas urbes ſocietatem iniiſſe, aut feriiſſe fœdus, cujus teſtes ſint hi numi, utriusque urbis nomine ſignati. Longus ſim, id genus exempla ſi e numis recenſeam. Sic & Theſſali propinqui ſuam adeo cum Romanis ΟΜΟΝΙΑΝ in numis prædicaverunt. Accedit recepta Bœoticis urbibus conſuetudo, ut in publica moneta rarius totum adderent nomen, ſæpius innuerent una tantum ſylla-

ba.

TABVLA VII. N. I.

ba. Ita ΘΕ. ΘΕΣ. ΜΥ. ΟΡΧ. ΤΑ. Thebæ, Theſpiæ, Mycaleſſus, Orchomenus, Tanagræ ſcripſere. Ad hunc morem uti Larymna ΛΑ, ita etiam Salganeus unice ΣΑ præſenti numo inſcripſerit. Sed ut ut ſit de poſtrema urbe, illud certum, neutrius antehac fuiſſe monetam cognitam.

Larymnæ duæ Straboni explicite memorantur, una „Locridis, quæ ſuperior dicitur, & alia Bœotica ad mare ſita, cui ſuperiorem Romani adjunxerunt, „ quæ verba ipſius Strabonis ſunt. *n*) Pauſanias non agnoſcit, niſi unam, *o*) cujus locum latine verſum expedit huc transſcribere: „ ſuperato Ptoo monte, eſt ad mare Bœotorum urbs Larymna. Nomen inditum ferunt a Larymna Cyni filia. . . . Cum Opunte olim cenſebatur Larymna; ſed auctis Thebanorum opibus ultro ſe ad Bœotos adjunxerunt. „ Ambos geographos Palmerius conciliare ſtudet, quem qui volet, conſulat. *p*) A vero non abhorret, femineam protomen, quam Pellerinianus & noſter numus oſtentat, eſſe Larymnæ Cyni filiæ. Alteram urbem Salganea Strabo collocat in edito loco, Stepha-

n) L. IX. p. 623. *o*) Bœot. p. 756. *p*) Græcia ant. p. 583.

TABVLA VII. N. I. phanus inſuper Euripo adhærentem. Nominis auctor Salganeus vir Bœotius perhibetur. Is Perſis a Maliaco ſinu in hoc mare delatis ductor cum fuiſſet, a Megabate Perſicæ claſſi præfecto interfectus eſt, priusquam ad Euripum perveniſſent, quod mala fide hominem Græcum feciſſe putaret, qui claſſem in eas maris anguſtias conjeciſſet. Cognito errore, quem inſontem Megabates occidit, magnifico ſepulcro cohoneſtavit, a quo urbi nomen remanſit. Hæc Strabo.

A T T I C A.

A T H E N A E.

Caput Palladis, cujus galea pegaſo ornata.)(ΑΘΕ. ΚΑΡΑΙΧ. ΕΡΓΟΚΛΕ. ΔΙΟΦ. Noctua ſuper amphoram notatam litera I. ſubtus ΣΦ. a ſiniſtris in area navis: omnia intra coronam oleagineam.

ARG. I.

De Attica moneta plus ceteris, præter Meurſium ac Oudinetum, egregie meriti ſunt Ill. comes Winchilſea in erudito tractatu de numis Athenienſium Haymio inſerto, & doctus Eduardus Corſinus in Faſtis Atticis. Poſterior e muſeo Stoſchiano recenſet

ſi-

ſimile tetradrachmum, ſed ΔΙΟ pro ΔΙΟΦ, & ΕΦ pro ΣΦ legit, literamque Ι. diotæ inſcriptam conticet. Ad hæc navis (in Stoſchiano tridens eſt) habenda ratio videtur; vix quippe dubito, quin maritimas Athenienſium vires indigitet. Adeo vero nauticæ rei vacabant Athenienſes, ut propterea quod remis continuo adſiderent, per convitium dicerentur *αποyλȣτοι*. Quo tendit etiam feſtivus Ariſtophanes in Equitibus, qui eos *ὑπολισπα πυγιδια* vocitat. Quamquam alii hujus dicterii cauſam a Theſeo repetant, qui ab Hercule ex inferis eductus eam corporis partem, qua ſaxo infelix adhæſit, reliquit. TABVLA VII.

*

* *

Minervæ galeatum caput.)(ΑΘΗ. Mars galeatus navi vehitur, d. coronam lauream, s. tropæum gerens: in prora noctua & ſerpens habitant. N. 2.

AER. II.

Præſtans numus, & forte geminus ei, quem e gaza Regis Galliarum in lucem miſit Oudinetus. *q*) Delineatum reſtituo, Pariſino ectypo non uno nomi-

 ne

q) Hiſt. des Inſcr. T. I.

Tabvla VII. N. 2. ne peccante, forſitan quod numus non ſatis integer erat. Sertum, quod Mars ſuſtinet, & ſerpentem, qui cum noctua vigilias in prora agit, omnino deſiderabis in Oudineti exemplari. Occurrit, Pauſaniam tradere ſub eo ſerpente, qui ad Minervæ in Parthenone ſtatuam jacebat, deliteſcere Erichtonium, hac nempe ſpecie educatum a dea. Si ita eſt, poſſis Erichtonium & eum ſerpentem exiſtimare, qui toties Athenienſium in ære ante pedes Minervæ reptat. Alias prudentiæ ſymbolum communiter habetur, uti noctua vigilantiæ; quapropter utraque animalia Minervæ ſacra ſunt, comitesque individui. Hinc Demoſthenis acerbum illud in Athenienſes dictum: „ O domina urbis cuſtos! Cur tribus infeſtiſſimis beſtiis delectaris, noctua, ſerpente, & populo! „

Literam Θ ſolitæ formæ Pariſinus exhibet numus: noſter quadrifariam ſectam, qualem celebres inſcriptiones Sigæa & Deliaca fingunt, cujus formæ, quantum memini, necdum viſa eſt in Athenienſi pecunia. Grandem inde numi vetuſtatem nolim aliquis incautus laudet. Quippe cetera non congruunt. *το* Η pro Ε, & fabrica ſolito elegantior recentius ævum dilucide produnt. In univerſum anceps, dubium, & fallax eſt ætatis criterium e characterum figuris expeti-

titum, ni ceteræ quoque periſtaſes addicunt, præſertim fabrica, atque artis ratio. Non omnes populi eodem tempore adoptavere literas aut recenter inventas, aut mutatas quoad formam. Speciatim novimus Athenienſes tenaciter Cadmeis inhæſiſſe formis, multoque tempore literas Z. H. Ψ. Ω. alphabeto Græco a Simonide junctas faſtidiviſſe, etiam tum, cum jam per univerſam Græciam obtinuiſſent. Sæpe characteres ad primigeniam ſpeciem refecti, nunc monetariorum libidine, nunc amore antiquitatis imitandæ. Dyrrhachenorum binæ drachmæ apud Begerum *r*) cum obviis typis ſcribunt: ΜΕΝΕΚΡΑΤΕΟΣ, litera Ω antiquiſſimam quadrati figuram ſimulante. Seleuciæ urbis Syriæ autonomus, Auguſti ævo ſignatus, quadratum o parvum quinquies repetit. *s*) Numorum iſtorum ætatem ſi quis ad hos exigeret characteres, quam immane hallucinaretur! Accidit non raro, ut iidem numi, imo eadem vocabula unam eandemque literam varient. Ita Cyzicenus apud Haymium, *t*) cum Hadriani protome, jam rotundum, jam quadratum o effigiat. Ita γαμμα in Segeſtano Siciliæ *u*) & Γ

TABVLA VII. N. 2.

r) Theſ. Brand. T. I. p. 457. *s*) Pellerin Rec. T. II. pl. LXXX. n. 71. *t*) Theſ. Brit. T. II. Tab. XXXIII. n. 7. *u*) Catalogue raiſon. de Méd. p. 55.

Tabvla VII. N. 2.

& c: *Σιγμα* uti Σ & C in numo ΣΥΡΑΚΟCΙΩΝ * ducitur. *x*) Fallit etiam male cautos perſæpe retrogradus literarum ordo, quem plures numi uſurpant parum vetuſti. E turba ſatis eſto citaſſe unum Siphniorum Ægæi maris: *y*) alterum Meliorum itidem Ægæi maris. *z*) Ambo retrorſum ſcribunt, etſi de reliquo habeant omnes recentioris ætatis numeros. Poſtremus eo memorabilior, quod inſulæ nomen una parte retrogrado, alia recto profiteatur ordine. Ipſum adeo ſcripturæ genus *βυςροφηδον* quibusdam recentioribus, quin etiam imperatoriis monetis placuit. Unde jam iſthæc, niſi ex artificum arbitrio, ingenio vario, ſtudioque remotam adfectandi vetuſtatem, quod apud Græculos homines profecto ſummum erat, cunctisque abunde patet vel Herodis Attici facto, qui antiquitatis ac illuſtris quondam patriæ cultor eximius, quas poſuit columnas malebat literis pervetuſtis Atticis inſcribi, quam qui ſuo valebant ævo, nempe ſub initium ſeculi ſecundi poſt Chriſtum natum. Itaque ma-

* Hujus ſi copia numi fuiſſet celeberrimo Winkelmanno, non utique gemmam aliquam doli arguiſſet eo capite, quod inſcriptionis ſigma Σ & C figuratur. Geſchichte der Kunſt. Wien. II. Th. S. 702.

x) L. c. p. 51. *y*) Pellerin Rec. T. III. pl. CXII. n. 6. *z*) L. c. pl. CIV. n. I.

maxima opus eſt circumſpectione in definienda e characterum figuris numorum ætate, neque temere hac in parte ſtatuendum eſt aliquid, niſi etiam ceteræ, ut prædiximus, conſpirent periſtaſes, cumprimis fabricæ ratio. TABVLA VII.

*
* *

ΑΘΕ. Pallas galeata gradiens pugnantis habitu, læva ægidem, ut videtur, obtendit, dextra haſtam projicit.)(Meduſæ vultus horrentibus capillis. N. 3.

AER. III.

Aut alius eſt ab eo, quem Winchilſea habuit, *a*) aut fefellit oculus eruditiſſimum Comitem, qui caput leonis exuviis contectum vidit, ex quo Theſei vel Herculis definit imaginem. Ego manifeſtum Meduſæ vultum intueor rigentibus ad terrorem capillis, venuſtum cetera, uti venuſtum ſæpe finxerunt artifices græci, præcipue gemmarum ſcalptores præeunte Solone, quem tot veteres ac recentiores æmulati ſunt, conſecutus nemo. Et vero Meduſa bene ſociatur Minervæ alterius partis. Norunt omnes, hujus

a) Haym. Th. Brit. T. XVII. n. 10.

TABVLA VII. N. 3. jus deæ ſcutum pectusque ſæpenumero Meduſæ vultu horrere; & Pauſanias expreſſe notat, *b*) Athenis Minervæ *της παρθενȣ* ſimulacrum, Phidiæ opus illud celebratiſſimum, Meduſæ caput pectore geſtaſſe. Sed & aliæ urbes, e. g. Syracuſæ Siciliæ apud Parutam, hic Palladis effigiem, illic Gorgonis os repræſentarunt. Quare Theſeum, Herculemque ab hoc numo procul eſſe jubeo, ni velit uterque in ſaxum obrigeſcere.

M E G A R A.

N. 4. Apollinis laureatum caput.)(ΜΕΓΑΡΕΩΝ. Ceres ſuccincta & cothurnis induta properat, ſingulis manibus tædam gerens.

AER. III.

Pocockius refert, complures erui numos in Attica Megara, ibidem cuſos. Quam vellem enarraſſet eorum typos! Forte minus laborarent Eruditi in diſcernendis Atticæ Siculæque Megaræ numis. Eam difficultatem alibi notavimus, & fuimus ipſi experti. Præſens moneta negotii minus faceſſit. A Mega-

b) In Attica p. 58.

garenſibus Atticis fabricatam, dubitare non ſinunt utriusque partis argumenta. De Apollinis apud eos magna religione & alias diximus, & multa tradit Pauſanias, variaque ejus delubra & ſtatuas recenſet. Si quis tamen oris ductus ab Apolline diſcrepare, ac potius Megarum ejus filium, a quo ſecundum aliquos urbi nomen impoſitum, exhiberi cenſeat, nihil impedio. Id enim ad præſens inſtitutum perinde facit. Averſa pars majoris momenti, cujus typus, uti ſæpe alias, apud Arigonium peccat, qui ſimilem propoſuit numum. *c*) In eo Diana fingitur jaculum dextra, læva tenens arcum. Meus nulla parte vitiatus indubitato Cererem ſiſtit, ſingulis manibus luculentas ferentem tædas, quæ oculo non ſatis attento, aut jam jam fugientes, facili lapſu venatoria arma videri poterant. Seduxerint porro cothurni, ſuccinctaque veſtis, quibus alias Diana gaudet, quo expeditior ad inſequendum feras eſſet; tametſi habitus ille non minus Cereri competit, quæ raptam a Plutone filiam Proſerpinam per montes, per agrosque ſaltusque perquirebat tam indefeſſe, ut

TABVLA VII. N. 4.

Il-

c) Tab. XV.

TABVLA VII. N. 4.

Illam non rutilis veniens Aurora capillis
Ceſſantem vidit, non Heſperus.

Erat autem Cereris cultus Megarenſibus Atticis & antiquiſſimus, & religioſiſſimus, quod liquet Pauſaniæ teſtimoniis, qui Megaridis in rebus locuples eſt. Is poſtquam dixiſſet, *d*) Megaram nonnullis videri ſic nominatam a Care Phoronei filio, ſubdit: „ Tunc enim primum Cereris templa apud ſe erecta, eaque Megara adpellata, Megarenſes ipſi commemorant in iis, quos de rebus ſuis habent ſermonibus. „ Et mox: „ A Jovis luco cum in arcem aſcenderis .... Cereris nobile templum eſt, Megaron vocant, quod ædificaſſe Cara, dum regnaret, memorant. „ At locus multo præſtantiſſimus, qui ſubſequitur: *e*) Ες δε το επινειον, καλουμενον και ες ἡμας ετι Νισαιαν, ες τουτο κατελθουσιν, ἱερον Δημητρος εστι Μαλοφορου· λεγεται δε και αλλα ες την επικλησιν, και τους πρωτους προβατα εν τῃ γῃ θρεψαντας, Δημητρα ονομασαι Μαλοφορον. „ Ad navale autem, quod mea etiam ætate Niſæam vocant, ſi deſcendas, Cereris Oviferæ templum videas. Cognomen vero deæ præter alia multa,

d) Attic. p. 95. *e*) L. c. p. 106.

Tabvla VII. N. 4.

ta, quæ ea de re prodita ſunt, ab iis inditum cenſent, qui primi oves in ea regione aluerunt.,, Atque hujus quidem Oviferæ, ſeu Laniferæ Cereris imaginem præſens numus certo certius repræſentat; id quod aperte conficio Pegarum numo quodam rariſſimo. Erant Pegæ, ſeu Dorice Pagæ, Megaridis oppidum, a Megarenſibus conditum Pauſania teſte, *f*) adeoque iisdem, ut fieri amat, devotum Numinibus. Ejus numus omnino ſingularis a Frœlichio promulgatus eſt. *g*) Una parte Septimii Severi protome: altera Ceres ſuccincta & tædifera præcedente ariete, circumſcriptio ΠΑΓΑΙΩΝ. Hæc moneta ut poſtremis Pauſaniæ verbis mirifice illuſtratur, Oviferamque Cererem evidenter proponit ab ariete proditam: ita nullum dubio locum relinquit, quin pariter in ære ΜΕΓΑΡΕΩΝ eadem dea adſit; nam eodem prorſus geſtu habituque & ab his, & ab illis efficta cernitur. Nec turbat, arietem Megarenſes amoviſſe monetarios. Non omnia omnibus numis inſerta deorum dearumque ſymbola & attributa. Quis neſcit Dianam Epheſiam nunc comparere ſolam, nunc cervis ſtipatam? Neque ipſi Pagæi ſemper arietem ſuæ deæ copulabant. Solam deprehenderis in duobus eorundem numis, quos

f) L. c. *g*) Append. ad Vaillant. p. 243.

Tabula VII. N. 4. M. Aurelii, *h*) & Commodi *i*) nominibus conſecrarunt, quorum prior Frœlichii & Pellerinii ſolertes effugit oculos.

Cauſam Cereris, μαλοφορȣ cognomine cultæ, jam e Pauſania intelleximus. Et alias pervulgatum, oves Atticas æque ac Tarentinas excelluiſſe lanæ præſtantia, uſque adeo, ut earum corpora pellibus obtegerentur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte poſſit, vel lavari ac parari, ut habet Varro. *k*) Qua de cauſa fertur Diogenes conſpectis Megarenſium intectis gregibus, pueris vero nudis dixiſſe, malle ſe Megarenſium hircum, quam filium eſſe.

Megaræ nomen etiam his temporibus durat. Ejus reliquias ac hodiernam conditionem deſcripſit nuper eruditiſſimus Anglus Richardus Chandler in Græciæ itinerario.

PE-

h) Arigonius T. XV. n. 174. *i*) Pellerin Rec. T. III. pl. CXXXVI. n. 3. *k*) De re ruſt. l. II. c. 2.

PELOPONNESVS.

TABVLA VII.

ACHAIA.

Vetuſtate magis, quam raritate præſtant majoris formæ numi argentei, quorum una ex parte teſtudo reptat, nota Peloponneſi teſſera: ex alia quadrum alte incuſum eſt ſine vel cum inſcriptione ΑΙΓΙ. Utriusque generis mihi præſto ſunt. Sed inter anepigraphos unus eminet vel ipſo minuto volumine, & exiguo pondere; quippe grana tantum XLVIII. adpendit, cujus propterea mentio ingerenda videbatur. Ejusdem fere ponderis alterum Vindobonæ conſpexi cum literis ΑΦ quadrato inſertis. Hæ tam parum urbis initiales cenſendæ, quam literæ ΙΝ ſimili, ſed ſolitæ magnitudinis numo inſcriptæ, quem e muſeo Ill. March. Savorgnan Eckhelius edidit. *l*) Cuſi omnes totius Peloponneſi nomine ſunt indubitato Ægii, nobiliſſima Achajæ urbe, quo non Achæi ſolum, ſed univerſi Peloponneſii conveniebant, publicis de rebus conſultaturi.

l) Num. vet. T. VIII. n. 8.

TABVLA VII. N. 5.

CORINTHVS.

Neptuni protome cum tridente: circumſcriptio fere detrita.)(L. CAN. AG.... COR. Duæ dextræ junctæ papaver & geminas ſpicas tenent.

AER. II.

Ætatem numi ex alio tenemus, quem idem L. CANINIVS. AGRIPPA. II. VIR. CORinthiorum dedicavit Imperatori Galbæ cum eodem averſæ partis typo. Pellerinius, qui ejus ectypon attulit, *m*) ſignum militare duabus manibus tenendum dedit. Sed numum attritum pictura linearis arguit; ex quo veroſimile, in eo etiam ſpicas cum papavere adeſſe. Similis argumenti autonomum reperio apud eundem Auctorem, *n*) in quo tamen e manibus una, & tridens, & omnis circa Neptunum inſcriptio deficit. Hanc in noſtro quoque numo tam indigne habuit ætas, ut ille futurus ſit mihi magnus Apollo, qui eam legerit. Papaver & ſpicæ cum Livio faciunt, qui agrum inter Sicyonem & Corinthum „ nobiliſſimæ fertilitatis „ pronunciat. *o*) Neptuno anticæ partis non eſt, quod immorer. Fuit univerſus Iſthmus Briarei judicio ei ſacer, in

m) Mel. I. pl. XVI. n. 14. *n*) Rec. T. I. pl. XVII. n. 24.
o) L. XXVII. C XXXI.

in ſpecie Corinthus bimaris, uti Poetis a ſitu vocatur. * Triſtiſſimum ejus urbis fatum nemo eſt, qui ignoret. A Romanis capta, direpta, proſtrata, quæ antea totius Græciæ lumen fuit, poſtea ſuis ſepulta ruinis tamdiu delituit, donec ſimul cum Carthagine, quæ eodem, quo Corinthus, concidit anno, a Julio Cæſare inſtaurata, & Colonia Romana facta eſt. Ab eo tempore numorum tam dives eſt, quam pauper, dum adhuc incolumis ſtetit, quod prodigio non abſimile videtur. Golziani numi ſuſpecti. Argenteos cum Pallade, pegaſo & Ϙ, ex Iſthmo in Siciliam traduximus. Quinam ergo Corinthiis remanent? Nimirum ſex ii, quos Pellerinius iisdem addixit. Verum & hi, uno demto, necdum evaſere cenſoriam virgam. Ad primum Pallade, pegaſo, ac epigraphe ΚΟΡ inſignem quin jus ſit Corintho, negare non auſim. Hoc tamen jus non omnino liquidum eſt reclamante Corcyra Phæacia, quæ & ipſa το ΚΟΡ, prædictaque ſigna ſibi vendicat. Fuerint licet inter hanc ejusque metropolim Corinthum ſimultates & bella. Poterant utique TABVLA VII. N. 5.

* Hanc inter duo maria poſitionem revera Corinthus in numis aliquoties indicavit emblemate figuræ nudæ, nempe urbis genii, quæ ſingulis manibus remum ſuſtinet. Pellerin Rec. T. I. pl. XVII. n. 18.

TABVLA VII. N. 5. que id genus monetæ ſignari a Corcyræis in metropolis honorem, ceterarum Corinthi coloniarum exemplo, quo tempore nondum eo potentiæ atque audaciæ progreſſi ſunt, ut cum Corinthiis, a quibus orti, graviſſimis diſſidiis colliderentur, apertoque demum Marte contenderent. Atque hanc opinionem quodammodo juvat ipſa numorum iſtorum raritas. Nam creſcentibus poſtea diſcordiis & odio, ab ipſis Corcyræis ſollicite conquiſiti conflatique videntur, ut nempe hos originis ſuæ teſtes inviſos penitus tollerent, eo magis, quod ex concepto in Corinthum odio a Phæacibus mallent genus ſuum repetere. Secundus numus iisdem typis notatus eſt, ſed anepigraphus, ideoque dubium creat, uti quarto loco propoſitus, ſitne revera Corinthum, an ad unam ex ejus coloniis revocandus, quibus ſimiles placuere typi. Tertium Syracuſanum eſſe alias demonſtravimus. Italiæ certo reſtitui debet ſextus, cui duos adfines Panormo tribuit Paruta, *p*) licet immerito. Talem & mihi contrectare licuit bene ſervatum, litera Q, geminisque in area globulis inſignem, Italiæ manifeſtis argumentis. Quapropter e ſex Pelleri-

p) Sic. Num. T. V. n. 46. & 50.

riniani ſolus quintus ſupereſt, quem tuto Corintho vindices. Cur tanta urbis adeo potentis ac opulentæ numorum raritas ſit, nullo pacto intelligo. Id ſcio, alias quoque primi ordinis exſtare urbes & inſulas, quæ pariter numorum ſteriles ſint, quibus abundent aliæ vix nomine cognitæ. Cui non dicta Delus, Cycladum ut media, ita longe clariſſima, referta divitiis, utpote „mercatus in Delo concelebrante toto orbe,„ quemadmodum Plinius ait. Quantam inſula tam dives, tamque frequenti nobilitata commercio procuderit pecuniæ vim? Tamen ad hæc uſque tempora vix una vel altera innotuit ejus certa moneta, (Golzianis nondum fides eſt) hodieque Pelleriniana *q*) tantum non unica habetur. Quid contra pauperius Mycono, Delo adſita, cujus egeſtas tenuisque fortuna adeo in proverbium apud Græcos abiit? Hujus tamen numos Spanhemius, Wheler, Pellerinius, Eckhelius referunt. Superſedeo pluribus exemplis. Res conteſtata experientia. Cauſa latet. Et latere quasdam remotiſſimi ævi periſtaſes quid mirum? Id potius mirum videri debet eſſe tam multa, quamvis denſiſſima duorum triumve millium annorum involuta caligine,

Tabula VII. N. 5.

q) Rec. T. III. pl. XCI. n. 3.

TABVLA VII. N. 5. ne, quorum nihilo minus cauſas rationesque hodiedum nitide ac eleganter Numismatologi expediunt

ZACYNTHVS.

Caput Apollinis laureatum.)(ZA. Tripus.

ARG. III.

*
* *

ZA. Δ - Tripus.)(Lyra.

AER. III.

*
* *

Dianæ protome cum pharetra a tergo.)(ZA. Pharetra intra coronam lauream.

AER. III.

Omnis primo a parvitate gratia; vix namque lentis magnitudinem ſuperat. Similes comperti, ſed mole differunt, tripodemque corona laurea cingunt, quam hujus numuli anguſtiæ non ferebant.

Se-

Secundus præter initiale Zacynthi nomen offert literam Δ aliamque fugientem; quoad reliqua ei convenit cum altero Arigoniano. *r*) Forte legendum Διωνος, cujus nomen perſcribitur in alio, ut arbitror, hujus inſulæ numo argenteo majoris formæ, quem editor Muſei Pembrok Dionis Siciliæ regis eſſe putabat. *s*) TABVLA VII.

Tertius qui memoretur, non indignus videbatur ob pharetram a tergo Dianæ, quæ characteriſtica deæ nota in ectypo Pelleriniano *t*) extrita fuerit. Et jure montium cuſtos, nemorumque virgo in hac inſula colebatur, quam ſilvoſam perhibent. Homerus: *u*)

Δȣλιχιοντε, Σαμητε, και ὑληεσσα ζακυνϑος·

Dulichiumque, Sameque, & nemoroſa Zacynthus. & Virgilius: *x*)

Jam medio adparet fluctu nemoroſa Zacynthos.

Ea inſula priſco & noſtro ævo celebris. Nunc Venetis obnoxia eſt nomine Zante. Inter varios ejus proventus præcipue bitumen laudant Dioſcorides,

 Vi-

r) T. 23. n. 229. *s*) P. 2. T. 78. *t*) Rec. T. III. pl. XCIII. n. 4. *u*) Odyſs. L. IX. v. 24 *x*) Æneid. L. III. v. 270.

TABVLA VII. Vitruvius, & Plinius. Ejus colligendi modum deſcripſit Herodotus.

MESSENE.

REGIO ET VRBS.

Caput laureatum Jovis.)(Literæ ME intermedio tripode.

AER. III.

Methones, urbis Meſſeniæ, inceſſit ſuſpicio. At terruit, in ejus pecunia conſtanter legi ΜΟΘΩΝΑΙΩΝ, nunquam ΜΕΘΩΝΑΙΩΝ. Quare poſthabita Methone Meſſeniam prætuli, quamquam alias ejus regionis & urbis cognominis monetæ literas ME monogrammate colligent. Similes argenteos, variis magiſtratibus inſcriptos, Pellerinii theſaurus continet. *y*) Antica parte Juppiter Ithomata cernitur, ad quem averſæ quoque tripus referri debet, de qua re Pauſanias in Meſſenicis.

LA-

y) Rec. T. I. pl. XVIII. n. 5. & 6.

LACONIA.

TABVLA VII. N. 6.

LACEDAEMON.

ΛΙΧΑΣ. Caput imberbe.)(ΛΑ. & duæ ſiglæ. Caput muliebre detritum: omnia intra coronam.

AER. II.

Haud exiguam inde laudem Spartiatæ merentur, quod civium de patria bene meritorum memoriam in publica moneta renovaverint. Lycurgi nomen vultumque centies in Spartana pecunia videris. Nunc & Licham tenemus Pauſaniæ *z*) ac Herodoto *a*) celebratum, qui magno ſuo periculo & mira ſagacitate Oreſtis oſſa in patriam retulit, e quibus Lacedæmonis Tegeæque Arcadiæ fatum pependit. Rem omnem Herodoti verbis narrabo ſed latinis tantum, quia locus prolixior. „ Cum ſemper in bello a Tegeatis ſuperarentur, (Lacedæmonii) miſſis Delphos conſultoribus oraculum ſunt ſciſcitati, quemnam deorum placarent, ut Tegeatarum victores exiſterent. His Pythia reſpondit, id fore, ſi oſſa Oreſtis filii Aga-

Gg 3 mem-

z) Lacon. p. 210. *a*) Lib. I. p. 26. Ed. Gronov.

TABVLA VII. N. 6.

memnonis referrent. Ejus cum loculum invenire nequirent, rurſus ad deum mittunt de loco ſciſcitatum, in quo ſitus Oreſtes eſſet. Hæc nunciis interrogantibus ita Pythia inquit:

Eſt quædam Arcadiæ Tegea in regione patente.
Hic duo flant venti vi pervehemente coacti,
Forma hoſtis formæ, & noxæ ſuperindita noxa.
Hic Agamemnonides terra omniparente tenetur,
Quo tu ſublato Tegeæ ſperabere victor.

Ubi hæc quoque audierunt Lacedæmonii, nihilo minus inventione fruſtrati ſunt omnia diſquirentes, donec Liches unus Spartiatarum eorum, qui bene meriti vocantur, comperit fortuna pariter atque ſolertia uſus. Nam cum hoc tempore cum Tegeatis jus commercii eſſet, & iſte in ærariam officinam veniſſet, intuebatur mirabundus ferrum dum procudebatur. Quo in ſpectaculo admirari eum animadvertens faber ærarius, intermiſſo opere, certe magis o Lacon hoſpes, inquit, admirarere, ſi idem, quod ego, tu noſſes, qui tantopere admiraris ferri opificium. In hac enim corte puteum facere cum vellem, fodiens incidi in locum ſeptem cubitorum; & quia incredulus

eram

TABVLA VII. N. 6.

eram omnino fuiſſe majores, quam nunc ſunt homines, aperui eum, & vidi cadaver ejusdem cum loculo longitudinis, quam ubi menſus ſum, iterum obrui. Hæc illo referente quæ viderat, Liches conſiderans conjectabat hunc ex oraculo eſſe Oreſtem, hac utens conjectura: duos quidem quos cernebat fabri ærarii folles, totidem comperit eſſe ventos; incudem vero & malleum, formam & formæ repercuſſionem; ferrum vero quod cuderetur, noxam ſuperinditam noxæ, hac ratione id conjiciens quod in noxam hominis ferrum inventum ſit. Hæc itaque cum conjectaviſſet, Spartam regreſſus rem omnem Lacedæmoniis refert. Illi ex compoſito & ficto ſermone hominem judicio adgredientes exilio damnant. Qui Tegeam profectus, & calamitatem ſuam referens fabro ærario, conducebat ab eo detrectante elocare cortem. Verum aliquanto poſt ubi perſuaſit, ibi domum habuit. Sic effoſſo ſepulcro oſſa collegit, eaque portans Spartam rediit. Quo ex tempore quoties ſe invicem experti ſunt, longe ſuperiores bello exſtitere Lacedæmonii. „

De averſæ partis imagine decidere quidquam vereor, quod maximam partem extrita ſit.

...ΝΔΡΟϹ

Tabula VII. N. 7.

* * *

...NΔPOC literis fugientibus. Caput laureatum.)(AA. Mulier ſuccincta s. haſtæ innititur: ad pedes canis, in area monogramma; omnia intra coronam lauream.

AER. II.

Hujus numiſmatis exemplum dedit Cl. Eckhel, *b*) ſed petitum e moneta Ill. Marchionis Savorgnani, quam edax tempus vehementer adroſit. Hinc illæ conjecturæ parum firmæ de argumento partis averſæ. Viro erudito mulier objicitur induta veſte ad talos deflua, lugentisque more manum attollens, quam Philonoen potius, Timandræ ac Helenæ famoſæ ſororem ſuſpicatur, quam Dianam. Enimvero in hoc numo dea manifeſte ſuccingitur, & ſiniſtra ſublata tenet haſtam. Quid igitur? Dianam nempe præ Philonoe adopto? Imo neutram, ſed Britomartin, de qua ſic fere Mythologi.

Erat Britomartis Jovis & Charmes filia, tota currendi venandique ſtudio dedita, ideoque Dianæ tam cara, ut ſuo contubernio dignam reputaret. Minois Cre-

b) Num. vet. T. VIII. n. 25.

Cretenſium regis amores fugiens narratur in mare præcipitem ſe dediſſe. Verum incidens in retia, captandis piſcibus extenta, ſervatur a piſcatoribus. Mox a Diana immortalis facta, atque a Cretenſibus Dictynnæ nomine culta eſt, nam *δίκτυα* retia vocant. Conferat, qui volet, Callymachum, *c*) Antonium Liberalem *d*) & Diodorum Siculum, *e*) qui fabulam aliquantum variant, ut ſolent mythologi variare. Sunt, qui Dictynnam cum Diana confundant; ſed hi reprehenſi a Diodoro Siculo, *f*) nec injuria. In fœdere, quod Latii ac Oluntii Cretæ populi percuſſerunt, *g*) utrique jurant *και ταν Λατων, κ' Αρτεμιν, κ' Αρεα, και τὰν Αφροδιταν, και ταν Ελευσιναν, και ταν Βριτομαρτιν·* ubi geminæ deæ perſpicue diſcernuntur. Fuiſſe Dictynnam ſummis in Creta honoribus adfectam, in vulgus notum. Polyrrhenii præter fanum etiam numos argenteos ei conſecrarunt, qui una parte ejus protomen, altera piſcatorem exhibent inſtructum virga piſcatoria. *h*) His præmiſſis jam propius ad rem. Pellerinius eximium Cydoniatarum in Creta numum argenteum primæ magnitudinis edidit, *i*) qui averſæ typo a noſtro nihil dif-

TAEVLA VII. N. 7.

c) Hymno in Dianam. *d*) Metam. c. XL. *e*) Hiſt. L. V. *f*) L. c. *g*) Chishull Ant. Aſiat. p. 134. *h*) Khell. Adp. alt. ad Geſsn. p. 113. *i*) Rec. T. I. pl. XCIX. n. 35.

TABVLA VII. N. 7.

differt, præterquam urbis nomine. Nullatenus Dianam, ſed Dictynnam in illo repræſentari, tanto minus dubito, quod Dictynnæ fabula peracta fertur in terra Cydoniate. Inde vero ejus cultum ad vicinos Lacedæmonios commigraſſe, proclivis eſt argumentatio. Ait Strabo: *k*) *της μεν τοι κυδωνιας ορος εστι, εν ῳ ἱερον εστιν, ου Δικταιον, αλλα Δικτυνναιον· κυδωνια δ᾽ επι θαλαττη μεν ἱδρυται, βλεπουσα προς την λακωνικην·* „ Apud Cydoniam eſt mons Tityrus, in quo templum, non Dictæum ſed Dictynnæum. Cydonia vero ad mare ſita eſt, Laconiam reſpiciens. „ Erat ergo Dictynnæ maxima reverentia, & templum apud Cydoniatas. Erant Cydoniatæ prope mare e regione Laconum. Quid intellectu facilius? Quid veritati conformius, quam ad hos ab illis Nymphæ cultum transfretaſſe, haud multo mari inter utrosque interjecto? At inquies, non illud agitur, qua forte via, ſed utrum revera fuerit Britomartis religio apud Spartanos recepta. Id nempe demonſtrandum, ni denuo Nympham periclitari velim. Id vero tam facile conficiam, quam vulpes pirum comeſt. Pauſanias deſcriptione Spartæ *l*) ſic habet: *επανελθουσι δε οπισω*

προς

k) L. X. p. 734. *l*) Lacon. p. 240.

πϱος την Λεσχην εϛιν Αϱτεμιδος Ισωϱας ἱεϱον, εποvομαζϐσι δε αυτην και Λιμναιαν, ϐσαν ϐκ Αϱτεμιν, Βϱιτομαϱτιν δε την Κϱητων· „ Leſchen autem redeuntibus occurrit Dianæ Iſoræ templum, quam vero & Limnæam vocant. Non eſt illa quidem Diana, ſed Britomartis Cretenſium.„ En locum tam idoneum rei noſtræ, ut nihil magis. Tenemus Britomartin Spartæ cultam, imo templo honoratam; & cum diſertis verbis a Diana alia dicitur, nonne patet ad ſimilitudinem Dianæ in eo templo exhibitam fuiſſe, adeoque talem, qualem Spartæ numi præferunt? Ecquid enim opus erat tam ſollicite monere, non Dianam illam eſſe, ſed Cretenſium Britomartin, ni Dianam ſimulaſſet, nimirum veſte ſuccincta, & cane ad pedes adblandiente? Et fortaſſis eo habitu jam Dædalus eam expreſſerit in ligneo illo ſimulacro, quod Olunte in Creta ſervatum Pauſanias refert. *m*) Norunt Eruditi, deorum dearumque imagines a monetariis plerumque e ſtatuis fuiſſe mutuatas. His proinde ductus rationibus neque Philonoes, neque Dianæ iras pertimeſco, ſi repudiata utraque cum Britomarte ſeu Dictynna dexteram jungam.

TABVLA VII. N. 7.

m) Bœot. p. 793.

TABULA VII. N. 7. Ex altera numi parte Timandræ, cujus ſupra meminimus, agnoſcit vultum & nomen Eckhelius. In meo numo quamvis nomen laboret, tamen penultima litera potius O, quam A videtur.

M A L E A?

N. 8. Litera prægrandis M, intra cujus crura ſertum.)(Avicula volitans.

AER. III.

Argentei tales cum variis magiſtratibus e Begero & Pellerinio noti. Æreus nondum cuiquam viſus. Erat Malea Laconiæ promontorium, formidatum nautis, quod eſſet naufragiis infame. Crediderim & antiquarios feciſſe naufragium, qui periculoſo huic loco incautius accedere, prædictosque numos inferre ſunt auſi. Non immorabor tamen recenſendis argumentis, quæ hos numos ſuadent alio traducendos, nec quo pertineant, præfiniam; has enim partes mox, ut arbitror, exequetur Rev. Dom. Eckhel, quo monente inhoſpita Maleæ ſaxa fugi.

CRE-

CRETA.

Tabula VII. N. 9.

LYTTVS.

Λ . . τι antiquiſſimis literis. Caput apri.)(Avis volans.

AER. III.

Lyttus urbs potens, quæ adverſus omnem populum Cretenſem aliquamdiu bellum ſuſtinuit. Poſtea inopinato a Cnoſſiis deleta, hominumque oculis eſt erepta. Polybius *n*) ejus laudes paucis comprehendit. „ Lyttus, inquit, colonia Lacedæmoniorum erat & cognatione illi juncta, omnium Cretæ urbium antiquiſſima, civium educatrix, qui ſine controverſia ceteris Cretenſibus ſemper præſtabant. „ Ejus numi rari: hic anecdotus, nec ſpectatis literarum formis & fabrica, recentior vetuſtis illis ejusdem urbis argenteis, in quibus aper & aquila converſantur. Eorum interpretem Begerus agit Theſauro Brandeburgico. *o*)

n) Hiſt. L. IV. c. 54. *o*) Tom. III. p. 43.


TABVLA VII. N. 10.

POLYRRHENIVM.

ΠΟΛΥ. Typus incognitus. ☾ Caput bovis.

AER. III.

Polyrrheniorum numis laus eſt a raritate, æreis maxime. Præſens vetuſtiſſimus, nec usquam editus. De ſigno anticæ partis, quod alias taurino capiti plerumque ſubjicitur, non liquet. Jac. de Wilde ſacrum cultrum exiſtimat, Begerus ſagittam. Cauſa diſſidii formæ varietas. Crederes in meo numo frumenti granum exhiberi. Sed diverſa rurſus figura, nitidius tamen quam alias, effingitur apud Pellerinium *p*) in argentea moneta, cujus averſam non ſine cauſa Lectorum oculis propono.



Video filamenta & quosdam veluti funiculos neſcio cui machinæ illigatos, qui cultro Wildiano, Bege-

p) Rec. T. III. pl. C. n. 49.

geríanæque ſagittæ, aut haſtæ ferro parum apte conveniunt. Quid ſi foret piſcatorium inſtrumentum, firmandis adligandisque retibus idoneum? Quippe retium aliquam ſpeciem funiculi illi objicere videntur. Jam nota eſt Dictynnæ retibus ſervatæ fabula ex iis, quæ ſupra diſſeruimus ad numum Spartæ, ubi ſimul animadverſum, eam fabulam a Polyrrheniis reapſe in ære publico fuiſſe conſecratam. Sed nolim diutius inſiſtere conjecturæ, cui parum ipſe tribuo. Vittas, quibus alii numi Polyrrhenium bovem exornant, noſter excuſſit. Literæ punctis finiuntur, ut in ære Syriæ Parthiæque regum. TABVLA VII. N. 10.

RHITHYMNA.

Galeatum Palladis caput, cui neſcio quid reti ſimile imminet.)(Duo delphini, quos inter veſtigium literæ P. N. 11.

AER. III.

Cretenſe ingenium adeo manifeſte prodidit hoc nomismation, ut ejus natale ſolum primo conſpectu tenerem. Artificium, galeatum Palladis caput, gemini delphini, omnia Cretam olebant. Majoris molis erat ſtatuere, cuinam e centum urbibus, quibus

an-

TABVLA VII. N°. II.

antiquitus ea inſula habitabatur, is numus competeret. Pallas & delphines nihil opis ferebant; nam hi typi compluribus Cretæ oppidis communes. Omnis proinde ſpes in ſolitaria litera P nitebatur, quam inter delphines mediam hic numus fere penitus exſtinctam, contra vero illæſam oſtendit ſimilis alter, quem Khellius ignotorum in claſſem redegit. *q*) Occurrebant Cretenſes urbes a Rho auſpicantes: Rhaucus, Rhamnus, Rhytium, mediterraneæ omnes; e maritimis Rhithymna, quo delphines pellicere videbantur, teſtes maritimi ſitus. Et ſubſtitiſſem hac in urbe quietus, niſi moleſti Rhaucii fuiſſent iisdem uſi piſcibus in ære ſuo, *r*) quamvis auctore Stephano in mediterraneis poſiti. Tandem feliciter evenit, ut in alterum ex utraque parte ſimilem numum inciderem ab Arigonio pariter inter dubios ablegatum, *s*) qui non jam primam urbis literam P, ſed primas ſyllabas ΥΟΙϘ, nempe retrorſum ſcriptas, delphinis interponit. Mox omnis difficultas evanuit. ΡΙΘΥ, non ΡΙΟΥ legendum, confeſtim patuit, quod Rhithymnæ memoria, ut prædixi, alioquin animo jam alte inſedit. Præterea experientia doctus probe noveram, ſæpe Θ ab Ο in ære vetere difficulter diſcerni, ſive puncto illo medio non ex-

q) Adp. alt. ad Geſsn. T. IV. n. 2. *r*) Rec. T. III. pl. C. n. 54.
s) Tab. VIII. n. 7.

expreſſo fallente typario, ſive detrito injuriis temporum. Juvabat ipſe retrogradus ſcribendi ordo Cretenſibus perquam familiaris, uti Gortyniis, Eleuthernæis, Lyttiis, Prianſiis, Rhauciis, Sybritiis, Phæſtiis. Itaque de trium ſimul numorum patria reperta magnopere delectabar, eo magis quod primus Rhithymnæ numos e tenebris protraherem. Verum hanc gloriam præripuit Cl. Eckhel exhibito numo Theſauri Cæſarei cum luculenta epigraphe ΡΙΘΥ; *t*) id quod tantum abeſt, ut ægre feram, ut potius mirifice gaudeam, eo numo plene firmari, quæ modo diſſerui de patria tam noſtræ monetæ, quam Khellianæ & Arigonianæ, quæ perſpicacem Eckhelium fugiebant. TABVLA VII. N. 11.

CYCLADES INS.

CYTHNVS.

Caput imberbe.)(ΚΥ. Columba volans. N. 12.

AER. III.

E Cretico mari in Ægæum devolvimur ductore columba, quæ in Ægæi maris inſulis typus obvius eſt. Ancoram in Cythno, una Cycladum figo, quo li-

t) T. X. n. 9.

TABVLA VII. N. 12. literæ KY invitant. Neque Cydonia Cretæ me retrahit, quæ & ipſa ſolis literis KY non raro nomen ſuum adnunciat. Vidi noctuas in ejus certis numis, columbas hactenus nullas. Imo vero in univerſæ Cretæ pecunia vix, aut certe perraro deprehenderis hoc genus avium, tanto frequentius aquilas, quæ facile dignoſcuntur ex unguibus, roſtroque adunco. Quam ob rem Cythniis & præſentem numum adjudico, & alium non multo diſſimilem, cui inter incognitos Pellerinius locum dedit. *u*) Stephanus Byzantius ait: ΚΥΘΝΟΣ *απο* ΚΥ*θνȣ κλισαντος*· „ Cythnus a Cythno conditore. „ Probabile, hujus conditoris imaginem antica parte ſpectari. Idem auctor Cythnios caſeos, & Cythnios pictores commendat; *x*) ac Euſtathius *y*) nominatim vocat Cydiam quemdam, pictorem celebrem ex hac inſula oriundum. At multo celebrior evaſit graviſſimis calamitatibus, quibus ab Amphitryone vexata eſt tam atrociter, ut proverbio locus fuerit: *κυθνωδεις συμφοραι* Cythniæ calamitates.

SIPHNVS.

Apollinis laureatum caput.)(ΑΠΟΛ. Avis volans.

AER. III.

Co-

u) Rec. T. III. pl. CXVIII. n. 3. *x*) in voce ΚΥΘΝΟΣ. *y*) Ad Dionyſii Perieg. v. 526.

TABVLA VII. N. 13.

*

* *

Columba volans: ad oram numi inverſum Σ)(
Eadem & avis & litera.

ARG. III.

Siphnus auri argentique fœcunda, tamque validа, ut ex inſulis Archipelagi ſola cum Seripho & Melo auſa fuerit aquam & terram Perſis petentibus negare. Ejus numi copioſi tam argentei, quam ærei. το ΑΠΟΛ Apolloniam interpretarer ejus nominis in Siphno urbem, z) niſi obſiſterent ſimillimi numi, qui ΑΙΝΙ. ΟΛΥΜΠΙΔ. ΑΛΕΞΑΝΔ inſcribunt, magiſtratuum certa nomina, unde ſecundum analogiam conſequitur, eundem ſub decurtato vocabulo ΑΠΟΛ latere ſenſum. Literæ ΣΙ, primæ σιφνιων, quas hujusmodi numi alias juxta volucrem collocant, in noſtro fuerint per ætatem extritæ. Apollinis cultum aperte profitentur & hi numi, & urbs Siphniorum Apollonia, ſic dicta ſine dubio in Apollinis honorem. Fuit nihilo minus tempus, quo ejus iras ingenti damno ſuo provocavere. Juſſerat Apollo de metallorum proventibus ſibi decimas offerri. Illi dictis aliquamdiu parent; ſed nimio retinendæ pecuniæ ſtudio correpti ab ea religione deſciſcunt. Extemplo pœna ſecuta. Nam ira-

 tus

z) Stephanus in ΑΠΟΛΛΩΝΙΑ.

Tabvla VII. N. 13.

tus deus illuviem maris induxit, metallaque eorum ſubvertit, uti narrat Pauſanias. *a*)

Alterum numum tenuiſſimæ argenteæ laminæ iisdem attribui, quod aliam non reperi urbem vel inſulam, cui aptius conveniat. Begerus ſimilem, ſed avibus in contrariam partem volantibus promulgavit, *b*) propendetque in Maleam, ex aquilæ volatu auguratus Jovem Malæum, de quo Stephanus. At enim timeo periculoſum illud Laconiæ promontorium, neque aquilas agnoſco ſed columbas, Ægæis inſularibus ſolennem typum. Siphnum quidem litera Σ, quæ margini inhæret, non obſcure notat. Poſſis & Seriphum ſuſpicari, ni certi ejus numi forent omnes majoris formæ. Alioqui parum intereſt, hanc illamve præferas. Nam pridem obſervatum eſt Eruditis, Seriphiorum numos a Siphniis fuiſſe cuſos ex quacumque demum pactione aut fœdere. Celebrata Siphnus a ditiſſimis metallorum fodinis. Contra vero Seriphus tenuis, abjecta, exulum pœnis non ſecus ac Gyaros deſtinata, auri argentique inops, omnis fere ſcopulus, unde Tacito eleganter ſaxum Seriphium vocatur. Quis credat tam humilem inſulam feriiſſe tantæ ma-

a) Phoc. p. 823. *b*) Theſ. Brand. T. I. p. 440.

magnitudinis argentea numiſmata, cujusmodi ea ſunt, quæ initialem ejus ſyllabam ΣΕ offerunt? Quid quod utriusque inſulæ moneta ſeſe ita exæquet, ſive typos conſideres, ſive inſcriptionis modum, ſive formam & molem, ut omnes non ſolum eodem loco fabricatos jures, ſed eodem malleo?

Tabvla VII. N. 13.

TENVS.

Caput laureatum, cornutum, imberbe: in area botrus incuſus.)(ΤΗΝΙΩΝ. Neptunus ſtans d. tenet tridentem, ſiniſtram lateri imponit: ad pedes delphinus.


AER. III.

Differt ab iis, quos Geſſneri & Pellerinii opera continent. Sunt, qui Jovem Ammonem adverſa parte ſuſpiciant. Mihi potior videtur eorum ſententia, qui aut Tenum heroem, aut Bacchum exhiberi cenſent. Et faciunt pro Baccho pulcra juventus, & cornu, & botrus alias ex averſa conſpicuus, incuſus pone caput in præſente moneta. De Neptuni in Teno cultu ac templo magnifico Strabo, aliique. Nunc Tine vocatur, vino hodiedum nobilis, cujus plus quam viginti genera producit, optimæ indolis omnia. Indigenas Græcorum inſularium ele-

Tabvla VII. gantiſſimos, vaferrimosque laudat Baro Riedeſel, non minus eruditionis laude, quam claritate generis illuſtris.

Sed peregrinatum eſt ſatis. Inter Græcos tam politos, & quod homini Germano non poteſt non eſſe jucundiſſimum, in inſula tam multiplicis, generoſique vini feraci quis male mihi vertat, ſi tandem multis itineribus feſſus aliquamdiu ſubſiſtam? Hic igitur juvat non nihil genio indulgere, ratemque reficere. Mox ingens iterabimus æquor, Aſiamque petemus, ſi modo vitam & vires dederint Superi.

F I N I S.



OBSERVATIONES

IN DVOS NVMOS, QVORVM ALTER OPVSCVLI FRONTEM ORNAT, ALTER FINEM.

Utriusque numi copia mihi facta eſt, poſteaquam pars major opuſculi jam fuit ad umbilicum deducta. Cum tamen ſilentio non omnino prætereundos exiſtimarem, eorum ectypa viſum eſt iis inferere locis, quæ ſolent alias inania explere ornamenta. Prior literas P. S. S. C. vultumque Auguſti potius, quam Tiberii offert, averſa parte Pontificalem Apicem, & L. CAEL. CLEM. Reliqua inſcriptionis pars ævo ceſſit. Si urbem requiras ejus numuli natalem, illud antiquis ſolenne uſurpandum N. L. ſi regionem, in promtu eſt ſententia. Niſi enim omnia me fallunt, in Hiſpania domeſticus eſt, cujus regionis Coloniæ Romanæ, Julia Traducta, Corduba, Acci, aliæque frequenter Auguſti effigiem, ac in averſa Apicem, ſeu Albogalerum exprimunt, quo ſymbolo Pontificatus Maximi honorem Auguſto gratulabantur. Ad hæc Duumviri CLEMens, cujus hic numus meminit, & TIBerius FLAVus, quem ei ſociat alter haud multum diſſimilis numus in Morellii Theſauro Imperatorum Romanorum, compluribus Cæſareæ Auguſtæ, celebris in Hiſpania coloniæ, monetis inſcribuntur, cujusmodi Florezius edidit. (Medallas de las Colonias de Eſpanna Tom. I. Tab. IX. n. 10. 12. 13. Tab. VI. n. 1. 4. & Tab. VII. n. 9.) Quid quod fabrica Hiſpaniæ faveat? Itaque de regione jam ſatis certo conſtat: urbem eruendam relinquimus ætati, quæ plures id genus numos in apricum proferet, quorum ope & comparatione dijudicare licebit denique, ſitne revera pro Cæſarea Auguſta conſiſtendum, vel pro alia Hiſpaniæ urbe. De ſenſu literarum P. S. S. C. conſulendi Perizonius (de num. Conſul. p. 276.) Vaillantius (de Coloniis p. 48. & 90.) & acris ejus adverſarius Havercampus. (in Morellii Theſauro Fam. Rom. p. 249.) Poſterior Perizonium ſecutus dictas literas interpretatur: Pecu-

nia

nia Signata Senatus Conſulto, numosque iis notatos ſub Liviæ ſedentis, vel Romæ ſtantis imagine, conjectat Uticæ in Africa flatos.

Alteri numo ſpectata priore parte ſimiles pridem cogniti; ſed hi Phœnicias, ſeu verius Punicas literas intra coronam lauream offerunt, qua parte taurus in meo procumbit. Ejusmodi inter Phœnicios Arigonius recenſuit: Jacobus Barius Serpæ attribuit, (Relandi Palæſtina p. 940.) Barthelemyus Hiſpali in Hiſpania. (Lettr. a M. Le Marquis Olivieri. p. 43.) Enimvero doctiſſimus Bayer Barthelemyi ſententiam pluribus refellit (Del Alfabeto y Lengua de los Fenices p. 364.) & Coſſuræ, aut certe in una ex adſitis inſulis numos illos ſignatos autumat, eo cumprimis nomine, quod eandem omnino epigraphen Punicam, eodem literarum tam ordine quam numero, indubii Coſſuræ numi præferant. Suffragantur & ſertum, quod inſcriptionem ambit, & metallum rubrum, & fabrica, omnia ex ingenio inſularum Africi maris. Quæ cum ita ſint, quin mea quoque moneta, omni deſtituta epigraphe, eodem ſpectet, negari nequit. Averſæ partis taurus, notus læti graminis armentorumque typus, parum apte quidem videtur Coſſuræ competere, de qua Ovidius:

Fertilis eſt Melite, ſterili vicina Coſyræ.

Verum & Myconus, Ægæi maris inſula, ob ingratum ſolum male paſſim audivit, quo non obſtante & ſpicas & uvas in ære jactavit. Coſſura nunc Pantalaria dicitur.

I N D E X.

A.

Abdera Thraciæ p. 112. 113.
Acheloi fluvii vultus imberbis p. 198.
Adriana vaſa p. 168.
Aegium Achajæ p. 229.
Aerei quoque numi exſtant cum Palladis & pegaſi typis p. 38.
Aeſculapius imberbis in ære Phliaſiorum p. 170.
Agrigentum Siciliæ p. 40.
Alalcomenæ Ithacæ urbs vel epitheton p. 203.
Alcinoi horti rurſum deſtruuntur p. 114.
Alexander M. p. 150. 154. 155. 157. etiam a Siculis obſervatus 57. Ejus tetradrachmum in Macedonia cuſum 150. in ejus numis caput leonina pelle tectum eſt Herculis 156. Quibus in numis vera ſit ejus imago. ibid. ejus nomine inſcriptus denarius barbarus 157.
Alexander Severus in numo Marcianopolis p. 109.
Anactorium Acarnaniæ p. 195.
Anchialus Thraciæ p. 118. ejus monetæ cum icone Gordiani Pii neglectæ in urbium catalogo Vaillantii 120.
Animadverſiones in numos arg. qui Palladem, pegaſum & Koph exhibent p. 54.
Apollo barbatus in Alæſæ moneta p. 74. Siphniorum fodinas deſtruit 251. Maſſilienſibus in honore 2. & Megarenſibus Atticis 47.
Apollonia Illyrici p. 161. 162. Siphni ins. 251.
Archelaus rex Macedoniæ p. 147.
Arethuſa leonis rictu innuitur in ære Syracoſio p. 62.
Ariſtæus in numis Maroneæ p. 126. Iſſæ, Ceæ, Sicini, Corcyræ Joniæ, Zacynthi 169. Phari 173. in Sicilia cultus 170. repertor mellificii, tutorque paſtorum ac venatorum 171. varia ejus imago & attributa 172.
Arpi Apuliæ p. 19.
Aſcalon Palæſtinæ cum nomine Alexandri M. p. 155.
Athenæ in Attica p. 218. 219. 223. Erichtonium ſerpentis ſpecie Minervæ in numis jungunt, p. 220.
Athenienſes detriti cluniculi p. 219. Demoſthenis in eos dicterium 220.
Atinæ cum Marſorum, tum Lucanorum numi male adſerti p. 40.
Audoleon rex Pæoniæ p. 135.
Aurelius in numo Philippopolis p. 131.
ΑΤΤ. Δ. Gordiani titulus inſolens in Meſembriæ numo tentatur p. 126.
Azizus Mars p. 87.

B.

Bacchantium una in Syracoſio numo p. 51.
Bacchus diademate cinctus in numo Agrigenti p. 40.
Bert, ſeu Birt Bruttiorum p. 27.
BIA. BIATEC p. 138. Numi cum ejus principis nomine flati ad normam denariorum familiæ Fufiæ 139.
BIAT. in aureo numulo p. 140.
Biſanthe Thraciæ p. 124.

Biſtuvium Lucaniæ p. 23. concham, non acroſtolium ſignavit 24.
Britomartis p. 240. alia eſt a Diana 241. 243. Cernitur in numis Cydoniæ, & Spartæ. ibid.
Bruttii Magnæ Græciæ p. 26.

C.

Callatia Mœſiæ p. 105. 108.
Caſuentus fluvius in Metaponti numo effictus ſpecie viri taurino capite p. 8.
Cephalleniæ capræ: mira de iis narrant Ariſtoteles & Ælianus p. 208.
Cephalus heros in numo Sames p. 210.
Ceres ſuccincta & Cothurnis induta p. 225. Μαλοφορος, ſeu Ovifera 226. cum, & ſine comite ariete in numis Pegarum 227.
Chimæra variarum urbium monetas occupat p. 63. 64.
Columba cur in numo Neapolis p. 10. 12.
Conſtantinopolis Thraciæ p. 125.
Corcyra Jonia p. 182. 185. 192. 193. duplici monogrammate ſuum in ære nomen indicavit 189. coluit & ſignavit Cererem 189. Bacchum 192. Neptunum multis nominibus 190.
Corcyra Nigra p. 177. 178. ejus numi vindicantur 178.
Corinthus Achajæ p. 230. ſitum inter duo maria in ære notat 237. ejus numi rariſſimi ante fatalem ſub Mummio everſionem 231.
Coſsura p. 256.
COVNOS in arg. tetradrachmo p. 143.
Cranium Cephalleniæ inſ. p. 207. 209.
Croton in Bruttiis p. 30. 32.
Cumæ Campaniæ p. 5.
Cythnus Ægæi maris p. 239. a Cythno conditore nomen tulit, cujus & effigiem in ære cælavit 250.

D.

Dacia p. 84. 85. 91. patria plurium numorum aureorum barbari commatis 88. & argenteorum rudis operis 137. Ejus genius ſedens libertatis pileum oſtentat 85.
Decius in ære Viminacii p. 101.
Delus dives numis eget p. 233.
Diadema Græcis uſitatum ante Alexandrum M. p. 52. 148. Græcum & Perſicum differunt 148.
Diana in ære Maſſiliæ p. 2. Apolloniæ 162. ejus maximi honores Ithacæ 203. Zacynthi 235.
Dictynna: vide Britomartis.
Druantilla Aug. p. 137.
Dyrrhachium Illyrici p. 163.

E.

Elagabalus in numo Pautaliæ p. 130.
Entela Siciliæ p. 44.
Eruſcilla in numo Daciæ p. 91. Viminacii 103.

F.

Faunus in numo Thaſi p. 134. Corcyræ Nigræ 180.
Fauſtina Jun. in numo Anchiali p. 118.
ΓΑΡΙΕΩ in barbaris tetradrachmis p. 145.
Fluviis Magnæ Græciæ & Siciliæ placuit corpus taurinum humano vultu p. 7. Aliquando etiam corpus hu-

humanum tauri capite 8. aliis aliæ divinitatis cauſæ 197.

G.

Gallus gallinaceus in numo Ithacæ p. 205.

Gela Siciliæ p. 41. 43.

Gelonis numi a Paruta perperam lecti p. 42. 43. genuini cuſi adhuc eo vivente, non poſterioribus demum temporibus 52.

Gordianus Pius in numis Viminacii p. 94. Meſembriæ 125.

H.

Hercules laureatus ac imberbis in numo Crotonis p. 32. radiato capite in numo Oetæ 160. Ejus imago in numis Alexandri M. 156.

Hipparis fluvius uncis, undarum ſymbolis, adumbratus in numo Camarinæ p. 212.

Hoſtilianus in numo Viminacii p. 104.

Hygia in numo Entelæ p. 44.

I.

ΙΠΠΑΡΙΣ inſcriptus numus certo eſt Arporum Apuliæ p. 20.

Iſſa inſ. Adriatici maris p. 165. 166. Colonia Syracuſanorum 170. in ea eruuntur vaſa Etruſcis ſimilia 168.

Ithaca inſ. p. 200. Dianæ ſub tutela fuit 203.

Jupiter ſacrificans p. 122.

K.

Κεκρυφαλος, ſeu reticulum p. 113.

Koph, in antiquiſſimis Syracuſarum numis p. 55. jungitur aliquando pleno Syracuſarum nomini 59.

L.

Lacedæmon Laconiæ p. 237. 240. ſignavit & coluit Britomartin, ſeu Dictynnam 242.

Lælaps, canis venaticus, hero ſuo Cephalo feram indicat in numo Sames p. 210.

Lampſacus Myſiæ cum nomine Alexandri M. p. 154.

Lapis inſignis erutus in Dacia p. 86. in Ithaca 203. in Cephallenia 214.

Larva Neapoli Macedoniæ ſolennis p. 146.

Larymna Boeotiæ p. 215. iconem Larymnæ, Cyni filiæ, monetis inſerit 217.

Leo & taurus in pecunia Viminacenſi ſtabiliuntur certa Legionum inſignia p. 95.

Leonis fauces aquas eructantes fontium ſymbola ſunt in ære vetere p. 62.

Lepores in numis Viminacii p. 96. veteribus in deliciis habiti 97.

Leucas Acarnaniæ p. 199.

Lichas Spartanus Lacedæmonis numo inſcriptus p. 237.

Liternum urbs & fluvius Campaniæ p. 5.

Literarum forma fallax ætatis criterium p. 220.

Locri Epizephyrii in Bruttiis p. 32. eorum numi adferuntur 33. 37. Corcyræis, ac per hos Corinthiis agnati ſunt 35. eorumdem exſtant

& ærei numi cum typo Palladis & pegaſi 38.
Locrus Phæacis filius, Alcinoi frater p. 35.
Luna & aſtra lucent in pecunia Neapolis, & Magnæ Græciæ paſſim p. 16.
Lyſimachus rex Thraciæ p. 132.
Lyttus Cretæ p. 245.

M.

Macrinus in numo Marcianopolis p. 109.
Malea Peloponneſi p. 244.
Mamæa in numo Marcianopolis p. 109.
Marcianopolis Mœſiæ p. 109.
Mars ſæpe barbatus in vetere moneta p. 72. cum Pallade confundi ſolet in numis Ponti 75. Azizi nomine Dacis atque Edeſſenis cultus 87.
Maſſilia Galliæ p. 1.
Mazaræ Siculæ numi hactenus nulli, præterquam Punici p. 3.
Meduſæ vultus in Athenarum numo p. 223.
Megara Attica p. 47. 224. Cur Apollinis & Citharæ typis uſa 47. Cereris Oviferæ ſimulacrum in ejus numo 227.
Megara Sicula p. 46. ejus & Megaræ Siculæ numi diſcernuntur. ibid.
Melita inſ. p. 76. Junoni devota 77.
Meſembria Thraciæ p. 125.
Meſſene Peloponneſi p. 236.
Metabus in Metaponti numo p. 23.
Metapontum Lucaniæ p. 22. Caſuentum fluvium finxit ſpecie Minotauri, ſeu viri taurino capite 8.
Minerva Itonia in tetradrachmo Alexandri M p. 150. in ære Syriæ regum Macedonicos natales ſignificat 153.
Minotaurus ſemper virum tauri capite mentitur, nunquam taurum humano capite p. 9.
Mœſia leporum populo frequens p. 96. dicta & Myſia 103.
Monunius inſcriptus drachmæ Dyrrhachenæ p. 164.

N.

NEA Fauſtinæ nomen conſtanter ſubſequitur, nunquam præit p. 119.
Neapolis Campaniæ p. 10. 12. 14. 15. Aſtronomicis nugis dedita 16. devota Dioſcuris 17. ſignavit quoſdam numos ΡΩΜΑΙΩΝ 13.
Neapolis Macedoniæ p. 146.
Neptunus cultus & mediterraneis urbibus p. 122. in ære Corcyræo cur plerumque ſocietur adverſo tauri capiti 191.
Notæ incuſæ tetradrachmis barbaris p. 144.
Numi duplici typario cuſi, uno prominente, altero incuſo, extra Magnam Græciam non inveniuntur p. 30. annis minimum ſexcentis Chriſtianam æram præcedunt p. 31.
Nymphæum in numo Apolloniæ p. 162.

O.

Ομικρον quadratum, ſeu ◻ in numo Seleuciæ Syriæ ſub Auguſto p. 221. in Cyziceno Hadriani numo & O & ◻ ſcribitur. ibid. ut Q formatum in numo Marcianopolis p. 111.

Oe-

Oeta Theſſaliæ p. 159.
Oves Atticæ & Tarentinæ pellibus intectæ ob lanæ præſtantiam p. 228.
Ου contractum, nempe ȣ, jam Alexandri M. ætate valuit p. 110.
Ω Quadratum in drachmis Dyrrhachenis p. 221.

P.

Pæonia p. 135. in ea, finitimisque provinciis domeſtica ſunt argentea barbaræ fabricæ tetradrachma. ibid.
Pales Cephalleniæ p. 210. libera & autonoma ſub Hadriano 215. ejus nomen multum variat 214.
Palladis Martisque diſcrimen in ære Pontico p. 75.
Pan Φειξοκομης p. 82.
Panormi cuſi ſunt numi Pœnorum Siculi p. 66. 67.
Panticapæum Cherſoneſi Tauricæ p. 79.
Parium Myſiæ certo ſpectant numi argentei cum larva & inſcriptione ΠΑΡΙ. p. 174.
Pautalia Thraciæ p. 130.
Pella Macedoniæ procudiſſe videtur tetradrachmum honoribus Alexandri M. p. 153.
Pharus Adriatici maris p. 173. colonia Pariorum Ægæi maris 176.
Philippopolis Thraciæ p. 131.
Philippus Aug. in numis Daciæ p. 84. Viminacii 98. ejus aurei numi barbari forte in Dacia fabricati 88.
Pix Bruttia p. 29.
Polyrrhenium Cretæ p. 246.
Pontica moneta Martem pharetræ, Palladem Perſeo Meduſæ percuſſori connectit p. 75.
Pronæis Cephallenes reſtituendus numus qui hactenus Panormi exulabat 213.
Pſamathus Laconiæ e catalogo urbium numismatico delenda p. 176.
Ptolemæi, Jubæ II. filii, numus perperam venditatus p. 158.
Pyrrhus rex Epiri p. 181.

R.

Reticulum, muliebre capillorum ornamentum p. 113.
Retrogradus ſcribendi ordo haud ſemper eſt multæ vetuſtatis criterium p. 222.
Rhithymna Cretæ p. 247.
Rhœmetalces I. rex Thraciæ p. 133. 134.
ROMANOrum Siculi numi p. 67. horum ſaltem aliqui Syracuſis certo flati 69. tempore Punicorum bellorum, & ab indigenis Siculis 72.
ΡΩΜΑΙΩΝ numus Neapoli cuſus p. 13.

S.

Salganeus Bœotiæ p. 215. nominis auctor Salganeus vir Bœotius 218.
Serdica Thraciæ p. 130.
Severus in numo Callatiæ p. 108. Serdicæ 130.
Siculi leonis rictu fontes in numis indigitant p. 62.
Siculus numus incertæ urbis p. 65.
Sigma jam C jam Γ iisdem in numis, imo vocabulis figuratur p. 127. & Σ & C in numo ΣΥΡΑΚΟϹΙΩΝ 222. quadratum pervetuſtum eſt 128. etiam lunatum 164.

)( )(Si-

Siphnus Ægæi maris p. 250. fabricavit & Seriphiorum numos 253.
Sponſianus Imp. in Dacia videtur purpuram induiſſe p. 89. ejus aurei num. ibid.
Sybaritarum numus cuſus minimum annis ſexcentis ante Chriſtum natum p. 31.
Syracuſæ Siciliæ p. 50. 53. Martis domicilium 73. fontibus abundant, quos leonis rictu in numis indicant 61. 62. urbs genitalis numorum, qui Palladem, & ſub pegaſo Koph exhibent 54. nec non quorundam cum epigraphe ROMANO 69. Syracuſarum numi, Pyrrho in Sicilia degente, cuſi videntur, qui Herculis vultum, Pallademque Itoniam referunt 153.

T.

Tænia, capitis ornamentum, ſæpe a Victoria & Bacchantibus manu geſtatur p. 51. ejus ſenſus. ibid.
Tarentum Calabriæ p. 21.
Tauromenium Siciliæ æreos quoque numos procudit cum Palladis capite, & pegaſo p. 38.
Taurus humana facie fluviorum emblema in ære Magnæ Græciæ & Siciliæ p. 7. tauri caput cur tam ſæpe Neptuno copuletur in Corcyræa pecunia 191.
Teanum Campaniæ p. 17.
Tenus Ægæi maris p. 253.
Thaſus inſ. p. 134.
Theta quadrifarie ſectum, ſeu ⊗, in Athenarum numo non admodum vetuſto p. 220.
Thraces bibuli p. 124.
Tranquillina Gordiano juncta in numo Meſembriæ p. 125.
Tyrrhenæ orthographiæ inconſtantia p. 18.

V.

Viminacium Moeſiæ p. 91. 94. 95. 99. 100. 101. 102. 103. 104. hodie non Widin, ſed Ram 92. num ANnum X ſub Philippis in ære ſignaverit, dubitatur 105. ejus genius leporem oſtentat 96.
Ulyſſes in numo Ithacæ p. 204.
Unci ſub delphinis & navibus maris agitati ſymbolum p. 212.

Z.

Zacynthus inſ. p. 234.

CORRIGENDA.

Pag. 21. poſt lineam tertiam ante TARENTVM pone regionis nomen: CALABRIA.


29. lin 4. ſilæ Silvæ lege: Silæ ſilvæ

53. ad lin. 4. in margine adde: N. 8.


82. l. 1. *Φριζοκομης* lege: *Φριξοκομης.*

124. l. 10. *οινοπλυγαι* lege: *οινοπληγες.*

128. l. 6. *αγνησιοτιτυς* lege: *αγνησιοτητος.*



Tab. I.
GALLIA
ITALIA

Tab. II.




GRAECIA


Tab. III.



Tab. IV.




Tab. V.






Tab VI



Tab. VII.



POPVLORVM
ET
REGVM
NVMI VETERES
INEDITI.

COLLECTI AC ILLVSTRATI

A

FRANCISCO NEVMANNO

C. R. AD S. D. MVSEO CAESAREO NVMORVM RECENTIORIS AEVI PRAEFECTO.
ACADEMIAE HISTORIOGR. MATRITENSIS SOCIO.

PARS ALTERA.

ACCEDVNT

ROMANORVM NVMI ANECDOTI;

ET

ANIMADVERSIONES IN VNIVERSVM OPVS

ILL. PELLERINII.

VINDOBONAE.
TYPIS TRATTNERIANIS.
MDCCLXXXIII.

COMITI. CAMPOMANESIO

GENERE. NOBILISSIMO

VIRTVTE. ET. SAPIENTIA

NOBILIORI.

ACADEMIAE. HISTORIOGRAPHICAE

MATRITENSIS

INCLVTO. PRAESIDI.

CETERIS. QVE

SENATVS. EIVSDEM. ACADEMICI

VIRIS. INLVSTRIBVS. DOCTIS

OPTIME. DE. PATRIAE. HISTORIA. MERITIS

OPERIS. SVI. PARTEM. ALTERAM

GRATO. ANIMO

D. D.

IN. AMPLISSIMVM. EORVM. ORDINEM. ADLECTVS

AVCTOR.

A S I A.

Ingredimur Aſiam, pecuniæ veteris bene divitem. Peragratis regionibus, quibus Achilles pugnavit, ſimulavit Ulyſſes, cecinit Homerus, tendimus in Syriam & Palæſtinam, cui non dictas provincias? dein Edeſſam, viſuri regem Mannum, paucis viſum. Inde in Africam penetrare juvabit.

PAPHLAGONIA.

S I N O P E.

Palladis galeatum caput.)(ΣΙΝΩΠΗΣ. Perſeus d. protendit enſem falcatum, s. tenet caput reſectum Meduſæ, cujus truncum cadaver humi procumbit. AER. I. TABVLA I. N. I.

TABVLA I. N. 1.

Sinope urbs Paphlagoniæ nobilis, vetuſtate inclita, regum Ponti ſedes, opulenta viris, armis, numisque. Periere cetera fere ornamenta præter ejus numos, teſtes priſtinæ potentiæ & magnitudinis. Cuſi alii libertate Sinopenſium integra: alii a quo tempore Julius Cæſar ſumma rerum potitus urbem coloniam fecit Romanam. Hi maximi momenti ſunt ob adſcriptos æræ duplicis, qua uſa eſt, annos, unde in hiſtoriam & chronologiam veterem plurimum lucis refunditur. Illis nec minor gratia; nam vetuſtate præſtant & argumenti nobilitate. In horum quidem numero habendus, qui inter noſtros Aſiæ anecdotos agmen ducit, Perſeumque Meduſæ percuſſorem exhibet.

Erunt, qui me mirentur averſa parte adeo confidenter profiteri Perſeum, refragante Pellerinio. Nimirum hic, ut Livii verbis utar, *venerabilis vir miraculo literarum* *, quo loco Amaſtrios Paphlagoniæ urbis numum reſtituit, *a*) iisdem utraque parte ſymbolis inſignem, quibus noſter Sinopenſis notatur, contendit cum Cl. Eckhelio, qui de Pontica moneta præ-

* Hunc fatis nuper functum diu flebunt Muſæ Numariæ. Ejus opus conſtat Partibus decem, ut ajunt, in quarto monumentum ære perennius.

a) Addit. aux neuf. Vol. p. 54.

præclare meritus Perſeum agnoſcit in hoc numorum genere, eumque non advertiſſe arguit, figuram ſtantem Phrygia mitra conte&tam non poſſe Perſei eſſe, qui aliter alias effingi ſoleat, in cujus rei fidem citat numum Sebaſtes in Phrygia. Porro caput reſectum, quod heros manu tenet, barbatum adſerit, adeoque viri, non feminæ. Itaque neglecto Perſeo animum advertit ad Tiridatem Perſarum regio ſanguine ortum, qui cum fratre Arſace rebellis adverſus Antiochum II. Syriæ regem, Pherecli, aliis Agathocli dicto, Antiochi Satrapæ, omniumque trans Tigrim provinciarum Præſidi, caput abſtulit, homini alioquin omnibus inviſo propter enormes, quibus populis gravis erat, vexationes; atque in hujus facti memoriam controverſos numos a Ponticis urbibus fabricatos ſtatuit. Specioſa ſententia, cui ſuus honos eſto: at mihi nullo pacto probata. TABVLA I. N. I.

Sane Perſeum in controverſis numis ſingula attributa, periſtaſes omnes manifeſte produnt, tametſi minime negavero, ejus ut aliorum heroum variare imagines in veteribus monumentis, præcipue variarum gentium. Monetarii Sebaſteni heroa noſtrum repræſentabant capite nudo, galeato Pontici, & hi quidem rectius, nam conſtans eſt mythologorum ſen-

TABVLA I. N. I. tentia, euntem in Gorgonas capiti ſuo impoſuiſſe την Αϊδος κυνην, ſeu celebratam illam orci galeam, quam gerens, quoscunque vellet, videbat, ipſe viſus nemini. Ea galea Phrygiæ mitræ figuram mentiebatur ſuperiore parte incurva, ac interdum, ut in aliquibus Amiſi & Chabactæ numis, etiam tempora mentumque herois tuetur, æque ac pileus Phrygius, cujus fimbriæ pendulæ ſubter mentum ſubligari poterant, unde illud Virgilii:

Et nunc ille Paris cum ſemiviro comitatu,
Mæonia mentum mitra, crinemque madentem
Subnixus.

Itaque tegumentum illud capitis ſuperne recurvum, quo figura ſtans in meo & ſimilibus Ponti numis cooperitur, neque pileus pontificalis, neque Phrygius eſt, ut illuſtri Pellerinio viſum, ſed orci galea, qua horret in tot aliis monumentis. Cabirorum Ponti numus, ſpectatis typis noſtro ſimillimus, herois capiti alam adfigit, *b*) qua in re præclare convenit cum plurimis aliis Ponti & Macedoniæ numis, qui Perſeo imponunt galeam alatam. Omnium loco ſufficiat citaſſe Synopenſem ab Eckhelio vulgatum, *c*) cujus averſa

ſa

b) Haym. Th. Br. P. II. T. XX. n. 4. *c*) Num. vet. T. XI. n. 6.

ſa pars harpen continet, ſeu falcatum illum enſem Meduſæ fatalem, certum Perſei teſtimonium. Quod amplius, tam in meo, quam in Amaſtriæ Ponticæ tali numo Pembrochiano *d*) prædictam harpen heros ſtans nitidiſſime expreſſam, atque intuenti conſpiciendam porrigit. Sed aliud eſt etiam criterium, quod uti nemini obſervatum hactenus, ita vel ſolum litem dirimit. Jacet in noſtra, & ſimilibus aliarum Ponti urbium monetis ad herois pedes truncum cadaver, cujus ex humero dextro aliquid eminet per aream, ut præſentis numi ectypon conſideranti patebit. Quid hoc rei? Tacent, qui in explicandis hisce numis cum laude verſati ſunt. Verum non tacet Heſiodus, qui Gorgonibus alas tribuit, *e*) nec Apollodorus, qui eas teſtatur habuiſſe χειρας χαλκας, και πτερυγας χρυσας δι ὧν επετοντο, *æreas manus alasque ad volandum aureas. f*) En ſolutum ænigma. Nimirum id, quod ex humero per numi aream ſeſe elevat, ala eſt adnexa corpori, adeoque Meduſam manibus tenemus. Quam belle omnia concordant! Tegitur caput herois galea, cujus apex inclinatur. Hæc Perſeo ſolemnis non ſolum in numis Ponti, ſed & Macedoniæ, Plutonis,

TABVLA I. N. I.

d) P. 2. T. III. n. II. *e*) Scut. Herc. v. 229. *f*) L. II. p. 71. Edit. Commelin.

Tabvla I. N. 1. uti diximus, galea. Quandoque ala ei juncta, quippe volans ad Oceanum venit Perſeus Apollodoro teſte, quo ex capite in Sebaſtes numo ſupra citato etiam talaria ejus pedibus adfixa. Dextram armat hamatus enſis, ſeu harpe, qua donatus ſive a Mercurio, ſive Vulcano, ſive Pallade, diſſidentibus mythologis, infelici Meduſæ caput amputavit. Procumbit humi exanime corpus alatum, nempe quod alas aureas habuerit Meduſa; & ne quid deſideretur ad fabulæ apud veteres decantatæ integritatem, antica parte conſtanter adeſt effigies Palladis, quæ heroem in hac difficili expeditione juvit, ejusque in conficienda Meduſa manus direxit, ut referunt Albricus & Apollodorus. Quid amplius deſideras? I nunc, & Tiridati, Phereclis percuſſori, has omnes periſtaſes æque compone, & eris mihi magnus Apollo.

Altera difficultas a barba reſecti capitis petita vix ea eſt, quæ attingi mereatur. Ut nihil dicam, vix ac ne vix quidem poſſe certo ſtatui, ſitne caput illud minutiſſimum, quod Perſeus ſiniſtra manu tenet, revera barbatum nec ne, profecto defluentes capilli, diſtillantesque ſanguinis guttæ facile hanc oculis fraudem objicere poterant, ut barbatum crederet Pellerinius, aut artifex, qui æri numum incidit. Hoc certum

tum, ejus numi picturam linearem in opere Pelleriniano bis datam *g*) parum ſibi conſtare. Prior heroem ſenem & barbatum, imberbem ac juvenem exhibet poſterior. TABVLA I. N. I.

Adſerto Perſeo videamus, quæ Ponti urbes triſte fatum Meduſæ propoſuerint in ære ſuo; ea enim res nonnullis obſervationibus locum dabit. Innotuere mihi hactenus ſequentes: Amaſtris, Amiſus, Cabira, Sinope, Comana. Harum urbium numi, prædicto argumento nobiles, forte quod eſſent male ſervati, male depicti deſcriptique fuerunt prope omnes. In Pembrochiano Amaſtridis *h*) Perſeus quid ſiniſtra tenet, quod nemo dignoverit, & auctor Muſei Theupoli *i*) heroem in feminam transformat. Pari piaculo idem in Amiſi numo *l*) videt mulierem, ſeu Amazonem ſtantem dextra extenſa: Herculem Haymius; *m*) & in alio Cabirorum Mercurium, *n*) deceptus haud dubie ala capiti adpoſita. Sinopenſes numi duo, noſtro non abſimiles, apud Arigonium *o*) occurrunt, ac edi-

g) R. II. pl. XL. n. I. & Addit. p. 54. *h*) P. 2. T. 3. *i*) P. II. p. 1246. *l*) l. c. *m*) Th. Br. P. II. T. XX. n. 2. p. 174. Porro fallax ectypon, quod pro trunco Meduſæ corpore navim offert, errore inde nato, quod ala e Meduſæ humero prominens acroſtolii ſpeciem referat. *n*) l. c. T. XX. n. 4. p. 175. *o*) Vir. Ill. T. III. n. 19.

Tabvla I. N. 1. editorem muſei Theupoli, *p*) ſed fœde deformati. Alterius ectypon ad mentem Arigonii repræſentat Sinopen Nympham, aliis Amazonem habitam, d. pateram, s. vas tenentem: alteri prætenditur inſiſtere vir dextra extenſa baculum portans, ſiniſtra demiſſa, quibus numis proinde meus Sinopenſis plenam lucem adfundit. Denique Comanorum numus in muſeo Theupoli *q*) ita deſcribitur: „ΚΟΜΑΝΩΝ. *Mulier galeata* „*ſtans, d. extenſa, s*.... „ Quam indigne habitus eſt Perſeus ab Eruditis illis, qui tales prodidere monetas! Felicior ſane Turnefortius, qui quo tempore Amiſi in Ponto degebat, ſimili ejusdem urbis potitus numo definite ſcribit: „d'un côté c'eſt la tête de Mi„nerve, de l'autre c'eſt Perſée, qui vient de couper „la tête à Meduſe. „ *r*) Is ergo primus, cui veri in his numis cogniti argumenti honos debetur.

Ceterum & hoc animadverſione dignum, omnes hos numos ejusdem eſſe metalli, ejusdem molis, & quod amplius, omnes offerre Palladis caput galeatum ſimilis formæ, qua dea illa cernitur in tetradrachmis Atticis, quorum averſæ noctua ſupra ampho-

p) P. II. p. 1295. *q*) P. II. p. 1261. *r*) Voyages. Paris 1717. 4. P. II. p. 215.

phoram inſidet. E tanta numorum iſtorum conformitate fas eſt arguere, non temere, nec ſine certa aliqua ratione, ſed communi prædictarum urbium conſilio ad eam legem & normam hoc genus numi exactum fuiſſe. Athenienſes quidem in Pontum miſiſſe colonias, res explorata, & nominatim Amiſum Athenienſem coloniam adſerunt Arrianus, & apud Strabonem Theopompus. TABVLA. I. N. 1.

Id unum addidiſſe juvabit, præſentem numum bis cuſum fuiſſe, ut monet anticæ partis ectypon.

BITHYNIA

CIVS.

Caput imberbe Dei Menſis tectum pileo Phrygio, quem lauri ramus ornat)(ΚΙΑΝΩΝ. Clava & duo monogrammata. AER. III. N. 2.

Cii numos autonomos vix in laudatiſſimis muſeis reperias: his typis inſignem nullibi. Urbs plerisque veterum geographis memorata. Duos in rem noſtram citaſſe ſufficiat. Ait Mela: *s*) „duo ſunt inde

s) Geogr. L. I. C. XIX.

Tabvla I. N. 2. „ inde (a Myrlea) modici ſinus; alter ſine nomine „ Cion amplectitur, Phrygiæ haud longe jacentis „ opportuniſſimum emporium.„ Et Plinius: *t*) „Amnes Hylas & Cios cum oppido ejusdem nominis, „ quod fuit emporium non procul accolentis Phrygiæ, a Mileſiis quidem conditum.„ Erat itaque Cios Phrygiæ adſita. Hæc cauſſa, quod Deum Menſem coluerit, ſuoque in ære ſignaverit, cujus in Phrygia maximi honores fuere, unde in pecunia ejus provinciæ ſæpe recurrit. Equidem novi, Menſis imaginem plerumque inſiſtere Lunæ creſcenti; ſed iſtud haud ſemper obtinet teſtibus compluribus gemmis, & Alienorum Phrygum numo apud Pellerinium *u*). Non attinet ei Numini, quod Græcis MHN vocabatur, ac Eruditis, præeunte Spartiano, Lunus videbatur, immorari multis. De eo præclara & ſobria eruditione diſſeruit doctus Leblondius. *x*) Dicamus pauca de altera parte.

Clava indicat Herculem Cii cultum, cui quidem ea terra parum propitia fuit; nam perdidit ibi cariſſimum Hylam, Argo navi ſecum vectum, raptum-

t) Hiſt. Nat. L. V. C. XL. *u*) Rec. de Méd. T. II. pl. XLII. n.9.
x) Pier. grav. du Duc d'Orléans p. 81.

tumque a Nymphis, dum aquas petitum iret; cumque Hercules & Polyphemus eum requirerent, vento correpta navi & ipſi remanere coacti ſunt. Hæc fabula paſſim veteribus celebrata, verum ut ſit, varie variis. Hylam, forte in pecunia vetere nondum agnitum, videor mihi deprehendiſſe in Cianorum numo Sev. Alexandri apud Arigonium, *y*) in quo juvenis nudus utraque manu vas portans graditur, utique Hylas aquam petiturus e fonte, at non reverſurus amplius. Si iis fides eſt, qui in alio hujus urbis autonomo numo caput nudum barbatum, adjecta inſcriptione ΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ, Herculis eſſe ſtatuunt, *z*) Ciani ipſum Herculem conditorem urbis jactavere. Sed cum caput deſtitutum ſit leonina pelle, quæ non conſtans quidem, attamen ſolitum Herculis criterium eſt: contra vero Strabo diſertis verbis referat, *a*) Cium Herculis comitem, reverſum Colchis, urbem ſibi cognominem condidiſſe ad Arganthonium montem Bithyniæ, malim Cium, quam Herculem, in dicto numo exhiberi, ſalutarique ΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ.

TABVLA I. N. 2.

B 2 Cius

y) Imp. Gr. T. XI. n. 163. *z*) Eckhel Cat. Muſ. Cæſ. P. I. p. 143. ejus numi ectypon vide Cimel. Auſtr. T. XIV. n. 13.
a) Geogr. L. XII. p. 845.

Tabula I. N. 2. Cius poſtea vocata Pruſias. Eo nomine mox infra redibit numus, quo non præſtantior alter.

NICAEA.

ΙΟΥΛΙΑ ΜΑΜΑΕΑ ΑΥΓΟΥ. Mamææ vultus ad s.)(ΝΙΚΑΕΩΝ. Pallas dextrorſum ſtans d. pateram, s. haſtam: ad pedes clypeus. AER. III.

Numum deſcripſiſſe ſufficiat, uno titulo præclarum, quod ante deſcriptus non fuerit.

PRVSA AD OLYMPVM.

ΓΝ. CE· ΒΑ... ΡΒΙΑ.. ΑΥ. Caput Orbianæ verſus s.)(ΠΡΟΥCΑΕΩΝ. Juno ſiniſtrorſum ſtans d. pateram, s. haſtam puram. AER. II.

Orbianæ numi Græci exquiſitæ raritatis. Præſens anecdotus. Mutila capitis epigraphe ſupplenda ΓΝ. CE. ΒΑΡ. ΟΡΒΙΑΝΗ. ΑΥ. *Gnea Seia Barbia Orbiana Aug.* Poſt CE in numo punctum nitide cernitur. Quodſi velis literas CE ſejungere, interpretaberis *Seia Herennia.* Ejusdem urbis numo apud Eckhelium *b*) ea

b) Num. vet. p. 189.

ea Auguſta vocatur Γ. ϹΕΡ. ϹΕΙ. ϹΑΛ. ΒΑΡ. ΟΡΒΙΑΝΗ. ΑΥΓ. ac tribus Ægyptiis apud Haymium *c*) & Pellerinium *d*) ΓΝ. ϹЄΙ. ЄΡЄ. ϹΑΛΛ. ΒΑΡΒ. ΟΡΒΙΑΝΗ. ϹЄΒ. ut adeo integrum Orbianæ nomen ſit: Gnea Sergia Seia Herennia Salluſtia Barbia Orbiana Aug. TABVLA I.

Fuere Pruſa, Pruſia, & Pruſias tres diſtinctæ Bithyniæ urbes. Prior ad Olympum in numis ſcribit ΠΡΟΥϹΑΕΩΝ: altera ad Hypium ΠΡΟΥϹΙΕΩΝ ΠΡΟϹ ΥΠΙΩ: tertia ad mare ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΤΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΗ.

REGES BITHYNIÆ

PRVSIAS I. VEL II.

Caput Mercurii)(ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΡΟΥΣΙΟΥ. Caduceus. AER. III. N. 3.

Sunt, qui Pruſiæ II. tribuant monetas, quæ caput Jovis, Apollinis, Bacchi, Mercurii referunt: poſtica parte pharetram & arcum centaurum, lyram, caduceum. Ex horum mente præſens quoque numus ejusdem Pruſiæ foret. Sed res parum perſpecta,

c) Theſ. Brit. P. I. T. XLIV. n. I. *d*) Mel. T. I. pl. XV. n. 5. & 6.

Tabvla I. N. 3. ſpecta, propterea quod hi numi ſterilis ſint argumenti, regis vultu deſtituti, nihilque ſufficiant, unde certos ſub ejus regno eventus, aut ejus animi indolem & ſtudia didiceris, quamvis non defuiſſe ſciam, qui neſcio quo oraculo moniti, ſub arcu & pharetra, & centauro lyram tenente venationis Symbolum latere crediderint, cujus tanta ferebatur cupiditate Pruſias II. ut inde κυνηγος, *Venator*, audiret. Ego vero ita æſtimo, ne de iis quidem numis liquere, quibus Pruſiæ vultus impreſſus, qui primi, quive ſecundi ſint. Frœlichius *e*) Pruſiam primum judicat imberbem, barbatum ſecundum: Pellerinius *f*) in contrarium abit, & huic imberbes, illi numos barbatos tribuit. Uter rectius? Nec Appiani magnopere juvat auctoritas, qui ſecundo Pruſiæ faciem illiberalem & turpem fuiſſe tradit. Eam deformitatem in numis Pruſiæ imaginem & nomen fatentibus haud facile reperias, utique mitigatam a veteribus chalcographis, tametſi ii numi, qui regem bene barbatum effingunt, etiam aliquanto turpiorem altero imberbi exhibeant: ex quo capite, ſi Appiani ratio habenda, Frœlichio ſubſcribere malim, quem & ſequitur Eckhelius catalogo Muſei Cæſarei. Sed incerta ſunt iſthæc, ut generatim

e) Not. Elem. p. 193. *f*) Rec. de Rois. p. 183.

tim frigidum argumentum ab oris ductibus petitum, quaſi vero ut alia mittam, eadem regis facies fuiſſet ingraveſcentibus annis, imperiique ſub finem, quæ fuerat ſub initium, ac ætate florente. Eſſe aliquid huic criterio dandum deficientibus aliis, facile conceſſerim. Eundum qua poſſumus. Sed & danda ſua rebus nomina, incertaque & dubia vocanda, quæ incerta & dubia ſunt, non temere definienda. Vel primi ſubſellii rara eſt concordia Eruditorum, quoties ſolo vultus nituntur indicio. Pellerinius *g*) argenteum numum Demetrii Syriæ regis adſcribit Demetrio primo: ſecundo Eckhelius, *h*) qui anecdotum putabat. Utriusque judicium ſtat regis imagine. Quam fallax oportet eſſe criterium, quod ſummos fallit in arte magiſtros? quippe alterutrum falli neceſſe eſt. Parum dixi. Eruditi ſecum ipſi haud raro pugnant, jamque huic jam alteri ejusdem nominis regi eandem adjudicant monetam, dum aliis deſtituti argumentis ſoli regis vultui adhærent. Ejus rei plura exempla poſſem facili negotio enarrare, ni conſultius foret iis abſtinere, ne ſummorum virorum gloriæ inſidiari videar. Fateamur ceterum, quod res eſt. Non obſtantibus multorum conatibus regum cognominum numi

TABVLA I. N. 3.

craſſis

g) Lettr. II. pl. I. n. 5. *h*) Num. vet. T. XV. n. 7. p. 278.

TABVLA I. N. 3. craſſis etiamnum tenebris involvuntur, potiſſimum Pergami, Cappadociæ, Syriæ, Parthiæ, Ægypti; nec multa ſpes eſt fore aliquando, ut in plenam lucem eruantur. Perſæpe nec additus in numis imperii annus ſubſidium & lucem adfert. Quid enim docet L. A. L. B. vel etiam L. I. in pecunia Lagidarum, quorum plures plus decem regnavere annis? Satis diu laboratum ab viris doctis, quo ſuos cuique regi numos vindicarent. Utinam nunc eſſet, qui data opera, & qua par eſt, accuratione inveſtigaret atque doceret, qui & quorum regum numi uſque modo definiti ſint & certi, qui incerti ac dubii! Is quidem tam difficili, ſed multi momenti labore & maximam ab orbe literato gratiam iniret, & ſcientiæ numismaticæ utilitati plurimum conſuleret.

ORODALTIS AVT OROLALTIS.

N. 4. . . ΟΔΑΛΤΙΔΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΚΟΜΗΔΟΥΣ ΘΥΓΑΤΡΟΣ. Orodaltidis regis Lycomedis filiæ caput diademate ornatum)(ΠΡΟΥΣΙΕΩΝ ΠΡΟΣ ΘΑΛΑΣΣΗ. Fulmen alatum intra ſertum. AER. II.

Quemadmodum Ithacæ numus, Ulyſſis vultu nobilitatus, quem priore parte vidimus, facile omnium prin-

princeps eſt, quos poſſideo, pene dixerim, quos eruditæ antiquitatis reliquos tenemus: ita hic facile primus ab eo non uno nomine. Maximus inde honos, quod reginam Bithyniæ regis Lycomedis filiam prodat, nullis memoratam veterum monumentis, quæ hodieque ſuperant. Moleſte tamen accidit, prima nominis reginæ elementa attrita eſſe, licet numus de cetero elegantiſſimus ſit, & pulchra tectus vernice viridi. Præſidium fert ſimilis moneta nobiliſſimi Viri Savorgnani Venetiis, quæ huc uſque unica habebatur. Verum Eckhelius, cujus induſtriæ vulgatam debemus, *i*) non ipſe eam vidit, ſed uſus eſt tantum ectypo, quod olim Cl. Khellio Venetiis transmiſſum fuerat; hujus vero ectypi fides non nihil laborat. Reginæ nomen perhibetur ΩΡΑΔΑΑΤΙΔΟΣ. In meo numo tertia litera nullatenus videtur Α, ſed Ρ vel Ο, quæ poſtrema ſine dubio præferenda, ſi quidem prima nominis ſyllaba ΩΡ non fallit, quam offert Savorgnani numus. Quarta litera Δ vel Λ ſit, dubito. Quantum igitur e binis numis inter ſe comparatis arguere licet, legendum aut ΩΡΟΔΑΑΤΙΔΟΣ aut ΩΡΟΛΑΑΤΙΔΟΣ. Etiam regis Lycomedis nomen peccat in ectypo Veneto. Ne-

TABVLA I. N. 4.

i) Num. ver. p. 192.

Tabula I. N. 4. Neque enim in meo numo ΛΥΚΟΜΗΔΟΥ, ſed ΛΥΚΟΜΗΔΟΥΣ ſcriptum eſt, & ſcribi debuit, æque Straboni, *l*) atque Grammatices regulis conformiter. Quid quod Orodaltis nequaquam nudo capite, ſed diademate cincto exhibeatur? Hæc omnia notare viſum eſt, ut inſignem numum, qua fieri poſſit accuratione reſtitutum, cum erudito orbe communicarem.

Eckhelii animadverſionibus in hunc numum prolatis quod addam, non habeo, niſi id, Lycomeden illum Straboni memoratum etiam A. Hirtio nominari, *m*) vocarique hominem nobiliſſimum Bithynium, regio Cappadocum genere ortum, donatum a Julio Cæſare, quo jam Majores ejus fruebantur, ſacerdotio vetuſtiſſimi & ſanctiſſimi in Cappadocia templi deæ Bellonæ, cujus ſacerdos majeſtate, imperio, potentia ſecundus a rege conſenſu gentis illius habebatur. Verum de Orodaltide apud Hirtium quoque altum ſilentium. Hic, ſi unquam deperditorum veterum voluminum, quæ res Bithyniæ tractarunt, ingens inceſſit deſiderium. Ea namque ſi ſupereſſent, vix dubito, quin patris filiæque hiſtoriam fataque nos edocerent. Enimvero quo plura periere veterum ſcripta, eo pluris

l) L. XII. p. 839. *m*) De Bel. Alex. cap. LXVI.

ris facienda indubiæ fidei monumenta, quæ noſtris temporibus hiulcam antiquæ Bithyniæ hiſtoriam ſupplere atque illuſtrare valeant, unde nemo non præſentis numi præſtantiam æſtimabit. Bithyniæ regum hiſtoriam felici conatu tentavit non ita pridem Sevinus. *n*) TABVLA I. N. 4.

Urbs quæ numum ſignavit, eſt Pruſias ad mare. Ante fuiſſe Cium dictam conſtat, & ſupra monuimus. Hodie, ut putant, vocatur Gemblic, & græco Archiepiſcopo gaudet. Multum inde frumenti, vini, variorumque fructuum quotannis Conſtantinopolim vehi, narrat Pocockius.

MYSIA.

LAMPSACVS.

Caput Palladis galeatum ad s.)(AAM. Equus marinus alatus ſiniſtrorſum, ſub quo caduceus. AER. III.

*
* *

Larva Dionyſiaca)(AAM. Thyrſus lemniſcis ornatus: juxta fax luculenta. AER. III. N. 5.

 Ca-

n) Mem. des Inſcr. T. XII. XV. XVI.

TABVLA I.

N. 6.

* * *

Caput Bacchi pampinis ornatum)(AA intra coronam hederaceam. AER. III.

* * *

N. 7.

Diota)(AA intra coronam. AER. III.

En quatuor minutiſſimos Lampſaci numos anecdotos! Primus æri non inciſus, quod nihil memorabile ſuggerat. Caduceus, qui ſub equo marino jacet, in alio apud Haymium ſolus averſam tenet, ſymbolum Mercurii, florentisque commercii. Et erat Lampſacus commercio idonea, quæ teſte Strabone *o*) egregio portu gaudebat, & vineis per omnem Græciam laudatiſſimis. Eadem cauſſa feriundi Bacchi, & quæ ad eum referuntur, larvæ, thyrſi, diotæ, coronæ hederaceæ, quos typos tres reliqui numi proponunt. Lampadem in tertio numo ardentem explicat Mela dicens: „Lampſacum Phocæis adpellantibus nomen „ ex eo traxit, quod conſulentibus, in quasnam ter„ ras potiſſimum tenderent, reſponſum erat: ubi pri„ mum fulſiſſet, ibi ſedem capeſſerent. „ Pari modo An-

o) L. XIII. p. 881.

Ancona Italiæ, Cardia Thraciæ, Clides inſulæ ad Cyprum, & Side Pamphyliæ nominis ſui rationem & ſymbola monetis ſuis inſeruerunt. TABVLA I. N. 7.

Poſtremi numi averſa, & primi adverſa pars ſuadent, ut Lampſaco reſtituamus, quem iniquum Arigonii judicium Lacedæmoniis adjudicavit. *p*) Idem ſentio de numis, quos Pellerinius *q*) & Leblondius *r*) Lamiæ in Theſſalia tribuerunt.

Lampſaceni agri neque poſt bis mille annos mutatum ingenium, nam ejus vina hodiedum in honore ſunt. At urbis fortuna mutata, nunc ignobile oppidum adfini nomine *Lamſaci* dictum, olim Tullio præcone, *in primis Aſiæ provinciæ clarum & nobile.* Veteris ſplendoris teſtes habemus aureos ejus numos, quorum unum poſſedit Thomas Pembrochiæ comes, alterum Pellerinius.

P A R I V M.

NERVA AVG. Caput Nervæ)(C. G. I. P. Colonus agens boves. AER. III. N. 8.

C 3 Nu-

p) T. XIII. n. 124. *q*) R. I. pl. XXVII. n. 16. *r*) Mem. des Inſcr. T. XL. p. 88. n. 3. & 4.

TABVLA I N. 8. Numus perexiguus mole, præſtantia maximus. Certe antiquitate præcellit omnes, qui coloniæ Parii in lucem hactenus prodiere. Ante is honos dabatur numo Trajani, quem doctus Belleius e theſauro Pellerinii produxit. *s*) Nunc eo honore excidit, quem neque noſter perpetuo tuebitur. Cum enim Parium ab Auguſto coloniæ Romanæ jura receperit, dubitari vix poteſt, eam Auguſti & ceterorum ante Nervam Imperatorum nominibus numos procudiſſe, cujusmodi ſerius aut citius e terræ viſceribus eruentur. Ante Hadrianum, qui multis beneficiis civitatem ornavit & auxit, ſolæ literæ C. G. I. P. in numis leguntur; at ſub eo, ejusque ſucceſſoribus conſtanter C.G.I.H.P. ſeu *Colonia Gemella Julia Hadriana Pariana.*

Vir agens boves non eget interpretatione, & ſunt plerique numi hujus coloniæ jejuni argumenti. Excipe, quem Belleius *t*) & Pellerinius *u*) vulgarunt & explicuerunt, cujus hic loci breviter meminiſſe operæ pretium fuerit. Una parte caput eſt Commodi, altera figura ſedens imberbi & nudo capite, qui bovis ante ſe ſtantis pedem dextrum manibus tenet velut ex-

s) Mem. des Inſcr. T. XXV. p. 94. *t*) l. c. *u*) Addit. aux neuf. Vol. p. 29.

exploraturus: ſupra inſcriptio DEO. AESC. SVB. infra ſolitæ literæ C. G. I. H. P. Belleius interpretatur DEO AESCVLAPIO SVBVENIENTI: Pellerinius DEO AESCVLAPIO SVBVRBANO. Uterque pro certo habet exhiberi Æſculapium, ſed adhuc juvenem & prima ſcientiæ ſalutaris pericula facientem cum animalibus ægrotantibus. Optaſſem vel unius auctoris fidem protuliſſent Viri hi illuſtres, ſtatuam aliquam, ſive templum, in urbe Pario extitiſſe deo illi conſecratum, aut ejus cultum ibidem viguiſſe. Mihi quidem tale teſtimonium nullum compertum. At, inquies, quid opus auctorum fide, auctoritatem indubiam faciente numo, qui diſerte Æſculapium jactat? Optime ſane. Neque ego contra numi teſtimonium pugnavero. In eo ſolum mihi ſcrupulus hæret, an non alius hic lateat Æſculapius, quam celebris ille Apollinis filius, qui fere ſemper alias bene barbatus laureatusque comparet, neque in ullo alio monumento veteri eo habitu & bove comite cernitur, ut in numo illo Parii. Ecquis autem fuerit ille alius Æſculapius? Forte is, cujus meminit Athenagoras in Legatione pro Chriſtianis. Ait nempe: Alexandriam Troadem habuiſſe iconem Neryllini, Parium vero Protei & Alexandri (Paridis) ac hujus quidem in foro ſepulcrum & ſimulacrum fuiſſe. Mox ſubdit, credi eos conſulentibus TABVLA I. N. 8.

ægro-

Tabula I. N. 8. ægrotis reſponſa dare, & ferre opem, Alexandri vero ſtatuæ ſacrificari publice, & feſta peragi ὡς επηκοῳ θεῳ *tanquam exaudienti Deo. x*) Præſtantiſſimus hic locus haud vanam conjecturam ſufficit, Parianos popularem ſuum Alexandrum Paridem, ægrotantibus propitium & ſubvenientem deum, velut domeſticum Æſculapium habuiſſe, eoque nomine condecoraſſe. Unde nec mirum, ſi ei dedicaverint numos inſcriptos DEO AESCVLAPIO SVBVENIENTI, quæ inſcriptio Athenagoræ verba ὡς επηκοῳ θεῳ ad verbum interpretatur. Simili modo Antinoum, Hadriani delicias, & ſui cives Bithyni, & alii populi Apollinem, Bacchum, Mercurium, Serapidem in numis ac inſcriptionibus vocarunt & exhibuerunt. Quid quod ſedentis numinis ætas juvenilis juveni formoſo Paridi multo aptius competat, quam Æſculapio? Scio quidem Phliunti & Sicyoni, Achajæ urbibus, imberbem placuiſſe. Sed hoc ipſum, quia admodum inſolens, accurate a Pauſania notatum.

Qui plura de hujus coloniæ numis & fortuna ſcire cupit, conſulat Belleium, cui Pariana pecunia plurimum debet. Ruinæ ſpectantur prope locum *Kamaris.*

TROAS

x) C. XXIII p. 107. Edit. Oxon.

TROAS.

Tabvla I.

ABYDVS.

Caput Veneris)(ABT. Aquila ſtans. AER. III. N. 9.

Ingens cum dignitate venuſtas facile pulcherrimam dearum Venerem manifeſtat in hoc eleganti numo, non ante viſam in pecunia Abydi. Eam urbem Seſto objectam fuiſſe & vicinam, nemo ignorat. Hinc ut fit, eadem fere utrisque numina culta, ſpeciatim Venus. Hero quidem Veneris ſacerdos erat, & a Leandro Abydeno primum Seſti conſpecta, quo tempore ibidem celebrabantur feſta in honorem Adonidis & Veneris. *y*) Pro Abydena Venere facit illuſtris locus Athenæi, *z*) quem interprete Dalechampio latine loquentem audiviſſe non pœnitebit: „Meretri„ciæ Veneris delubrum eſſe Abydi ſcribit Pamphilus. „Nam ſervitute cum premeretur ea civitas, cuſtodes „præſidiarii aliquando ſacro peracto, ut in fabuloſis „Cleanthes ſcripſit, temulenti multas ſuæ commeſſatio„ni meretrices adhibuerunt, e quibus una ſopitos illos

„con-

y) Muſæus de Her. & Leandr. v. 31. & 42. ſq. *z*) Deipn. L. XIII. p. 572. Edit. Commel.

TABVLA I. N. 9. „ conſpicata, furtim avectis portarum clavibus muros „ transgreſſa id Abydenis ſignificavit: qui extemplo „ correptis armis & concurſu facto, præſidiariis occi- „ ſis, muris potiti libertatem recuperarunt, & mere- „ trici gratiam ut redderent, templum meretriciæ Ve- „ neris exſtruxerunt.„ Audiſti, erudite Lector, quam Venerem & qua de cauſſa coluerint Abydeni, proinde noſti ſimul, cur & qualem Venerem præſente in numo conſpicias. Idem auctor teſtatur Abydenos male audiiſſe ob mollitiem & copiam feminarum, quæ ſui copiam facerent; *a*) unde natum proverbium: „Ne te- „ mere Abydum„ ut ſimilem ob cauſſam de Corintho;

Non cuivis hominum contingit adire Corinthum.

nempe quod adeuntibus bene referto marſupio opus eſſet.

De urbe ipſa non attinet plura dicere. Cui enim non nota Herus & Leandri amore, magis etiam Xerxis ingenti facinore, qui inter Abydon & Seſton diviſas anguſto pelago terras auſus pontibus jungere, ex Aſia in Græciam innumerabilem exercitum duxit? Urbis veſtigia ſuperant eo loco, qui nunc vocatur *Nagara.*

ALE-

a) l. c. p. 524.

ALEXANDRIA TROAS.

Tabvla I.

col. troad. Caput muliebre turritum Genii urbis: a tergo vexillum.)(col. avg. tro. Aquila bovis caput auferens. aer. ii. N. 10.

Aquila bovis caput perſæpe rapit in numis, quos Alexandria Troas Imperatorum Romanorum nominibus dicavit. Turrito coloniæ Genio juncta nondum, quod ſciam, comparuit. Eum typum adludere arbitrantur ad augurium ædificandæ Troadis, quæ referente Strabone, alio atque alio in loco exſtructa, tandem oraculi juſſu poſita fuit, ubi Strabonis tempore ſtetit. Eadem avis, Seleuco Syriæ rege Jovi Caſſio ex oraculo ſacrificante, partem bovis immolati abreptam in emporium Pieriæ transtulit, atque ita regem monuit, quo loco urbem fundaret poſtea Seleuciam dictam.

Troadis multo tempore cum Troja confuſæ ſitum fixit celeberrimus Danvillius in deſcriptione Helleſponti, cui tabulam geographicam adjecit. *b*) Hodiernam ejus faciem & rudera deſcribit eruditus Anglus Chandler.

b) Mem. des Inſcr. T. XXVIII.

TABVLA I.

LESBVS INS.

ISSA.

N. II. ΙΣΣΑ. Muliebris protome crinibus ad verticem in nodum contortis.)(Aſtrum. AER. III.

Arigonius æri inciſum dedit numum ab hoc diverſum, *c*) quem pariter poſſideo. Cujus ſint Iſſæ hi numi, Adriaticæ num Lesbiæ, Arigonius diſſimulat, dubitat Eckhelius. *d*) Pro poſtrema ſtandum pene certum videtur. Adriaticis inſulis nec addicunt utriusque partis ſigna, nec inſcriptionis ratio. Earum pecunia aut animalia continet, quibus abundabant, potiſſimum cervos hædosque: aut vaſa, quorum ibi magna copia fabricata; nomen vero conſtanti lege indicabant ſola initiali ſyllaba. Ita perpetuo legitur ΙΣ. ΦΑ. in certis Iſſæ Pharique numis. Quid quod ambo numi, de quibus quæſtio, Smyrna Joniæ ad me delati fuerint? Quæ res pro Lesbia Iſſa ob vicinitatem locorum aperte facit.

Vindicata patria haud difficile de anticæ partis effigie ſtatuere. Nimirum Iſſam, Macaris filiam exhiberi

c) T. XII. n. 116. *d*) Num. vet. p. 98.

beri cenſeo, quæ urbi nomen fecit auctore Stephano. *e*) Et fuit tempus, quo omnis inſula Lesbus hoc nomen tulit, ut fidem faciunt Strabo, Diodorus Siculus, & alii. Quod in numo Arigonii male expreſſum ramuſculi inſtar imminet muliebri capiti, κορυμβος eſt, comarum cultus uſitatus virginibus, deabusque nonnullis, imo & Diis, ut Apollini & Baccho, quibus nempe *inconſumta juventus* & *virgineum caput eſt*, ut canit Ovidius. TABVLA I. N. 11.

Sidus altera parte micans dignum, quod intueamur. Ejus ſenſus e vetere aſtrologia eruendus, nec dubito, quin aut totius inſulæ Lesbi, aut urbis Iſſæ horoscopos ſit. Ad veterum mentem unumquodque Zodiaci ſignum eſt ſub poteſtate unius e ſeptem Planetis, & ſinguli Planetæ in eo ſigno ſuum tenent domicilium, imperiumque inde exercent in vaſtos terrarum tractus, quibus præſident, moderantes regionum urbiumque illarum proſpera vel adverſa fata, unde Virgilio Manilioque vocantur *conſcia fati ſidera.* Quid mirum, plurima religione antiquos populos proſecutos aſtra fuiſſe, ſuaque themata inſeruiſſe monetis? In noſtra Veneris ſtellam adeſſe puto, quæ oriens

 Luci-

e) in voce ΙΣΣΑ.

Tabvla I. N. II. Lucifer, occidens vocatur Heſperus. Suffragatur Proclus Diadochus, cujus effato, qui maritima ora Minoris Aſiæ colunt, imperio Tauri & Veneris ſubjacent. *f*) Veneris ſtellam & Uranopolis Macedoniæ, *g*) & Locri Ozolæ ac Opuntii *h*) ſignabant conſpirante Strabone, qui diſertis verbis teſtatur occiduos Locros, etiam Ozolas dictos, in publico ſigillo habuiſſe inſculptum Heſperum. *i*) Generatim Aſtrologiæ veteris habenda ratio, quoties aſtra & ſigna Zodiaci vident in ære vetere eruditi. Hinc mille numis clariſſima lux illuceſcet. Ne longus ſim in argumento, quod nuper egregie pertractatum eſt a Barthelemio, *l*) uni exemplo immorabor petito e Magnetum Theſſaliæ moneta, quam Pellerinius edidit, *m*) ſed nec is, nec poſt eum alius explicuit. Ejus nota ex altera parte Neptuni facies: ex altera puppis, cui Apollo arcitenens inſidet, in area ſtella. Signatæ puppis ratio primo intuitu videri poſſit maris vicinia, adeoque ſtudium navigandi, maritimumque Magnetum commercium. Sed quæ Apollinis inſidentis, aſtrique ſignificatio? Hæc ſigna non adjecta de nihilo; imo vero argumenti in eo numo propoſiti

f) Paraphr. in Ptolem. L. II. p. 91. Edit. Elzev. 8. *g*) in numo Pellerinii perperam Locris dato R I. pl. XIV. n. 7. & meo. *h*) Pellerin Rec. de Méd. T. I. pl. XIV. n. 14. *i*) P. I. p. 638. *l*) Mem. des Inſcr. T. XLI. p. 501. *m*) Rec. I. pl. XXVII. n. 26.

poſiti partes ſunt atque indicia. Quid multa? Navis Argo repræſentatur inter ſidera collocata. Unus Hyginus rem conficiet. Ita vero de navi Argo habet: „Hanc autem primam in mari fuiſſe complures dixe„runt, & hac re maxime ſtellis eſſe figuratam. Hanc „navim factam Pindarus ait in Magneſia oppido, cui „Demetrias eſt nomen; Callimachus autem in iisdem „finibus ad Apollinis Actii templum, quod Argonau„tæ proficiſcentes ſtatuiſſe exiſtimantur in eo loco, „qui Pagaſæ vocatur . . . Sed hujus (navis) non tota „effigies inter aſtra videtur; diviſa enim eſt a puppi „uſque ad malum.„ *n*) Quam belle hæc ad numum Pellerinii! Tenemus navim Argos apud Magnetes conſtructam, proinde ut illuſtre ac domeſticum argumentum optimo jure in eorum pecunia conſpicuam. Additur ſtella, quo facilius ſtellis inſerta Argo dignoſceretur. Adeſt Apollo, Actius nempe, ab Argonautis proficiſcentibus templo donatus Pagaſis, qui locus Magneſiæ proximus eſt; & quemadmodum inter aſtra, ita in numo non tota Argus effigies, ſed ſola puppis ſpectatur. Hoc uno Hygini loco nitide illuſtratur nobile præſtantis numi argumentum, cujus ſenſum nullatenus in terra, ſed inter aſtra ut inquirerem, admonuit

Tabula I. N. II.

n) Poet. Aſtron. inter Auct. Myth. p. 489.

TABVLA I. N. 11. nuit ſtella, quæ juxta navim, ſedentemque Apollinem in area lucet.

MYTILENE.

N. 12. ... ΘΕΟΦΑΝΗC ... Caput nudum imberbe.)(ΑΡΧΕΔΑΜ ... Caput velatum. AER. II.

En Theophanis, Strabonis effato viri omnium Græcorum illuſtriſſimi, nomen & vultum. Ejus Cicero quoque, Plutarchus, aliique non uno in loco meminere. Vitæ ſumma hæc. Fuit Theophanes Mytilene in Lesbo oriundus, atque in republica verſatus aliquamdiu. Longe maxima gratia valuit apud Pompejum Magnum, particeps quoque conſiliorum ejus, imo & præclare factorum, quæ verſibus deſcripſit. Ab eodem in concione militum donatus civitate Romana eſt, unde ejus poſteri Pompejorum nomine Romæ vixere. Filium reliquit M. Pompejum, quem Auguſtus Aſiæ procuratorem conſtituit, Tiberio Cæſari quoque inter primos amicos habitum. Patriæ extitit non decus ſolum, ſed & ΣΩΤΗΡ, auctorque recuperatæ libertatis. Quippe Mithridatico bello Mytilene perfida in Romanos, quin adeo poſt victum Mithridaten ſola urbium armis retentis pertinax ob metum, pœnas dedit

dedit expugnata & diruta. At reviviſcenti „libertas „ in unius Theophanis gratiam poſtea a Pompejo re- „ ſtituta eſt.„ *o*) Tam præclara in patriam beneficia minime mirum commoviſſe gratos poſteros, ut eum velut urbis ſervatorem, imo numen tutelare venerarentur, ejusque memoriam in publicis monumentis conſecrarent. Hujus rei teſtes habemus cum numos, tum auctores veteres, quos jucundum eſt inter ſe mirifice hac in parte conſpirantes cernere. Tacitus poſtquam a Tiberio in Pompejam Macrinam exilium ſtatutum narraſſet, patrem quoque illuſtrem equitem Romanum, ac fratrem prætorium cum damnatio inſtaret, ſe ipſos interfeciſſe, continuo ſubdit: *p*) „Datum erat crimini, „ quod Theophanem Mitylenæum proavum eorum Cn. „ Magnus inter intimos habuiſſet, quodque defuncto „ Theophani cæleſtes honores Græca adulatio tribue- „ rat.„ Habes Theophanem a Mytilenæis poſt mortem inter deos relatum; & deum revera dicunt pariter numi. Quinam illi? Is ipſe, cujus iconem hoc loco dedi; nam inſcriptio, cujus partem ætas devoravit, integra hæc fuit: ΘΕΟϹ ΘΕΟΦΑΝΗϹ ΜΥΤ. Unde hoc ſciam? Ex alio numo, qui Muſeo Theupoli Julio

Tabula I. N. 12.

o) Vel. Patercul. L. II C. XVIII.. *p*) Annal. L. VI.

E

TABVLA I. lio Cæſari perperam tribuitur, atque ita deſcribitur. q)

N. 12. ΘΕΟϹ ΘΕΟΦΑΝΗϹ ΜΥΤ. Divus ſub Theophane Mytilenæorum. Caput Julii Cæſaris nudum.

ΑΡΧΕΛΑΟϹ. Archelaus. Caput virile nudum.

Multiplex in hujus numi deſcriptione error. Caput nudum non Cæſaris, cui prorſus diſſimile, ſed Theophanis eſt, & το ΘΕΟϹ ad hunc, non ad illum pertinet, quapropter inſcriptionis ſenſus: *Mytilenæorum deus Theophanes.* In averſa noſtri numi perſpicue legitur ΑΡΧΕΔΑΜ; verum cetera deſunt, quod moleſte accidit. Invenio Archedamum Philoſophum Stoicum Tarſenſem, Straboni, Diogeni Laertio aliiſque laudatum. Sed quid Mytilenæis cum homine Tarſenſi? Forte potius Prætor (ϛρατηγος) eſt, quorum varia nomina inſerta eorum pecuniæ. Caput, quod auctori Muſei Theupoli nudum adparet (niſi forte is numus alius a meo ſit) in hoc velatum videtur, & magis feminæ, quam viri. Quid ſi Liviæ foret Auguſti uxoris, ut plurium Auguſtarum imagines cernimus in ære Mytilenes? Sed hæc de averſa parte dubia expediat alius, cui fortuna favens talem numum integrum eleganterque ſervatum offeret. Nobis ſatis pulchrum e numis eruiſſe Theophanem.

Vete-

q) P. II. p. 629.

Veteribus Mytilenis nunc impoſita urbs *Caſtro.* Lesbus autem, ut jam antiquitus Mytilene dicta fuit ab urbe principe hujus nominis: ſic hodieque adfini nomine vocatur *Metelin.* De hodierna ejus facie inter alios conſule Turnefortium, & Voyage Pittoresque de la Gréce V Cahier. TABVLA I. N. 12.

IONIA.

EPHESVS.

ΕΦΕ. Vannus inter duos ſerpentes, e qua arcus eminet: in area dimidius cervus.)(Serpens e ciſta ſemiaperta profiliens intra ſertum hedera & corymbis contextum. ARG. I. N. 13.

Parum videbatur Epheſiis primas nominis ſui literas ΕΦΕ. præſtanti ciſtophoro adſcripſiſſe. Jungebant in area dimidium cervum, quod animal jam integro, jam dimidio corpore in eorum pecunia ſæpiſſime redit, Dianæ Epheſiæ comes & ſignum.

De ciſtophoris proprie dictis univerſim tres canones ſtatui poſſunt nequaquam fallaces. Primo: omnes fabricati in Aſia Minore. Sunt vero urbes, qua-

Tabula I. N. 13. rum uſque modo extant, ſequentes: Apamea Phrygiæ, Laodicea Phrygiæ, Pergamus Myſiæ, Sardes Lydiæ, Tralles Lydiæ, Epheſus Joniæ. Quos inſulæ Cretæ Golzius, atque ex eo Panelius retulere, ſpurii ſunt, aut infeliciter lecti. Secundo: omnes ejusdem ſunt metalli, nimirum argenti. Tertio: omnes ſunt ejusdem ponderis & molis, puta tetradrachmales.

Prodigio ſimile, tam paucos noſtra ætate inveniri ciſtophoros, quorum tamen ingens fuerit ſignata copia. Tulit in triumpho M. Acilius de Antiocho, Ætolisque victis ducenta quadraginta octo millia: Cn. Manlius Vulſo de Gallogræcis ducenta quinquaginta millia: L. Æmilius Regillus in navali triumpho de profligatis Antiochi claſſibus centum triginta unum millia trecentos: L. Scipio Aſiaticus trecenta triginta unum millia & ſeptuaginta; *r*) & vel ſolus Cicero ad HS. bis & vicies in Aſia habuit, ut ipſe ſcribit ad Atticum. His non obſtantibus Crœſus eris, ſi modo unum vel alterum cujusque urbis poſſideas, quæ id genus numorum ſignarunt. Nos quatuor urbium tenemus: Apameæ, Epheſi, Pergami, Trallium.

ΦΡΟΥ.

---

r) Hæc Livius diverſis locis.

*
* *

TABVLA I.

ΦΡΟΥ. CABΕΙ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΕΙΝΑ. Ejus protome)(N. 14
ΕΦΕCΙΩΝ. Α. ΑCΙΑC. Latona gradiens & reſpiciens ſingulis manibus tenet infantem, quorum is, quem dextra portat, globulum tenet. AER. I.

Aut fallor, aut egregii numi ectypon nondum prodiit. Averſæ partis jejunam mentionem fecit Vaillantius; *s*) adverſæ nullam pro more, quam ob rem merito ab Eruditis reprehenſus. Nominatur Tranquillina in hoc & paucis aliis numis Fruria, alias Furia, utroque prænomine in ſolis Græcis. Iidem CABΕΙΝΙΑΝ plerumque vocant, CABΕΙΝΑΝ unus Cii Bithyniæ, *t*) alius Tarſi Ciliciæ. *u*)

Altera parte, ait Vaillantius, „mulier ſtans ſuc„ cincta ambabus ſuſtinet mulierculam.„ Dicere debebat: Latona gradiens & reſpiciens una manu portat infantem Apollinem, altera Dianam, gemellos ſuos, propter quos Διδυματοκος, *Gemellipara* cognominabatur. Eodem modo habituque ea dea cum prolibus

 ſuis

s) Imp. Gr. p. 158. *t*) Eckhel Cat. Muſ. Cæſ. p. 144. *u*) Muſ. Theupoli. P. II. p. 1061.

Tabvla I. N. 14. ſuis procedit duobus in numis Tripolitarum Cariæ, *x*) apud quos magna ejus religio, & certamina inſtituta ΛΗΤΩΙΑ *Latonia*, nonnullis inſcripta Tripolitarum numis apud Triſtanum & Vaillantium. Opportune mihi ſubit Magneſiæ Joniæ numus, cujus averſæ parti inſiſtit mulier infantem geſtans. Frœlichius, ejus præco, *y*) inter quinque de hujus typi ſenſu prolatas conjecturas incertus fluctuat. Pace viri doctiſſimi dixerim: valedicendum omnibus, adhærendumque Latonæ, quæ non jam unum, ſed geminos tenet in alia ejusdem urbis moneta apud Haymium, *z*) quamquam neque is Latonam agnoverit. Non utique conſtanti ac immutabili lege deos deasque repræſentarunt veteres artifices. Ipſi quoque Tripolitani monetarii quandoque unum tantum e gemellis Latonæ brachio impoſuerunt, uti numus a Panelio e muſeo Lebretii deſcriptus docet. *a*)

De Epheſo ipſa tacere præſtat, quam pauca dicere. Eam hodiernum oppidum *Ajaſaluk* qui putant, errant errorem dedocente Chandlero. Jam pauca videas ruſticorum paſtorumque tuguria, multoque plures

x) Pellerin. Rec. de Méd T. II. pl. LXVIII. n. 59 & 60. *y*) Quat. Tent. p. 312. *z*) Theſ. Brit. P. II. T. 43. n. 2. *a*) Mem. de Trevoux Oct. 1737.

res capras, quam homines, ubi ΕΦΕϹΙΩΝ. Α. ΑϹΙΑϹ. *Epheſiorum, primorum Aſiæ*, urbs ſtetit; & quo loco Dianæ templum, orbis miraculum, fuerit, incaſſum quæſieris. Ipſæ periere ruinæ. TABVLA I. N. 14.

P H O C A E A.

Caput Mercurii.)(ΦΩ. Gryphus dimidius, ſub quo aliquid clavæ ſimile. AER. III. N. 15.

Non infima laus, hunc numum facem præferre tribus aliis, qui ſimilibus typis notati, ſed urbis nomen reticentes uſque modo variis in urbibus exulabant. Arigonius ſub grypho legit ΤΥΑΝ: *b*) auctor Muſei Pembrochiani ΒΟΙΩΤΙ: *c*) Pellerinius ΑΘΗΝΑΔΗΣ. *d*) Primus pro Tyanis Cappadociæ pronunciat, ſecundus pro Bœotiis, tertius Abderæ favet, ſed dubitanter. Comparatione inſtituta facile inducor ut credam, quemadmodum ΑΘΗΝΑΔΗΣ, ita ΒΟΙΩΤΙ & ΤΥΑΝ, ſi quidem lectio ſibi conſtat, magiſtratuum eſſe nomina, eosque tres numos pariter Phocæam Joniam ſpectare, licet initiales literæ ΦΩ, quæ in meo conſpicuæ ſunt, in illis

b) Tab. XXIII. n. 224. *c*) P. II. T. 37. *d*) Rec. de Méd. P. I. pl. XXXIII. n. 9.

Tabula I. N. 15. lis deſiderentur, aut nunquam inſculptæ, aut edaci tempore conſumtæ.

Signa utriusque partis nihil memorabile offerunt. Gryphi in plurium Joniæ civitatum numis verſantur, ut Teji & Smyrnæ. Apollini ſacros eſſe nemo ignorat. In eleganti moneta Alexandriæ Troadis Apollo tenens lyram grypho ſublimis per aera vehitur. *e*) Iis tamen & Pan delectatus, quapropter eidem ſociantur in duobus elegantiſſimis numis aureis Panticapæi apud Thomam Pembrochiæ comitem, & Pellerinium. Loco, ubi Phocæa fuit, hodie nomen eſt Palæophoggia, ſeu vetus Phocæa.

P R I E N E.

N. 16. ΠΡΙΗ. Diota.)(Anterior pars pantheræ. AER. III.

Plurimo ævo gravis numus comprobante artificio; at nec immunis temporum injuriis, quæ tantum non extriverunt feram, cujus dimidium corpus alteram numi partem occupat. Id animal, ſi panthera eſt, cujus ſpeciem refert, obſervatum a Prienenſibus Bacchum

e) Vaillant. Col. T. II. p. 216.

chum indicat. Pauſanias meminit *f*) templi in ejus honorem dedicati Myunte, quæ urbs Prieni proxima, & ſimul cum ea condita fuit. Pietatis in Bacchum ratio, quod univerſim Jonia, excepta inſula Samo, optima vina produxerit ſive ad jucunditatem, ſive ad uſus medicos teſtante Strabone. *g*) Ad Bacchum pariter adludere videtur diota, niſi quis malit vaſorum officinas in hac urbe ſupponere; nam & Samus, Prieni objecta, vaſorum nobilitate inclaruit. Prienes nonnullas inſcriptiones promulgavit Cl. Chandler. Urbs peruetus, & Biantis, unius e ſeptem Græciæ ſapientibus, patria. Nunc Samſun, ſeu Samſun-Kaleſi adpellatur. TABVLA I. N. 16.

S M Y R N A.

ΑΥ. ΚΑΙ... ΒΑ. ΤΡΑΙΑΝΩ. CΕ. ΓΕΡΜΑ... Caput Trajani laureatum.)(Ε.. Α. ΠΡΟΚΛΟΥ. CΤΡΑ. ΚΑ.. Ω.. infra literæ fugientes. Muliebris Genius urbis s. tenens oblongum ſceptrum, dextram extendit verſus caput Herculis, qui d. ſcyphum, s. clavam gerit cum leonis exuviis. AER. I. TABVLA II. N. I.

Nu-

f) in Ach. p. 527. *g*) L. XIV. p. 943.

TABVLA II. N. 1.

Numis numi quam optime illuſtrantur & corriguntur. Hac via in explicandis potiſſimum iis, quos longa annorum ſeries mutilavit, tutiſſimus ibis. Exemplo eſt hic noſter, cujus multum attritam poſticae partis inſcriptionem & patriam elicere tentabo haud irrito, ut puto, conatu, eo uſus medio, quo utor in omnibus hujusmodi difficultatibus, rebusque deſperatis. Haymius, accuratus cetera ſcriptor, Trajani numum vulgavit, cujus averſam ita recenſet: ΤΕ... ΠΡΟΚΛΟΥ. ΣΤΡ. ΑΝΑΚΙΩΝ. *Terentio Proclo Prætore Anacenſium. Mulier virum nudum adſiſtentem coronat.* Qui, & ubi gentium Anacenſes iſti fuerint, ignorare fatetur. *h*) Ejusdem Imperatoris alterum complectitur Geſsneri compilatio *i*) hac epigraphe: ΣΤΕ. ΚΥ. ΠΡΟΚΛΟΥ. ΣΤΡΑ. ΚΑ. Β. ΜΟΣ: infra duas figuras ſtantes ΤΙΝΙΩΝ. Cl. Wheler in autonomo, qui averſa parte a noſtro parum abludit, legere ſibi viſus: ΣΤΕ. ΚΑ ΠΡΟΚΛΟΥ. ΣΤΕΑ. ΚΛ. ΚΙΩΝΟΣ: infra ΣΜΥΡ. *l*) His numis inter ſe, & cum noſtro diligenter compoſitis, nemo non videt, omnibus unam eſſe eandemque averſæ partis epigraphen; argumentum, adeoque & patriam. Hanc eſſe Smyrnam Joniæ liberaliter fatetur poſtremus autonomus conſpirante meo numo, in cujus ſegmento lite-

h) Theſ. Brit. P. II T. XXXII. n. 3. *i*) T. LXXXVIII. *l*) Voyages. Amſt. T. II. p. 36.

litera M conſpicitur, nimirum reſidua e nomine ΣΜΥΡ ναιων, quod eodem loco citatus Wheleri numus offert. Reliqua pars inſcriptionis continet nomina duorum magiſtratuum, nempe ΚΛ. ΠΡΟΚΛΟΥ & ΚΛ. ΒΙΩΝΟC, quorum revera ſæpius mentio in ære Smyrnenſi. Bionem quidem Smyrnenſium & CΤΡΑΤΗΓΟΝ & ΤΑΜΙΑΝ, ſeu *Prætorem* & *Quæſtorem* fuiſſe conſtat e binis numis apud Pellerinium, *m*) quorum alter inſcribit CΤΡΑΤΗ. ΒΙΩΝΟC, alter ΓΑ. ΚΛ. ΒΙΩΝΟC ΤΑΜΙΟΥ, cui geminus ſervatur muſeo Theupoli. *n*) His conſtitutis jam apage Haymianos Anacenſes, de quibus illud Virgilii recte uſurpes:

TABVLA II. N. I.

Dic quibus in terris? & eris mihi magnus Apollo.

Eorum nomen ſoli debetur oculorum illuſioni. Nempe Haymius e vocabulo CΤΡΑ diſtractam poſtremam literam Α conjunxit duobus ſequentibus nominibus ΚΛ. ΒΙΩΝ, quæ male univit legitque ΝΑΚΙΩΝ, facili ob literarum adfinitatem errore, atque ita nomen ΑΝΑΚΙΩΝ exſculpſit non modo invita Minerva, ſed & invitis geographis omnibus, apud quos altum Anacenſium ſilentium.

 Tan-

m) Rec. de Méd. T. II. p 84 & 85. *n*) T. II. p. 1298.

Tabvla II. N. 1. Tandem eluctati ſumus e literarum difficultatibus, eo uſi medio, quo nos uſuros principio diximus. Reſtat averſæ partis argumentum, quod paucis expediemus. Urbis genius dextram nudam protendit verſus Herculem, quaſi digito vellet eum urbis protectorem monſtrare. In alio eleganti numo mei muſei Smyrnenſibus vocatur Hercules ΟΠΛΟΦΥΛΑΞ, *armorum cuſtos.* In hoc minus terrificus armatur ſcypho, ut ſæpe alias in ære Smyrnenſi. Copioſis aliorum in Herculem *bibacem* commentariis id unum addo, Anthologiam græcam bellum de eo epigramma continere, & Gruterum atque Odericium inſcriptiones veteres protuliſſe, quæ ſcyphos & cantharos memorant Herculi ex voto dedicatos.

CARIA.

HALICARNASSVS.

N. 2. ... ΑΥ ... Μ. ΑΥΡ. ΚΟΜ ... Caput laureatum)(ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ. Urbis fortuna, ſeu bonus Genius (Græcis ΤΥΧΗ) in templo diſtylo conſiſtit ad aram luculentam, d. pateram, ſ. cornucopiæ tenens. AER. I.

Hali-

Halicarnaſſus Metropolis Cariæ, ſita inter duos ſinus Ceramicum & Jaſium, regum ſedes, Mauſolei ab Artemiſia conſtructi miraculo per orbem celebrata, Herodoti & Dionyſii inde Halicarnaſſenſis dicti patria. Crederes muſea omnia tam illuſtris urbis referta numis. At contra accidit. Autonomos facile digitis computes, nec multo plures Imperatorum oſtentantes capita. Qui ante Sept. Severum ſignatus fuerit, nullus Vaillantio cognitus, nec mihi, præterquam Agrippinæ Claudii, quem recenſet Panelius, *o*) & hic Commodi, qui meum muſeum ornat, & nunc primo lucem videt. TABVLA II. N. 2.

Vitruvius Halicarnaſſi formam accurate deſcribit, pluriumque deorum templa commemorat, Martis, Veneris, & Mercurii. Quod præſente numo cernitur, conſecratum videtur urbis Fortunæ, ſeu Bono Genio, cujus ſimulacrum cives fano donaverint. Similiter Nicæenſium in Bithynia monetæ templum hexaſtylon, ſed vacuum referunt, quod eorum Bonæ Fortunæ, ſeu Genio dedicatum docet inſcriptio ΤΥΧΗ ΑΓΑΘΗ ΝΙΚΑΙΕΩΝ. *p*) Porro ΕΦΕCΙΩΝ ΤΥΧΗ, ut ΑΛΙΚΑΡΝΑCCΕΩΝ, ſuper aram libat in numo Gallieni. *q*)

F 3 STRA-

o) Mem. de Trevoux. Oct. 1737. p. 1823. *p*) Frœlich. quat. Tent. p. 265. *q*) Beger. Theſ. Brand. T. II. p. 72.

TABVLA II.

STRATONICEA.

N. 3. ..KAI. Λ. CΕ. CΕΟΥΗΡΟC... Adverſa capita Sept. Severi & Juliæ Domnæ: in area duæ notæ incuſæ, quarum una galeatum caput, altera continet literas ΘΕΟ-)(ΕΠΙΜΕΛΗΤΙ..ΡΙCΤΕΑ. CΤΡΑΤΟΝΙΚΕΩΝ: *Templi curam habente Ariſteæ Stratonicenſium.* Diana polymammia duobus fulcita verubus inter duos cervos eam reſpicientes: in area ſol & luna. AER. Max. Mod.

Præſtans maximæ molis numisma, in paucis mihi carum. Averſæ partis inſcriptio Epimeleten nominat, genus magiſtratus, cujus præter Antiochiam Cariæ nulla urbium in hanc diem meminit. Quod proprium ejus munus fuerit, Ariſtoteles accurate docet. Juvat ejus verba recitare: *αλλο δ' ειδος επιμελειας ἡ περι τους θεους· οἱον ἱερεις τε και επιμεληται των περι τα ἱερα· του σωζεσθαι τα ὑπαρχοντα, και ανορθουσθαι τα πιπτοντα των οικοδομηματων, και των αλλων ὁσα τετακται προς τους θεους·* „Alia ſpecies adminiſtrationis eſt circa rem „divinam; ceu ſacerdotes & curatores circa templa, „ut conſerventur, quæ ſunt, & erigantur ruinoſa æ„dificia, & cetera omnia, quæ pertinent ad divinum „cultum.„ *r*) Hunc inſignem locum nec Vaillantius noviſſe

r) Polit. L. VI. C. VIII.

viſſe videtur, nec Pellerinius, qui Epimeletes ad prædictæ Antiochiæ numos meminerunt, *s*) novit autem doctus Pacciaudius. *t*) Itaque Ariſteas in noſtro numo laudatus curam geſſit conſervandi reficiendique templi, quod habuit Stratoniceæ Diana Epheſia. Ariſtearum quidem familia & nomen nobile fuerit in ea urbe. Pauſaniæ memoratur Στρατωνικευς Αριστεας inter victores, qui in ludis olympicis Elide celebratis coronati ſunt poſt Stratonem Alexandrinum, cujus victoriam Pauſanias adfigit Olympiadi CLXXVIII. *u*) TABVLA II. N. 3.

Dubitari poſſit, an non potius Dianæ Leucophrynes imago ſit hoc numo expreſſa, quæ parum abludit a ſimulacro Dianæ Epheſiæ, ut probant numi Magneſiæ ad Mæandrum, qua in urbe præcipuus ejus cultus ac illuſtre templum fuit. Verum quemadmodum cervi in pecunia Epheſi Dianam Epheſiam plerumque reſpiciunt: ita Leucophrynen fere comitantur aut duæ volucres, aut duo fluvii procumbentes, cervi nunquam, niſi in uno Elagabali numo apud Vaillantium, *x*) tameſi nihil vetet, quo minus etiam in eo Dianam Epheſiam exhiberi putemus. Cur enim Magnetes, Epheſiis proximi, præter ſuam Leucophrynen non

s) Prior Imp. Gr. p. 324. alter Mel. T. II. p. 354. *t*) Mon. Pelopon. P. I. p. 184. *u*) in Eliac. p. 432. *x*) Imp. Gr. p. 128.

TABVLA II. N. 3. non etiam coluerint Dianam Epheſiam, *Populorum omnium numen*, ut Melæ vocatur? Equidem quod attinet noſtram Stratonicenſium monetam, cervis ducibus Dianam Epheſiam ſequor tanto lubentius, quod ad ejus caput hic aſtrum ſolis, illic lunæ ſæpe ſæpius lucere videam, quorum locum in ære Magneſiæ duæ Victoriæ occupant circum Leucophrynes caput volitantes.

De Stratonicea, rebusque ad ejus hiſtoriam & varia nomina ſpectantibus multa congeſſerunt Khellius, *y*) Pellerinius *z*) Eckhelius. *a*) Nunc ignobile oppidum eſt, & vocatur Eski-Hiſsar.

RHODVS INS.

N. 4. Caput Bacchi.)(ΡΟΔΙΩΝ. Roſa. AER. III.

* * *

N. 5. Balauſtium.)(Idem flos. Epigraphe nulla vel detrita. AER. III.

Prio-

y) Adp. I. ad Geſs. p. 76. *z*) Mel. T. I. p. 12. *a*) Num. vet. p. 210.

Prioris numi juvenile caput Bacchi videtur, cujus templum Rhodi multis donariis ornatum perhibent Strabo & Lucianus. Uva Rhodia & Hipponia, vinumque Rhodium, Aulites dictum, Plinio & Athenæo laudata. TABVLA II. N. 5.

Poſteriorem numum, cujus nulla adparet inſcriptio, Rhodus κατ' ἐξοχὴν ſibi vendicat; neque tamen ſola eſt, quæ Balauſtium in ære ſuo adoptaverit. Eodem flore delectata & Rhoda Hiſpaniæ, *b*) & Rhoda ſeu Rhodanuſia Galliæ. *c*) Hanc Rhodii, illam aut iidem, aut eorum ſoboles Græci Emporienſes condidere, ex quo, ut fieri amat, typorum conformitas. Et Cythno Ægæi maris placuit hic flos comprobante numo Pembrochiano, *d*) cujus inſcriptio KΥΘΝ.

L Y C I A.

A P O L L O N I A.

ΠΟ. CΕΠ. ΓΕΤΑC. K. Getæ nudum caput.)(AΠOΛΛΩNIATΩN. AT. Fortuna ſtans d. temonem, s. cornucopiæ. AER. II. N. 6.

Ly-

b) Pellerin. Rec. de Méd. T. I. pl. II. n. 21. *c*) l. c. pl. IV. n. 28.
d) T. I. P. 2. Tab. 16.

TABVLA II. N. 6.

Lycia & quæ in ea ſitæ ſunt urbes, ſolent primam nominis ſyllabam in pecunia ſua innuere. Sic ΚΡ vel ΚΡΑΓ. ΜΑ vel ΜΑΣ inſcriptum Cragi & Maſſycitis numis. *e*) Magis etiam ad rem Maſſycitis numus ab Eckhelio proditus, *f*) cujus una parte legitur ΜΑ, altera ΛΥ. ubi tam urbis, quam provinciæ nomen initiali ſyllaba conceptum vides. Conſequenter ad hunc Lyciorum morem præſtat *το* ΛΥ, quod in præſente numo ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ nomen ſequitur, interpretari ΛΥ*κιων*, quam ΛΥ*δων*, ut forte nonnemini videri poſſit; & ne quod interpretationis hujus dubium ſuperſit, ſatis erit Antonini Pii & Gallieni citare numos a Vaillantio deſcriptos, *g*) quorum integra circumſcriptio: ΑΠΟΛΛΩΝΙΑΤΩΝ ΛΥΚΙΩΝ. Hi duo & noſter ſoli ſunt, qui Apolloniatarum in Lycia uſque modo prodierint. Apud Stephanum Byz. inter XXV. Apollonias noſtra occurrit vigeſimo primo loco, diciturque *νησος προς τῃ λυκιᾳ*, *inſula prope Lyciam*, ni forte *νησος*, ut frequenter alias apud hunc & alios auctores, eo loco potius peninſulam ſignificet.

CILI-

e) Pellerin. Rec. de Méd. T. II. pl. LXIX. n. 2. 3. 4. 5. *f*) Cat. Muſ. Cæſ. p. 182. *g*) Imp. Gr. p. 41 & 180. Poſterior in indice omiſſus.

C I L I C I A.

TABVLA II.

C O R Y C V S.

ΑΥ. Κ. Μ. ΑΥΡ. CΕΥΗΡ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC. Sev. Alexandri protome)(ΚΩΡΥΚΙΩΤΩΝ. ΑΥΤΟΝΟΜΩΝ. Genius urbis muliebri habitu ſtans d. tenet acroſtolium, s. haſtam puram: ad pedes prora navis. AER. I. N. 7.

Plinius: „juxta mare Corycos, eodem nomine „ oppidum & portus „ imo ΝΑΥΑΡΧΙΣ teſtibus numis. Proinde merito Corycius noſtri numi genius apluſtri gloriatur & navi, quibus ſignis indicari urbem maritimam liquet. Pellerinius antiquiorem Macrino monetam non noverat, *h*) cui Corycus ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ *ſuis legibus utens* laudaretur. Inter Arigonianas *i*) una exſtat Caracallæ, cujus averſa legitur ΚΩΡΥ. ΝΑΥΑΡ. ΑΥΤΟΝΟ.

N A G I D V S.

Juppiter Tarſenſis ſtans d. cantharum, s. haſtam puram: per aream nota incuſa bovis, & monogramma. N. 8.

G 2

h) Mel. de Méd. T. II. p. 261. *i*) T. I. Tab. IX. n. 140.

Tabvla II. N. 8. ma.)(Venus ſedens d. pateram tenet, ſiniſtro cubitu innititur Cupidini retro ſtanti. aer. ii.

In Pamphyliæ & Ciliciæ civitatum argentea pecunia, nominatim Aſpendi, Malli, Tarſi, Sidetis, haud raro bos incuſus cernitur. Idem adeſt præſentis numi areæ impreſſus. Igitur bove magiſtro facile cognovi terrarum tractum, ubi æreus noſter domeſticus. Major, nec tamen vanus labor erat in eruenda ejus tractus urbe, quæ hunc numum ſignaverit ob defectum epigraphes. Inquirenti primum occurrebat muſei Pembrochiani Argenteus, qui incuſo quidem bove deſtitutus, ſed in ceteris non multum diverſus inſcribitur .. ΓΙΔΙΚΟΝ. *l*) Cogitante me, qua ratione mutilum urbis nomen illud ſuppleri deberet, faventibus Muſis contigit, ut alter argenteus Pembrochiano ſimilis in lucem prodiret, in hoc præſtantior, quod plenam fateretur inſcriptionem ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ. Eum ante paucos annos e muſeo Ill. Braunii Norimbergenſis Eckhelius edidit, *m*) laudavitque unicum alterius Pembrochiani immemor. Ejus judicio *το* ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ urbis *κτητικον* eſt, ſeu ut Grammatici loquuntur, *poſſeſſivum* ductum a Nagido, quemadmodum ΘΕΣΠΙΚΟΝ in numis The-

l) P. 2. T. 22. *m*) Num. vet. p. 233. T. XIV. n. 1.

Theſpiarum, ΦΕΝΙΚΟΝ Phenei, ΤΕΡΣΙΚΟΝ Terſi ſeu Tarſi; cumque duæ fuiſſent ejus nominis urbes, Ciliciæ & Cypri, maluit ultimam ob Veneris & Bacchi Indici, uti putavit, præſentiam. Equidem ut Viro docto facile ſubſcribo, quod attinet urbis nomen: ſic diſſentio de patria, & Baccho prætenſo. Dicamus pauca de utroque argumento, atque ut par eſt, ordiamur a Diis. TABVLA II. N. 8.

In citatis Pembrochii & Braunii numis vir barbatus tenet botrum, cantharum in meo. Eckhelius, ut diximus, agnovit Bacchum Indicum. Mihi præplacet Tarſenſis Juppiter in Cilicia, terrisque finitimis cultus. Exſtant complura tetradrachma, probabiliter Tarſi vel Malli Ciliciæ, in eo quidem tractu certiſſime cuſa, quæ hic plerumque leonem tauro infeſtum exhibent, illic eundem deum conſidentem, una manu ſceptrum ſuperne in florem deſinens, altera botrum, ut in numis controverſis tenentem: adſcriptæ ſunt literæ Phœniciæ, quas Svvintonus, *n*) Dutenſius, *o*) aliique uno ore interpretantur *Baal-Tarz*, ſeu *Baal-Tars*, id eſt, *Juppiter Tarſenſis*. Hæc etiam ſi abeſſet inſcriptio, aut data falleret interpretatio, tamen

 alia

n) Trans. Philoſoph. T. LVII. P. II. p. 266. ſqq. *o*) Expl. de Méd. Gr. & Phen. p. 25 & 126.

TABVLA II. N. 8. alia ſimillima tetradrachma Pembrochii, *p*) Dutenſii, *q*) & Muſei Cæſarei, *r*) in quibus deus ſedens ſimul aquilam præter botrum & ſpicam ſuſtinet, pro Jove manifeſte facerent. Quid enim aquilæ cum Baccho? Quod ſi requiris, quid Jovi cum botro? facilis eſt reſponſio. Nimirum Juppiter Cilicius ſpicam & botrum (hujus loco in meo cantharus eſt) oſtentat indicaturus ejus tractus, cujus numen tutelare fuit, & vini generoſi & lætæ ſegetis uberem proventum. Simili ratione Hercules, Smyrnenſium ſervator, in eorum ære cantharum porrigit, nempe ut vinum Pramnium, Smyrnenſis agri gloriam, palam omnibus prædicet. Itaque tam inſcriptio quam attributa, potiſſimum aquila, quin ipſa oris majeſtas, totiusque corporis dignitas ſumma deum hominumque parentem aperte loquuntur.

Altera parte Venerem & ego veneror. In Pembrochiano & Brauniano tetradrachmis Cupido advolans ſertum imponit ejus deæ capiti; id quod Horatii locum in memoriam mihi revocat:

Sive tu malis, Erycina ridens,
Quam Jocus circumvolat & Cupido.

At

p) P. 2. T. 87. n. 9 *q*) l. c. Diſſ. II pl. I. n. 3 & 4. *r*) P. I. Tab. V. n. 6.

At noſtri numi Cupido viliore munere fungitur. Quippe retro ſtanti Venus innititur ſiniſtro cubitu, more aliorum deorum & principum, qui geniis vel ſervis adſtantibus quandoque incumbunt. Sic Bacchus in numo Nicææ Bithyniæ *s*) ſub vite ſtans quieſcentis habitu dextram attollit ad caput, ſiniſtro cubitu nititur genio ſuo alato, Sileni filiolo, quem Ampelum vocant. TABVLA II. N. 8.

Cum diis finitum negotium foret, niſi ulterior eorum ratio haberi oporteret ſpectata numorum patria, de qua nunc dicemus. E duabus Nagidis, altera Ciliciæ, Cypri altera, hæc potior viſa Eckhelio propter Bacchum & Venerem, quorum certas imagines in copioſa, quæ ſupereſt, Cilicum moneta negat ſe vidiſſe. Petitum a Baccho, cui paulo ante valediximus, quanti valeat criterium, ſcimus modo. Veneris aliquanto major auctoritas, nec tamen firma. Fuiſſe Cypriis cultam, id utique nemo ignorat. At neque apud Pamphylios & Cilices ejus neglecta religio. Aſpendi in Pamphylia porcorum placabatur victi-

s) Frœlichius Quat. Tent. p. 262. & poſt eum Eckhelius C. M. C. P. I. p. 148 hunc numum non bene deſcripſerunt. Porro Bacchi genius non ſubſilit, ſed conſiſtit pedibus decuſſatis, quo habitu notari quieſcentes, norunt Eruditi.

Tabula II. N. 8. victimis, ut auctor eſt Dionyſius, *t*) & in argenteis majoris formæ numis, ſi non Tarſi, certe in vicinia procuſis, cujusmodi Fulvius Urſinus, Haymius, aliique invito Hannibali tribuerunt, alterius partis feminea protome cernitur capillis eleganter comptis ornatoque monilibus collo, quæ ſi Veneris non eſt, haud ſcio, cujus deæ ſit. Quodſi certam ejus imaginem in Cilicum pecunia requiris, invenies apud Leblondium *u*) in æreo numo urbis Malli phallis onuſtam, quibus æque in Demetrii II. Syriæ regis eximio tetradrachmo circumdatur apud Haymium & Frœlichium. Hac de cauſſa neque Venus, ut vides, certa vades Cypri. Quid igitur? Præferenda ne Cilicia? Nihil dubito. Cur enim Cyprum Ciliciæ præferas? Venus hic & illic culta. Contra vero Juppiter Tarſenſis ingens Ciliciæ argumentum eſt, ut nihil dicam de bove, quem nulli indubiæ Cypri monetæ, pluribus vero Ciliciæ & Pamphyliæ incuſum vidi. Quis contra bovem & Jovem ſtare auſit?

Subjiciamus pauca, quæ noſtrum numum ſolum & ſpeciatim contingunt. Ut aliis in rebus, ſic differt metallo ab iis, quos Pembrochii & Braunii ſupra citavi-

t) Perieg v. 853. *u*) Diſſ. ſur les attrib. de Venus p. 7.

tavimus. Porro argentei, ni fallor, ſunt ceteri om- TABVLA II.
nes hactenus detecti, qui per varias Pamphyliæ & Ci-
liciæ urbes procuſi bovis notam impreſſam habent. No- N. 8.
ſter æris flavi eſt, nec fuiſſe unquam argentea obdu-
ctus pellicula videtur, cujus nec minimum indicium
adparet. Ætatem quod attinet, inter antiquiſſimos
habeo, quandoquidem figuræ par aream plurimum
eminentes, totiusque operis auſtera ſimplicitas multam
vetuſtatem redolent. Nomen urbis ſi quando expreſ-
ſum fuit, totum ævo ceſſit. Monogramma ſupereſt,
quod literis AN vel NA conſtat. Initiale Nagidi ne
quis exiſtimet, vetat Braunii numus, in quo aliud mo-
nogramma occurrit compoſitum literis HP, unde potius
magiſtratuum notæ videntur. Sed ſatis de numo in
paucis mihi caro.

ELAEVSA INS.

Caput muliebre velatum)(ΕΛΑΙΟΥΣΙΩΝ. Apis: N. 9.
infra monogramma. AER. III.

Forma, metalli genere, ſignis utrinque ſignatis,
partibus omnibus diſſimillimus eſt hic numus iis, quos
liquido jure ſibi vendicat Elæuſa, Ciliciæ inſula parva
quidem, celebris tamen, Archelao Cappadociæ regi

Tabula II. N. 9. in deliciis, & ab eodem in honorem Auguſti poſtea *Sebaſte* vocata. Tantum diſcriminis inter meam aliasque prædictæ Elæuſæ monetas aliquamdiu me dubium animique incertum tenuit. Et revera cœpi alias adfinis nominis inſulas per varia maria quærere; nec reperi tamen, ubi tutius conſiſterem. Non placuere duæ Eleuſæ, una ad ſinum Saronicum Spiræo promontorio objacens, quam Strabo *x*) & Plinius *y*) referunt: altera Cariæ ambitu VIII. ſtadiorum, Rhodo diſtans CXX ſtadiis, cujus meminit Strabo. *z*) Utramque eadem difficultas premit, orthographia nominis, quæ cum numo noſtro non conſentit. Potior ſpectato nomine viſa Elæuſſa juxta Smyrnam, a qua nec apis abhorret, frequens in numis Epheſi & Smyrnæ, cui Elæuſſa vicina auctore Plinio. *a*) Verum ejus inſulæ, ni fallor, nemo alius præter Plinium meminit. Quapropter obſcuro tenuiſque fortunæ loco nolim ſummi artificii & miræ pulchritudinis numum adjudicare. Quodſi Harduini firma eſt ſententia, ea Elæuſſa quodammodo prorſus evaneſcit. Eandem quippe exiſtimat, *b*) quam Livius Elæam vocat, Æolidis notam urbem, regumque Pergamenorum navale, cujus numi inſcripti ΕΛΑΙ. & ΕΛΑΙΤΩΝ. Alia cum non occurreret hujus nomi-

x) L. IX. P. I. p. 610. *y*) L. IV. C. XIX. *z*) L. XIV. p. 963 & 964.
a) L. V. C. XXXVIII. *b*) in not. ad l. c. Plinii.

nominis inſula, placuit repetere Elæuſam Ciliciæ, gravioribus pro ea, quam contra eam pugnantibus momentis. Concordat ratio nominis inter hunc noſtrum ceterosque ejus inſulæ numos, in quibus ΕΛΑΙΟΥΣΙΩΝ, interdum & ΕΛΑΙΟΥΣΣΙΩΝ legitur, *c*) conſpirantibus Strabone & Stephano Byz. qui ελαιȣσσαν ſcribunt, tametſi Strabo, ſui velut oblitus, tertio loco ελεȣσαν adpellat, *d*) qua orthographia uſi quoque Plinius, Oppianus, Joſephus Flavius, ac Etymologus reclamantibus numis. Nec parum præſidii a ſymbolis utriusque partis. Velatum & ſucculentum caput videtur Cereris, apte ad Strabonis auctoritatem, qui eam inſulam ευκαρπον *fertilem* commendat. *e*) Apis altera parte volans plerumque mellis copiam aut præſtantiam adumbrat. Enimvero & copia mellis, *f*) & præſtantia maxima *g*) in Cypro, quam inſulam Elæuſæ noſtræ proximam omnes norunt. Vicinis terris fere eadem indoles, idem ſoli ingenium. Itaque pronum eſt arguere, etiam Elæuſæ fœcundos campos & colles talibus luxuriaſſe herbis floribusque, quibus apes delectari ſolent. Et ne quid omittam, quod pro re noſtra eſſe poſſit, in aliis Elæuſiorum monetis indubiis varia pariter occurrunt monogrammata, cujusmodi

TABVLA II. N. 9.

H 2 unum

c) Pellerin. Rec. de Méd T. III. pl. XCI. n. 4 & 6. *d*) L. XIV. p. 987. *e*) L. XII. p. 811. *f*) L. XI. C. XIV. *g*) Syneſ. epiſt. 147.

TABVLA II. N. 9. unum conſpicitur ſubtus apem ad oram noſtri numi. Inſcriptio tamen, quæ in hoc βυςροφηδον eſt, in aliis ejus inſulæ nondum viſa, quæ res novam ei gratiam addit.

LYDIA.

CILBIANI SVPERIORES.

ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ. Caput Domnæ ad s.)(ΚΙΛΒΙΑΝΩΝ. ΤΩΝ. ΑΝΩ. intra coronam. AER. III.

Apud Vaillantium & quos conſului ceteros, fruſtra hunc numum quæſivi. De Cilbianis eorumque numis egregie, ut ſolet, diſſerit Pellerinius Melange de Médailles T. II. p. 296. & ſqq.

PHILADELPHIA.

N. 10. ΑΥΤΟΚΡΑΤΩΡ. ΚΑΙϹΑΡ. ΔΟΜΙΤΙΑΝΟϹ. Domitiani laureatum caput.)(...ΟΥΑΡΧΙΙΡΙΕΡΕΩ.. in area ΦΙΛΑΔΕΛΦΩΝ. (ſic) Rhea turrita inter duos leones ſedens, d. pateram, s. tympanum: in area cervus. AER. III.

ΦΙΛΑ-

ΦΙΛΑΔΕΛΦΩΝ pro ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ vitioſum. Alius error in alio eorum numo inſcripto ΦΙΑΔΕΛΦΕΩΝ, cujus ectypon dedit Eckhelius. *h*) Etiam Nacraſa, & ipſa urbs Lydiæ, ΝΑΚΡΑCΙΩΝ loco ΝΑΚΡΑCΙΤΩΝ Fauſtinæ Junioris monetæ inſcripſit; *i*) ut adeo in urbium nominibus ſatis magna peccandi conſuetudo fuerit monetariis Lydiæ. Reliquæ circumſcriptionis deficit initium & finis, medium laborat. Si conjectare fas eſt, literas ΟΥ magiſtratus poſtremam ſyllabam habeo, & quæ ſequuntur, ſic interpungo: ΑΡΧ. ΠΡ. ΙΕΡΕΩΣ... id eſt: *Archonte primo, Sacerdote*... ιερευς nondum lectus in numis Philadelphenſium, bene vero ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ (Pontifex) in autonomo apud Haymium, *l*) & Pellerinium. *m*) Archontes paſſim nominantur in eorum pecunia, & Pellerinius Trajani numum poſſedit cum epigraphe circa Jovem ſtantem: Ε. ΤΡΕΒ. ΝΙΓΡΟΥ. ΑΡ. ΠΡ. Β. ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ. cujus interpretatio: *Sub Treboniano Nigro Archonte primo ſecunda vice Philadelphenſium, n*) ubi vides recurrere ΑΡ. ΠΡ. cujus loco in noſtro ΑΡΧ. ΠΡ.

TABVLA II. N. 10.

Ad Rheam ſedentem occurrit tempeſtive locus Luciani, qui de Syria dea Hierapoli culta dicit: „Mul-

H 3 „taque

h) Cat. Muſ. Cæſ. T. IV. n. 5. *i*) Mel. T. II. p. 96. *l*) Theſ. Brit. P. II. p. 179. *m*) Rec. de Méd. pl. LXIV. n. 76. *n*) Mel. de Méd. T. II. p. 59.

TABVLA II. N. 10. „ taque adſunt ſigna deæ, quæ Rheam inſinuent. Leo„ nes enim ipſam ferunt, habetque tympanum, & ſu„ per capite turrim geſtat, qualem Rheam Lydi fin„ gunt.„ Ea itaque Lydis fingendæ Rheæ ſolemnis fuit & peculiaris ratio, quamvis ab aliis etiam populis ſimili modo repræſentata fuerit. Cervus prope deam conſiſtens in autonomo ΦΙΛΑΔΕΛΦΕΩΝ numo Pellerinianο ſolus averſam partem occupat. *o*)

Philadelphia, nunc Ala-Schahir, civitas ſat ampla eſt, ac ſedes Græci epiſcopi. Incolarum hodiernorum urbanitatem laudat Chandlerus; veterum Lydorum ingenium elegantibus verſibus depingit Dionyſius in Periegeſi.

P H R Y G I A.

A C M O N I A.

N. 11. ..ΓΕΒΑCΤ.. Caput Neronis laureatum: retro caduceus.)(...Υ ΚΑΠΙΤϘΝΟC ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑC... in area hic ΕΠΙ ΧΡ. illic ΑΚΜΟΝΕϘΝ. Juppiter ſedens d. pateram, s. haſtam puram, ad pedes aquila. AER. III.

Duos

o) Rec. de Méd. T. II. pl. LXIV. n. 70.

Tabvla II. N. ii.

Duos parietes una, ut ajunt, fidelia dealbabo. Etenim hujus ſimul & alterius ab Haymio *p*) producti numi epigraphen, propitiis Muſis, reſtituam ac interpretabor. Quo loco nomen urbis in noſtra moneta legitur, Haymius in ſua vidit ΕΙΧΡϮΓ. Has literas ita disjungit: ΕΙΧΑΡΤΩΓ, atque aliis Eruditis explicandas relinquit. In area noſtri numi conſpiciuntur colligatæ literæ ΕΠ. ΧΡ. nec dubium, quin apud Haymium quoque ſcalptum fuerit non ΕΙ ſed ΕΠ, ſuperiore lineola, quæ binas literas nectit, per ætatem nimirum detrita. Qua igitur ratione prædictæ ſiglæ ſolvendæ ſunt? Meo judicio hunc in modum: τὸ ΕΠ lego ΕΠ, & ΧΡ, non ut Haymius, ΧΑΡ, ſed ΑΡΧ; quod ſubſequitur ϮΓ non ΤΩΓ, ſed ΤΟΓ. Ita ænigma ſolutum. Jam enim tenemus initium epigraphes: ΕΠ. ΑΡΧ. ΤΟ. Γ. cui ſi addideris, quæ numi oram circumdat, integram habebis ſequentem: ΕΠΙ. ΑΡΧοντος. ΤΟ Γ. ΣΕΡΟΥΗΝΙΟΥ. ΚΑΠΙΤΩΝΟΣ. ΚΑΙ. ΙΟΥΛΙΑΣ. ΣΕΟΥΗΡΑΣ. *ſub Archonte tertium Servenio Capitone & Julia ſevera.* Et ſunt Archontum nomina frequentiſſima in numis Acmonenſium. Negotium faceſſere nequaquam debet ejusdem populi numus alius ab Arigonio productus, *q*) cujus areæ loco ΕΠ ΧΡ inſcriptum ΕΠ ΣΕ. Quid

p) P. II. T. XXXVIII. n. II. *q*) P. I. Tab. I. n. 10.

Tabvla II. N. 11. Quid enim vetat, quo minus literas ΣΕ initiales habeamus ΣΕϱουηνιϰ? Id nomen miſere vexatum ab Eruditis. Vaillantius & Spanhemius legerunt ΣΕΡΟΤΙΝΙΟΥ, Patinus ΣΕΡΟΤΕΝΟΥ, iterumque ΣΕΡΟΘΗΝΙΟΥ, Morellius æque ΣΕΡΟΘΗΝΙΟΥ, Harduinus ΣΕΡΟΤΙΛΙΟΥ, Holſtenius interpungit ΣΕΡ. ΟΘΗΝΙΟΥ. Majorem his omnibus meretur fidem accuratus Haymius, qui in duobus integerrimis numis citra omnem dubitationem adfirmat legi ΣΕΡΟΘΗΝΙΟΥ. Julia Severa Capitoni juncta in ære Acmoniæ digna eſt attentione noſtra. Archontibus ſociari feminas res eſt rariſſima, nec tamen inaudita. Exemplum ſuppeditant Byzantiorum in Thracia numi, de quibus lege præclare diſſerentem Pellerinium, *r*) ac ut domeſtico utar argumento, non ſolum Acmoniæ, verum etiam in aliis Phrygiæ civitatibus magiſtratus Eponymi, imo Neocoratus honore gaudebant feminæ, teſte numo Eucarpiæ, cujus averſa legitur: ΕΠΙ. ΝΕ. ΠΕΔΙΑC. CΕΚΟΥΝΔΗC. *s*)

Anticæ partis inſcriptio ſupplenda videtur: ΝΕΡΩΝΑ CΕΒΑCΤΟΝ: ſubaudi, colunt Acmonenſes. Iſtud porro ſingulare, literam Ω præſente numo conſtanter formari uti koph, nempe ϙ. Hujus figuræ nondum obſer-

r) Mel. de Méd. T. I. p. 58. ſqq. *s*) Eckhel Num. vet. p. 248.

obſervata in ullo monumento vetere, deficitque in græcis variæ ætatis alphabetis, quæ Viri de republica literaria optime meriti Congregationis S. Mauri Pariſiis ex omni monumentorum genere ſummo ſtudio compoſuere in opere, cui titulus: Nouveau Traité de Diplomatique. TABVLA II. N. 11.

APAMEA.

ΑΠΑ. ΣΩΚΡΑΤΟΥ. Vannus acroſtolio inſignis inter duos anques, quorum ſpiris inſertæ duæ tædæ.)(Ciſta ſemiaperta, e qua ſerpens proſilit, intra ſertum compoſitum hedera & corymbis. ARG. I.

Prytanis Socratis nomen novum in Apameæ Phrygiæ ciſtophoris. De eo pecuniæ genere dictum ſupra ad urbem Epheſum.

DIONYSOPOLIS.

Caput Bacchi pampinis ornatum: ad humeros thyrſus prominet fere exeſus.)(ΔΙΟΝΥΣ.. ΜΕΝΕΚ. Bacchus muliebri habitu ſtans d. tenet uvam, s. thyrſum: ad pedes panthera. AER. II. N. 12.

TABVLA II. N. 12. Dionyſopolis & Eumenia duæ Phrygiæ urbes. Prior opus Attali & Eumenis, qui ſimulacrum Dionyſii circa illa loca invenere, *t*) quæ ratio & nominis, & Bacchi ſignati: alteri nomen dedit Attalus in honorem Eumenis Philadelphi. Etiam huic Bacchus in ære placuit, & quod amplius, idem magiſtratus ΜΕΝΕΚΡΑΤης. *u*) Ex his patet, præſentem numum indubitato eſſe Dionyſopolis Phrygiæ, non Thraciæ, in qua ejusdem nominis urbs fuit. Panelius ſimilem deſcribit, *x*) ſed magiſtratu deſtitutum, cujus nomen vel maxime facit pro Phrygia.

SYNNADA.

N. 13. CΥΝΝΑΔ.... Caput juvenile tænia revinctum.)(ΔΗΜΟC ΡΩΜΑΙΩΝ. Figura togata ſtans d. pateram tenet. AER. II.

Priore parte effigiatur CΥΝΝΑΔΕΩΝ ΔΗΜΟC, quam poſtremam vocem ærugo comedit. Alterius partis togatam figuram explicat adjecta inſcriptio: ΔΗΜΟC ΡΩΜΑΙΩΝ. *Populus Romanus.* Memorabiles literæ ob im-

t) Steph. Byz. in voce ΔΙΟΝΥΣΟΠΟΛΙΣ. *u*) Pellerin Rec. de Méd. T. II. pl. XLIV. n. 39. *x*) Diff. de Ciſt. p. 39. iterumque Mem. de Trev. Oct. 1737. p. 1794.

imparem magnitudinem, quæ formæ inæqualitas obſervatur etiam in numo MAIONION Lydiæ apud Pellerinium. *y*) TABVLA II. N. 13.

Straboni Synnada vocantur πολις ȣ μεγαλη, *urbs non magna.* Tamen Plinius eo conventum collocat; qui quidem conventus non niſi in celebrioribus Aſiæ civitatibus ſtabiliti fuerunt. Verum ſæpius Strabo, neſcio quo pacto, quave de cauſſa, primi ordinis urbes parum digne memorat. Sic Ancyram Tectoſagum urbem clariſſimam, totius Galatiæ metropolim adpellat φρȣριον, *Caſtellum.* Sed jam ad ipſam eam urbem properare juvat.

GALATIA.

SEBASTE. ANCYRA.

N. 14.

KOINON... Supple ΓΑΛΑΤΩΝ. Dei Menſis caput pileo Phrygio laureato tectum ſupra lunam bicornem.)(CΕΒΑCΤΗΝΩΝ literis fugientibus. Templum ſex columnarum. AER. III.

I 2 MHN

y) Rec. de Méd. T. II. pl. LXII. n. 33.

Tabula II. N. 14. μην ſeu Menſis, cujus protomen adverſa parte intuemur, in ſimili numo apud Pellerinium z) aut nunquam habuit, aut perdidit per injurias temporum ſuam Phrygiam mitram: ſervavit integram in noſtro numo, quamvis ceteroquin multum attrito; unde viſum eſt accuratum ejus ectypon reſtituere.

Fuit Ancyra Galatiæ ab Auguſto plurimis ampliſſimisque ornata monumentis, adeo ut ejus κτιστης haberetur, cujus rei præter auctores illuſtre teſtimonium reddit decantatum marmor Ancyranum. Grata urbs in ejus honorem *Sebaſten* ſe vocavit, ac templum exſtruxit univerſa Galatia ſuppeditante ſumtus, ut inſcriptio ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ indicat. Pellerinius qui hoc ante me obſervavit, addidit, eum numum ſolum eſſe autonomum, qui Sebaſtes nomen fateatur. Sed primas occupavit Auctor muſei Theupoli, *a*) qui æreum tertiæ formæ ita deſcribit: „Caput muliebre cum pileo Phrygio in Luna bicorni.)(ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ „ ΙΕΚΟΣΑΤΩΝ. Sebaſtenorum ... in area..„ Patet antica parte Menſis effigiem juvenilem (non muliebrem) ſpectari, ac poſtica legi oportere ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ, nam Tectoſagum Sebaſte ſeu Ancyra urbs prin-

z) Rec. de Méd. T. II. pl. XXXIX. n. 10. *a*) P. II. p. 1293.

princeps fuit. Sebaſtes nomen mox neglectum, rurſumque primum Ancyræ receptum. Videamus & hoc ſub nomine anecdotum ejus urbis numum. TABVLA II. N. 14.

*
* *

ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ ΑΥΓΟΥϹΤΟϹ. Caput Caracallæ laureatum)(ΜΗΤΡΟΠΟΛΕ. ΑΝΚΥΡΑϹ. literis ΜΗ & ΝΚ colligatis. Urna ludorum, cui inſcriptum ΑΓΩΝ. infra ΙϹΘ. ΠΥΘΙΑ. AER. II. N. 15.

Unus Ancyranus, qui urnæ inſcribit ΑΓΩΝ. Accedit, quod alii hujuscemodi numi præter certamina ΙϹΘμια ΠΥΘΙΑ memorare ſoleant ΑΣΚΛΗΠΙΑ ΣΩΤΗΡΙΑ, celebrata Ancyræ in honorem Æſculapii Servatoris pro ſalute ac incolumitate Caracallæ. In his ludis ceterisque rebus Ancyranis nolo eſſe multus; quid quid enim ad ejus urbis hiſtoriam, monumenta & ludos pertinet, accurate fuſeque proſecuti ſunt viri ſummi Spanhemius *b*) & Belleius. *c*) Univerſim autem de Galatiæ hiſtoria præclare meritus eſt Cl. Wernsdorfius, auctor operis de Republica Galatarum.

b) Epiſt. I. ad Morel, *c*) Mem. des Inſcr. T. XXXVII. p. 391. ſqq.

TABVLA II. N. 15. Metropolis Ancyræ nomen ſcriptum connexis literis MH & NK, ut ectypon intuenti patebit. Sigma vero in hoc & Synnados paulo ante propoſito numo una parte C, altera Ϲ formatur, quemadmodum C & Σ promiſcue uſurpatur in numo, quem Pellerinius Nicææ Bithyniæ putat. *d*) Quam vellem, qui de literarum varia forma & ætate canones edidere, accuratius conſuluiſſent numos! Minus temere me Hercle! ſtatuiſſent, & rarius peccaſſent. Quædam ad hoc argumentum ſpectantia monuimus non uno loco prioris partis, potiſſimum p. 127 & 221. ubi prolatis exemplis adſertum, non ſolum iisdem in numis, verum etiam iisdem in vocabulis variare literarum figuras, ſpeciatim literæ Σ, ut in numo ΣΥΡΑΚΟCΙΩΝ, & Aphrodiſiadis in Caria, cujus antica legitur CΟΑΙΜΙΑC.

S Y R I A.

C H A L C I S.

TABVLA III. N. 1. ... ΟΝΙΝΟC. Caput L. Veri nudum.)(ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. ΗΡΑ. Juno corona radiata tecta ſedens d. tenet pateram, s. ſceptrum. AER. II.

Chal-

d) Mel. de Méd. p. 59.

Chalciden Eubææ migrare juſſit talem numum Eckhelius. *e*) Cauſſa judicii, quod numi „Chalcide „ Syriæ ſignati inde a Veſpaſiano Flaviæ nomen præ„ figunt.„ Qua in re ſecutus Pellerinium videtur, qui idem ſentit. *f*) Huic a doctiſſimis Duumviris condito canoni facile ego quoque ſubſcriberem, ni eſſent, quæ falſum arguerent. Exſtant Chalcidis Syriæ numi ſatis copioſi Aurelii, Veri, Commodi, Sept. Severi, quorum averſa parte cernitur muliebris protome, faſtigiata corona inſignis, adjuncta circumſcriptione: ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ. Præclare iſti faciunt pro canone ſtatuto. Sed enim horum unus continetur muſeo Theupoli, qui hic Severi caput objicit, illic nudum nomen ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ neglecto ΦΛ. *g*) Solus hic numus citatum canonem evertit, ac docet, Chalcidenſes Syriæ nequaquam conſtanti lege inde a Veſpaſiano ſeſe Flavios vocitaſſe in ære publico. Atque iſtud neque ab aliis Syriæ urbibus factum, quibus a gente Flavia cognomen factum. Exemplum illuſtre ſuppeditat Samoſata, & ipſa Flavia dicta, eoque uſa nomine fere ſemper a temporibus Veſpaſiani. Nihilominus Eckhelius Catalogo Muſei Cæſarei *h*) recenſet numum Elagabali non-

TABVLA III. N. I.

e) Num. vet. p. 162. *f*) Rec. des Méd. II. p. 211. *g*) P. II. p. 936. *h*) p. 220.

Tabvla III. N. i. nonniſi CAMOCATEΩN inſcriptum, varioſque Philippi Senioris, quorum alii *το* ΦΛ. habent, alii non item, cujusmodi & Vaillantius prodidit. Itaque primo patet, Syriæ populos, quibus Flaviorum nomen adhæſit, etiam poſt Veſpaſianos modo illud jactaſſe, modo reticuiſſe in ære ſuo, adeoque criterium a Pellerinio & Eckhelio prolatum claudicare, ex quo pariter Vaillantius ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ numum ſub L. Vero cuſum Chalcidi Syriæ nullo ſcrupulo addixit: *i*) ſecundo, neque effugio locum relinqui, in prædicto Severi numo extritum fuiſſe ΦΛ. Nam præterquam, quod id temere adſereretur, & adſeri deberet æque de mox citato numo Veri, cur quod licuit Samoſatenſibus, non licuerit etiam Chalcidenſibus?

Junonem, quam cauſſæ ſuæ patronum invocat Eckhelius, & noſtræ favet. Ut nihil dicam de ejus cultu per omnem Syriam recepto, in numo Leucadis, Syriæ urbis, non ſolum ejus imago eſt, verum etiam additum nomen ΗΡΑ *l*) ut in numis controverſis. Quodſi dixeris, revera non Junonis, ſed ejus ſpecie vultum Fauſtinæ Junioris latere, uti viſum eſt Pellerinio, quid vetat, quo minus dicamus ſimiliter in noſtris numis

i) Jmp. Gr. p. 65. *l*) Pellerin Rec. des Méd. T. II. pl. LXXIX. n. 59.

mis Lucillam, Veri uxorem, Junonis habitu exhiberi, ideoque adſcribi ΗΡΑ, ne non agnoſceret intuentis oculus? Ejus ſignum quod attinet, tale depinximus, quale numus offert. Corona radiata capitis perſpicua. An autem dea biceps, qualis archetypon conſideranti adparet, an inane hoc ſit oculorum ludibrium, ſpondere non auſim, quamvis minime ignorem Junonem Patulciam, & Janum Junonium veteribus dictos, & plures deos deasque bicipites fuiſſe repræſentatos, unde dulcius quam verius de Jano cecinit Ovidius: TABVLA III. N. I.

Jane biceps anni tacite labentis origo,
Solus de Superis, qui tua terga vides.

Verum hac in parte non attinet nunc eſſe negotioſum. Nobis oſtendiſſe ſufficiat, nullum adeſſe criterium, quod noſtrum, & Eckhelianum, & talem ab Arigonio *m*) pridem vulgatum numum ſuadeat eſſe potius Chalcidis Eubœæ quam Syriæ, quæ ratio ſufficere videtur, ut illi hanc præferamus, cujus tot aliæ Imperatorum monetæ ſuperant.

GA-

m) P. IV. T. IX.

TABVLA III.

G A B A L A.

MAKPƐINON. Caput laureatum Macrini ad s.)(-ABAΛƐω... Victoria dextrorſum gradiens d. ſertum, s. ramum. AER. II.

ΓΑΒΑΛΕΩΝ Syriæ, & ΤΑΒΑΛΕΩΝ Lydiæ numi facile confunduntur, & ſunt confuſi ab Eruditis, æque ac nomina ΓΑΒΗΝΩΝ & ΤΑΒΗΝΩΝ, prono errore ex una & ſimilis quidem formæ litera orto. Hujus quidem numi artificium primo intuitu Syriam ſpirat, unde nullo ſcrupulo nomen populi, prima ac ultima litera mutilatum, lego ΓΑΒΑΛƐωΝ. Quandoque in eorum numis notatur epocha, ducta ab A. V. C. DCCVII; in hoc nulla. De Gabalis plura congeſſit Noriſius in aureo opere: De epochis Syromacedonum.

H I E R A P O L I S.

N. 2. CƐB. AT.(sic) T KAI MAP ATP CƐ· ΑΛƐ... Caput Alexandri radiatum.)(ΘƐΟΙ CΤΡΙΑC ΙƐ...ΟΛΙΤΩΝ. Templum, ſive ſacellum, cui columba inſiſtit, intra quod ſignum militare; a dextris ſedet Juppiter tutulatus cum ſceptro inter duos boves, a ſiniſtris Juno æque tutulata

lata inter duos leones d. tenens ſceptrum, s. colum: infra leo gradiens. AER. I. TABVLA III. N. 2.

Nihil non egregium in hoc numo. Conſervatio integra, certa vetuſtas, nova inſcriptio, argumentum nobiliſſimum, & ne quid ad decus deſit, argenteum alterum, qui hactenus inter incognitos ſine honore delituit, mirifice illuſtrat. Ejus interpretationem, velut e tripode, dabimus non tam noſtris, quam Luciani verbis, aut quisquis demum auctor eſt opuſculi de Dea Syria. Hic nos docebit, quinam ſint ii ΘΕΟΙ CΥΡΙΑC, quæ eorum attributa, quod templum, & cur in numo Hierapolis conſideant. Fides ejus auctoris tanto gravior, quod ipſe Aſſyrius fuerit, ac eorum quæ narrat, alia coram viderit, e ſacerdotibus alia intellexerit. Expedit e citato tractatu ea ſeligere loca, quæ in rem noſtram faciunt, cumque plura ſint & longiuſcula, omiſſo græco textu juvat uti ſolo latino. Ita vero incipit Lucianus. *n*) „Eſt „ in Syria urbs non procul ab Euphrate fluvio: vo„ catur ea Hierapolis (urbs ſancta) & eſt Sacra Ju„ noni Aſſyriæ.* Porro illud nomen non ſtatim fuit,

 „ut

* Junonem Aſſyriam vocat Græcorum opinioni conformiter. Ceterum ingens auctorum diſſenſio de Syria dea. Præ ceteris ſi lubet, conſule Seldenum Synt. II. de Diis Syris.

n) P. III. p. 451. Edit. Reitzii.

Tabvla III. N. 2.

„ ut mihi videtur, urbi, ex quo primum habitari cœ„ pit, ſed antiquum fuit aliud; poſtea vero cum ma„ na ibi ſacra fierent, id cognominis adepta eſt. „ Poſtea ſplendidiſſima Syriæ templa enumerat, teſtaturque nullum auguſtius, nullum ſanctius eo eſſe, quod Hierapoli ſtaret; imo terram illam omnem ſacram haberi. Mox in ætatem auctoremque templi inquirit, & varias variorum recenſet opiniones. Tandem poſt multas ambages deſcribit templi faciem externam atque internam, proſequiturque narrationem hunc in modum: „In hoc (templi adyto) collocata ſunt ſigna, „ tum Juno, tum quem, Juppiter cum ſit, alio ipſi „ nomine adpellant. Ambo aurei, *ambo ſedent. Verum* „ *Junonem leones ferunt: alter tauris inſidet.* Nempe „ Jovis ſimulacrum Jovem refert per omnia, capite, „ veſtibus, throno, nec etiamſi velis, alii ipſum adſi„ mules. Verum Juno multiplicem conſideranti for„ mam offert. Univerſim, ut vere dicam, Juno eſt. „ Sed habet aliquid etiam Minervæ, & Veneris, & „ Lunæ, & Rheæ, & Dianæ, & Nemeſis, & Par„ carum. *Manu altera ſceptrum tenet, colum altera:* „ & in capite gerit radios & turrim. „ *o*) Illuſtrius me Hercle! aptiusque nihil dici poterat illuſtrandæ præſenti monetæ; nam vel ipſa attributa, quæ Juno ſingulis

o) p. 477. ſqq.

gulis manibus tenet, accurate a Luciano definita habes. Adeo nempe veteres numi Scriptorum veterum dilucidantur teſtimoniis, & viciſſim Scriptorum fides numorum ſtabilitur auctoritate. In ſequentibus addit Lucianus, Junonis ſimulacrum totum ſplendeſcere innumeris gemmis pretioſis, viſuque ſemper intuentem ſequi, quocumque tandem loco conſiſteret; porro Jovem eodem templo coli, hoc tamen diſcrimine, quod ei ſilentio ſacrificarent neque cantantes, neque tibia modulantes: contra vero voce tibiaque cani, & tintinnabula pulſari, quando Junoni primitias offerrent. TABVLA III. N. 2.

Hæc de diis Syriæ in numo noſtro ſedentibus. Nunc de animalibus, quæ in eo habitant. Sacello, intra quod ſignum militare erectum, avicula imminet. Quæ avicula iſthæc? & quid ei in loco ſacro? Ni fallor, columba eſt; ſiquidem

Alba Palæſtino culta columba Syro. *p*)

Cultus ratio, quod Semiramidem illam Babyloniam, in dearum numero habitam Syris atque Aſſyriis, a columba enutritam, ac in eam denique avim converſam crederent, unde illud Hieremiæ quoque interpretandum: „Fugite a facie iræ columbæ.„ Quibus verbis Babylonios deſignat columbæ inſigni uſos,

 quam-

p) Tibul. L. I.

TABVLA III. N. 2.

quamque etiam militaribus ſignis inſertam habuiſſe videntur. Et fuere Luciano teſte, qui templum Hierapolitanum a Semiramide honori matris Dercetus conſecratum prætenderent, inter alia ducti eo argumento, quod Hierapolitani ex avibus ſolam columbam non ederent, *q*) imo ſacram venerarentur, adeo ut vel tangere nefas eſſet, haberenturque contaminati, quo die vel inviti contrectaſſent. *r*) Præterea in adyto ejusdem templi inter Jovem & Junonem medium fuerat ſimulacrum, quod Semiramidis quibusdam viſum eſt, propterea quod ejus vertici columba aurea inſiſteret. *s*) Satisne iſta evincunt nidificare, & merito, columbam in ſummitate templi Hierapolitani?

Jam & leonis habenda ratio. Paſcebantur in atrio ejusdem templi boves, equi, aquilæ, urſi, leones, ſacri & manſueti omnes. *t*) Num leonum iſtorum e numero habendus, qui in numi ſegmento ſuperbe incedit? Vix crediderim, ſed potius inſigne legionis Romanæ, cujus ſignum militare in ſacello erectum conſpicitur, quæque Severo Alexandro imperante Hierapoli præſidio fuit. Simili pacto in Aradi Phœniciæ numo leo & taurus adverſi ſedent adſtitutis utrique

qua-

q) p. 459. ſqq. *r*) p. 487. *s*) p. 479. *t*) l. c. p. 482.

quadrupedi manipulis; *u*) & in Viminacii Daciæque pecunia leone tauro, & aquila aperte indicantur eæ legiones, aut ſi mavis cohortes, quarum numeri notati in adjectis ſignis militaribus leguntur. Tabula III. N. 2.

Tandem e typis eluctamur. Reſtat, quod principio diximus, hoc numo colluſtrari alium, qui hactenus inter dubios inglorius latuit. Is argenteus eſt magnæ formæ, una parte vultu & nomine Caracallæ inſignitus, altera, ut noſter, ſedentes exhibens Syriæ deos: in ſegmento aquila expanſis alis: circumſcriptio vaga ΔΗΜΑΡΧ. ΕΞ. ΥΠΑΤΟϹ. ΤΟ. Δ. Illuſtris Pellerinius, ejus poſſeſſor & præco, *x*) ignoravit ac ignorare debuit ejus patriam, cujus nulla mentio. Nunc ope noſtri numi liquet Hierapolim ſpectare. Aquilæ haud dubie eadem ratio, quæ leonis habenda. Nimirum legionis inſigne eſt, quæ ſub Caracalla Hierapolim præſidio tenuit. Atque hoc argenteum magnæ molis numiſma ſimul teſtis eſt luculentus ſplendoris atque opulentiæ, qua eam urbem valuiſſe paſſim veteres adfirmant. Appianus quidem M. Craſſum in Parthos moventem narrat ſacras deæ Hierapolitanæ pecunias trutina & pondere expendiſſe per multos dies. Floruit

---

u) Noris. de Ep. Syromac. Diſſ. IV. *x*) Mel. 1. Tab. 8. n. 12.

TABVLA III. N. 2. ruit etiam laborantibus jam undique rebus Romanis, Procopio in Euphrateſiæ deſcriptione vocata „omnium „ eo tractu urbium princeps ac nobiliſſima.„ Hodiernum ejus nomen Membig a primigenio Mabog; nam a Seleuco Syriæ rege dicta demum Hierapolis, quemadmodum pluribus aliis civitatibus Aſiæ novum impoſuere nomen Macedones poſt mortem Alexandri M. unde bina iis nomina, vetus originis, novum a Græcis inditum, quo in deſuetudinem vergente ſæpe alterum revixit, ac hodiedum durat. Ita urbs Aco Syris, Ptolemais Græcis, nunc Acre: Bethan Syris, Nyſa & Scythopolis Græcis, modo Berſan: Chalyb Syris, Berrhœa Græcis, hodieque Halep mominatur.

P A L T O S.

N. 3. Caput laureatum, cui nota incuſa. Inſcriptio deleta.)(.... ΠΑΛΤΗΝωΝ. Muliebre caput tutulatum cippo vel aræ impoſitum. AER. II.

Paltenorum numi adeo raritate eminent, ut fruſtra quærantur in ditiſſimis muſeis. Hic anecdotus eſt, ſed injuriis temporum tam indigne habitus, ut nec cujus ſit imperatoris imago, nec quæ literæ ΠΑΛΤΗΝΩΝ nomen comitentur, decernere auſim. Ceterum de urbe, ejus numis & epocha ſignata conſulendi Noriſius,

ſius, *y*) Belleius, *z*) & Pellerinius, *a*) qui dum adſerit, Paltenorum tres ſolum numos antehac erutos, non meminit vulgati a Frœlichio, *b*) quem pariter Muſelliano opere deprehendas. *c*) TABVLA III. N. 3.

*
* *

Caput ſenile barbatum, utque videtur, nudum. N. 4.
)(ΒΑΣΙ... ΠΙΦΑΝ. Victoria gradiens d. ſertum, s. palmam. AER. III.

E Syriæ regibus, quibus ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ titulo gloriari placuit, quis certo ſtatuat, cuinam hoc nomismation debeatur laborante epigraphe, vagisque utriusque partis ſignis? Nihilominus ejus ectypon, quod nondum datum, dare viſum eſt. Regis nomen fatebitur aliquando ſimilis numus magis integer. Epiphanis cognomine in numis uſi Antiochus IV. Alexander I. Antiochus VI. Antiochus VIII. Seleucus VI. Antiochus XI. Philippus. Antiochus XII. Antiochus XIII.

PA-

y) De. Ep. Syrom. p. 554. *z*) Mem. des Inſcr. T. XXXIV. p. 237. *a*) Mel. T. II. p. 335. *b*) Adp. Nov. ad Vail. p. 85. *c*) in Add. T. VII. n. 4.

TABVLA III.

PALAESTINA.

SEBASTE.

N. 5. SVA . . GVSTA . . Caput Jul. Domnæ.)(COL' L' SEP . . . Pluto Proſerpinam raptam d. tenet, s. moderatur habenas quadrigarum ſuperne volante cupidine. AER. II.

Anticæ partis inſcriptio, averſæ typus, & patria præſtantis numi ſuſpenſum tenuere fœcundum Frœlichii ingenium. Auguratur Vir doctus Tyrum Phœniciæ, vel Laodiceam Cœles Syriæ, tametſi quæ ſuæ opinioni adverſarentur, probe ſenſerit difficultates. *d)* Equidem vix dubito, quin coloniæ nomen, extritum peſſimo fato æque in Frœlcihiana moneta atque noſtra, quadrigis fuerit ſubſcriptum. Et quid ſi fuiſſet nomen SEBASTE, nimirum Sebaſte Palæſtinæ, quæ ante Samaria vocabatur? Artificium præſentis monetæ omnino tale eſt, quale præferunt Gazenſes Auguſtorum numi. Et quis neget abruptas voces COL. L. SEP. oportere legi COLonia Lucia SEPtimia? Quam vero aliam dabis coloniam ſic dictam, niſi Sebaſten, quæ grato

d) App. Nov. ad num. col. p. 60.

grato animo in honorem Lucii Septimii Severi, a quo coloniæ jura recepit, hoſce benefactoris ſui titulos crepabat? Ut porro ita conjiciam, confirmant duo ejusdem coloniæ numi Caracallæ, quos e muſeo Pelleriniano produxit, eruditeque illuſtravit Leblondius.*e*) Prior eodem averſæ partis loco, quo meus, inſcribit COL. L. SEP. infra SEBASTE; ac uterque, uti meus, ipſa adeo puncta, quibus ſingulæ voces ſeparantur, nitidiſſime offerunt; quæ res etſi minuta videri poſſit, minime tamen videtur in re dubia negligenda. Ex his ſin minus certo, ſatis probabiliter numi patriam tenemus. TABVLA III. N. 5.

Averſæ typus magis notus. Niſi enim oculus fallit, reluctantem de more Proſerpinam Pluto aurigans dextra coercet. Et favet huic argumento Amor ſuperne volans, quem aliarum quoque urbium numi, eundem referentes raptum, ſæpe adjiciunt, inſuper face luculenta quandoque inſtructum.

De capitis epigraphe tanto minus divinare libet, quod paulo magis attrita ſit in numo noſtro. Frœlichius legit S. VA... VLIA, ſuſpicaturque retrograde ſcriptum VA pro AV. nimirum AVguſta. Verum in no-

e) Obſerv. p. 38. pl. II. n. 2 & 3.

TABVLA III. N. 5. ſtro numo inter literas s & v nullum punctum, & quod ſequitur - - GVSTA (AVGVSTA) tentatam interpretationem penitus evertit. Tempeſtive memini aliorum ejusdem Juliæ Domnæ numorum, quos Corinthi ſignatos par difficultas urget. Circumſcriptio capitis in iis hæc: IVL. CA. DOMNA. CNNTG. iterum: IVL. CΔ. DOMNA. CNNTC. atque iterum: IVL. CA. DOMNA. S. M. N. T. C. *f*) Hæc ænigmata aliquando expediet, quem Juppiter amaverit.

I V D A E A.

IONATHAN, DVX IVDAEAE, ET ALEXANDER I. REX SYRIAE.

N. 6. Nomen Jonathanis literis Samaritanis ſcriptum ambit circulum, cui aſtrum incluſum.)(ΒΑΣΙΛ... ΔΡΟΥ. Ancora intra circulum. AER. III.

* * *

N. 7. Aſtrum intra circulum, & literæ Samaritanæ fugientes.)(Β..ΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΥ. Ancora. AER. III.

Duo

f) Pellerin. Mel. I. p. 289. 290.

Duo minuti, ſed magni pretii numi, quibus ſimiles, non eosdem, deſcripſere Frœlichius, Barthelemius, Pellerinius, Eckhelius. Poſtremus ex L. I. Machab. c. 10. obſervat: „Jonathanem, cæſo Juda, Judæorum ducem pro Alexandro I. ſtetiſſe, ab hoc „Pontificem ſummum conſtitutum, & amicum regis „appellatum, miſſa etiam corona aurea. Igitur Jo„nathan præſentem numum ſignavit inſcripto ſuo pa„tria lingua nomine, & typo oblatæ ſibi coronæ, quæ „in noſtro numo rite dignoſcitur, etſi Pellerinius ro„tam malit, & talis appareat in typo numi ſimilis „apud Arigoni Tab. VII. numorum Phæniciorum. In „averſa ſiſtitur Alexandri regis nomen lingua Græca „cum ancoræ typo, qua tanquam gentilitia Seleuci„darum teſſera eum legitimum Syriæ regem agnoſce„ret.„ *g*) Præclare iſthæc. Sed quæ Vir doctus de corona in numo conſpicua adſerit, probare nequeo. Citatus numus, quem oculis meis attente conſideravi, vehementer attritus eſt, & neque ullam amplius literam Samaritanam præfert, neque coronam, ſed partem circuli, intra quem quid lateat, nullo pacto dignoſcitur. Rota Barthelemio & Pellerinio viſa eſt in ejusmodi numis melius ſervatis. Ego vero ſtellam obdu-

TABVLA III. N. 6. & 7.

g) Cat. Muſ. Cæſ. P. I. p. 248.

Tabvla III. N. 6. & 7.

obductam circulo manifeſte video in iis, quos depictos propoſui. In tertio, pariter meo, æque luculenta ſtella adparet, ſed nullo clauſa circulo, quemadmodum & ancoram prioris numi circulus ambit, alterius non item; qua in re præter artificis arbitrium nihil myſterii quærendum eſt. Enimvero ſtellæ typum in ære Jonathanis nolim magnopere mireris. Fuit Syriæ gentibus uſitatum varia pecuniæ ſuæ committere aſtra, quorum nempe poteſtati atque regimini obnoxias ſe putavere. Sic in numis regum urbiumque Seleucidis & Commagenes perſæpe Aries cum Luna creſcente, & Scorpio, & Capricornus rutilant. Hunc Syrorum morem ſecutus fuerit Jonathan in numis, quos Syriæ regi Alexandro I dedicavit. Quodſi ab horoſcopi typo, quia profanus, gentilibusque ſolennis erat, abhorrere debuerat Jonathan, cur non abhorruit etiam ab ancora in altera numi facie expreſſa, cujus utique rationem & ſenſum * ignorare non potuit? Non me latet doctiſſimi Bayeri ſententia, qui Jonathanem procudiſſe monetas negat, quæque hactenus ei tribuebantur, referendas conjicit vel ad Alexandrum Jannæum

* Seleucidis hæc gentilitia teſſera, & quod Laodice ex Apolline Seleucum filium genuiſſe jactaret, ejusque dei vaticinio ancoræ ſignum filiolus in femore habuiſſet: & quod ab Apolline Laodice donata eſſet annulo, cui ancora inſcalpta.

næum regem Judææ, vel potius ad alterum Alexandrum junioris Ariſtobuli filium, Antigoni fratrem, qui armis repetito Judææ principatu multum negotii faceſſivit Romanis, donec acie a Gabinio, Syriæ Præfecto ſuperatus fuit; quo tempore numos ſuo inſignes nomine cudiſſe veroſimile putat. *h*) Sed enim utrumque Judææ Alexandrum aperte reſpuit vel ſola ancora, Seleuci ejusque Succeſſorum, ut diximus, gentilitium ſignum; unde ſequitur Alexandrum, cujus nomen ancoræ adſcribitur, oportere Syriæ, non Judææ regem haberi. TABVLA III. N. 6. & 7.

Ni oculus fallit, priore numo juxta ancoram videtur ϛ. Altero nomen Alexandri ſcribitur ΑΛΕΞΑΝΥ connexis poſtremis literis ΔΡΟΥ.

TIBERII NVMVS IN IVDAEA SIGNATVS.

..ΒΕΡΙ. (ΤΙΒΕΡΙΟΥ) ΚΑΙCΑΡΟC. Lituus auguralis.)(intra ſertum L. ΙΗ. (anno XVIII. imperantis Tiberii.) AER. III.

Epo-

h) De Num. Hebr. Sam. p. 188. ſqq. 198. ſqq.

TABVLA III.

Epocha IZ. notatus eſt numus, quem Pellerinius habuit. *i*) Vir celebris in Judaico numo miratur lituum, paganorum ſacerdotale inſtrumentum, aliisque explicandum relinquit. Nos Lectorem remittimus ad doctum Barthelemium, qui pridem de ſimili argumento præclare diſſeruit Mem. des Inſcr. T. XXIV. p. 57 & 58. Ceterum memoratum Pellerinii numum pariter nos habemus. Et vero ſpectata marſupii noſtri modeſtia ſatis amplam fecimus Judaicæ pecuniæ meſſem. Jonathanis, Simonis fratris, ſuppetunt numi tres; decem Simonis Maccabæi cum vel ſine adjecto ejus nomine; duo Joannis Hyrcani Simonis filii; unus Agrippæ I vel II; duo Agrippæ II, quorum alter cuſus ſub Tito, alter ſub Domitiano. Præter hos tenemus complures in Judæa cuſos Auguſtorum Auguſtarumque nominibus nobiles, Auguſti, Tiberii, Tiberii & Juliæ, Claudii & Agrippinæ, Neronis, Neronis & Britannici. Univerſim Judaicam pecuniam, potiſſimum ducum & regum, maximi pretii atque indies majoris æſtimant Eruditi.

MESO-

i) Lettr. pl. I. n. I. p. 5.

MESOPOTAMIA.

TABVLA III.

MANNVS EDESSAE REX.

A. K. Λ. ΑΥΡ. ΟΥΗΡΟC. Caput Veri nudum.)(ΒΑCΙΛΕΥC ΜΑΝΝΟC ΦΙΛΟΡΩΜΑΙC (sic) typus nullus. AER. III. N. 8.

Mani, rectius Manni, a Dione Caſſio facta mentio, qui ſuſpectus Trajano fuerit, quod vocatus non veniſſet, ac Mebarſapen Adiabenum, Romanorum hoſtem, adparatu bellico juviſſet. Hujus filium aut nepotem Sequinus eum opinatur Mannum, qui in nonnullis multi pretii denariis ΦΙΛΟΡΩΜΑΙΟC, *Amicus Romanorum*, cognominatur, quo honorifico titulo ab Imperatoribus M. Aurelio & L. Vero ornatus videtur ob egregie navatam operam, dum Verus Parthicum bellum gereret. *l*) Ejusmodi denarii recenſentur a Sequino, Harduino, Begero, Vaillantio, Spanhemio, cuſi a Manno omnes nominibus Aurelii, Fauſtinæ Jun. &

l) Conſule Bayerum Hiſt. Oshr. p. 158. ſqq. qui bene obſervat etiam Carrhenos Meſopotamiæ ſeſe Philorhomæos, atque urbem Aureliam nominaſſe teſtibus numis Aurelii & Veri apud Vaillantium, addo Pellerinium.

TABVLA III. N. 8. & Lucillæ Veri uxoris. Qui Veri in honorem ſignatus fuerit ab eo regulo, noſter unicum habet ſocium muſei Pembrochiani, *m*) ſed longe diverſum poſtica parte, & epigraphe peccante depictum; nam ΤΙΛΟΙωΜΑΙC obtruditur pro ΦΙΛΟΡωΜΑΙC. Memorabile tamen, in utroque numo legi ΦΙΛΟΡωΜΑΙC, non ΦΙΛΟΡωΜΑΙΟC, ut alias. Crediderim veteris chalcographi errorem, qui linguæ Græcæ parum peritus (& hoc quis in Edeſſeno homine miretur?) male cælaverit ΦΙΛΟΡωΜΑΙC loco ΦΙΛΟΡωΜΑΙΟC.

AFRI-

m) P. 3. Tab. 25. n. 2.

AFRICA.

Jam in Africam vocant negotia numiſmatica. Ægyptum primo perluſtrabimus, Cyrenaicam & Numidiam poſtea.

ÆGYPTVS.

Crocodilus: ſupra globulus & L..)(Ibis gradiens. AER. TABVLA III. N. 9.

Artificium numi, & Crocodilus Ibisque apertiſſime faciunt pro Ægypto ſancta, cui hæc naſcebantur frequentia numina. Enimvero ſtatuere, in quo nomo vel urbe Ægypti ſignatus fuerit, hic labor eſt tacente numo. Ibin, vel Crocodilopolin, Ægypti urbes, invitare videntur Ibis & Crocodili ſigna, ſed neutrius urbis in hanc diem exſtant certi numi. Præ-

TABVLA III. N. 9. placet Letopolites, cujus monetam vulgavit Belleius. *n*) Priore parte caput Hadriani eſt, poſterioris iconem ſubjicimus:

Æ



Habes numulum noſtro ſimilem & eadem Crocodili imagine, & eadem magnitudine, nam uterque quinarius eſt. Exinde eandem utrique patriam conjicere fas eſt, conjicere inquam. Neque enim ego tantum huic opinioni tribuo, quantam ſuæ olim tribuit comicorum arbiter Volcatius, ut contra ſi quis ſentiat, nihil ſentiat. Litera L, ſupra noſtrum crocodilum ſatis perſpicua, adſcriptam fuiſſe epocham arguit, quemadmodum in aliis Ægypti, ut vocant, autonomis numis leguntur epochæ L. B. & L. E, *o*) quarum poteſtas necdum perſpecta.

NOMOS HERACLEOTES.

N. 10. ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑ. ΑΔΡ. CЄΒ. Caput Hadriani laureatum.)(ΗΡΑΚ. L. ΙΑ. Caput Herculis barbatum, & diademate cinctum. AER. III.

Her-

n) Mem. des Inſcr. T. XXVIII. p. 538. *o*) Pellerin Rec. de Méd. T. III. pl. LXXXVI. n. 2 & 3.

Herculis effigem ſignaviſſe Nomon & urbem Herculi ſacram, ab eoque nominatam, æquum erat. Nihilominus in eo numo, quem Vaillantius vidit, *p*) nequaquam Herculis, ſed Serapidis erat imago adpoſita volucre Ibi. Eundem typum habet numus Hermopolitis apud Vaillantium & Arigonium, unde elucefcit Ægypti Præfecturas non ea ſemper numina in ære ſuo propoſuiſſe, quorum nomina cultumque præcipuum profitebantur. Heracleotis metropolis erat Heracleopolis Magna, ubi Ichneumones colebantur Crocodilis infeſti. Plura vide apud Danvillium Mem. ſur l'Egypte p. 164. & ſqq. TABVLA III. N. 10.

PANOPOLITES.

ΑΥΤ. ΚΑΙ. ΤΡΑΙ. ΑΔΡ. CΕΒ. Caput Hadriani laureatum.)(ΠΑΝΟ. L. ΙΑ. Serapis ſtans d. volucrem, s. ut videtur, icunculam. AER. III. N. 11.

Vaillantius hujus nomi produxit monetam, in qua Pan capripes incedit pedo inſtructus paſtorali. *q*) Noſtra Serapidis ſimulacro nobilis confirmat, quæ ad præcedentem numum obſervavimus. Nomen huic

M 3 Præ-

p) Imp. Gr. p. 34. *q*) Ægypt. Num. p. 212.

TABVLA III. N. II. Præfecturæ a Panopoli, ſeu Panos urbe, Nonni Poetæ patria. Initio dicta Chemmis: modo Echmim vocatur, pluraque conſervat vetuſtatis monumenta. *r*)

Ceterum de eo monetarum genere, quas Nomi, ſeu Præfecturæ, in quas Ægyptus antiquitus diviſa fuit, feriundas curavere, præclare meriti ſunt Vaillantius, Belleius, & Pellerinius. Prior ſtudioſe collegit, quotquot reperire potuit numos a variis Præfecturis in variorum Imperatorum honorem ſignatos. *s*) Auxit numerum alter. *t*) Tertius ſpeciatim indagare conatus eſt, quæ fuerit ratio, quis uſus illorum numorum, qui ejusdem ingenii & formæ omnes altera parte Hadriani vultum, altera Præfecturæ nomen ac epocham L. IA. offerunt. *u*) Ut aliquid & nos feciſſe videamur, præfecturas omnes, quarum hujuscemodi exiguæ monetæ, Hadriani imperantis L. IA. ſeu anno undecimo inſignes, ad hæc noſtra tempora innotuerunt, ordine alphabetico hic loci recenſebimus, Eruditis jucundum, tironibus non inutile fore rati, ſi hic illic

r) Conſule Michaelis, quanti Viri! obſervationes in Abulfedæ deſcriptionem Ægypti. Gött. 1776. p. 78. 165) *s*) Et in Ægypt. Num. & in numis Imp. Græcis. Hoc vel illud opus intellige, quoties Vaillantius ſubſequente Nomorum catalogo citabitur. *t*) Mem. des Inſcr. T. XXVIII. Eadem citatio, quoties poſtea recurret Belleii auctoritas. *u*) Addit. aux neuf Vol. p. 85. ſqq.

illic diſperſas colligeremus, unoque ſub obtutu coge- remus, potiſſimum quod opera, in quibus occurrunt, partim rara, partim pretioſa, paucorum manibus te- rantur. Duas & tringinta hactenus cognitas eſſe ad- ſeruit Pellerinius. x) Nos numero XLI dabimus, ad- jectis nonnullis obſervationibus, operibusque citatis, ubi eas reperire eſt. Signorum averſæ partis deſcrip- tiones ex fide Auctorum addere viſum fuit, eo etiam conſilio, ut quibus talium numorum in poſterum co- pia facta fuerit, hunc conſulentes catalogum nullo ne- gotio intelligant, ſintne jam ab ullo auctore deſcripti, nec ne.

TABVLA III. N. II.

AΘPIB. L. IA. Athribites A. XI. Mulier ſtans d. volu- crem tenens. Belleius. Pridem ante auctor muſei Theupoli, & Panelius. Cat. Lebret. qui legit ATPIB.

ANTAIO. L. IA. Antæopolis. Serapis d. ſceptrum ob- longum, s. crocodilum. Belleius.

AΠOA. L. IA. Apollonopolis. Apollo telum depro- mens e pharetra, s. arcum. In alio numo mulier d. pateram ſupra aram; s. cornucopiæ. Vaillant. Harduin oper. ſel.

APA-

x) Addit. p. 89.

TABVLA III. ΑΡΑΒΙΑ. L. ΙΑ. Arabia. Iſis ſtans d. ſpicas, s. facem: item mulieris geminos infantes lactantis protome turrita. Harduin. Vaillant, & Belleius, qui prioris errorem corrigit pro Arabia provincia ſtantis.

ΑΡCΙ. & ΑΡCΙΝΟΙ. L. ΙΑ. Arſinoites. Caput reginæ Arſinoes velatum. Vaillant. Harduin. Beger. Arigoni.

ΒΟΥΒΑC. L. ΙΑ. Bubaſtites. Figura ſtans d. avem. Belleius.

ΒΟΥCΙ. & ΒΟΥCΙΡ. L. ΙΑ. Nomos Buſiriticus. Serapis d. cervum, s. ſceptrum longum: in alio s. lotum. Vaillant. Apud Harduinum & Arigonium Iſis ſtans.

ΔΙΟΠΟΛΙ. ΜΕ. L. ΙΑ. Dioſpolis Magna, nomos Dioſpolites. Hadrianus eques. Vaillant. Apud eundem & Theupoli etiam Serapis d. cervum, s. ſceptrum. In alio Harduini, & muſei Theupoli ΔΙΟΠΟΛΙ Μ. L. ΙΑ. Vir dextra demiſſa, s. tenens animal quadrupes.

ΔΙΟΠ. L. ΙΑ. Dioſpolis parva Thebaidis. Oſiris d. ſceptrum, s. bovem. Belleius.

ΕΡΜΟ. L. ΙΑ. Hermopolites. Caput barbatum, ante quod Ibis: in aliis numis Mercurius ſtans. Vaillant. Harduin. Arigoni.

ΕΡΜ·

ΕΡΜωΝΘ. L. IA. Hermonthides. Figura d. haſtam, s. leonem. Belleius, & ante auctor muſei Theupoli, qui legit ΕΡΜΩΝ, virumque s. aquilam tenentem vidit. TABVLA III.

ΗΛΙΟΠ. L. IA. Heliopolites. Serapis d. cervum, ut videtur. Eckhel. Num. vet.

ΗΡΑ. & ΗΡΑΚ. L. IA. Heracleotes. Caput Serapidis, juxta quod Ibis. Vaillant. Harduin. In noſtro ſupra vidimus caput Herculis.

ΗΡΩ. L. IA. Heroopolites. Feminea protome velata, & loto ornata, digitum ori admovens. Belleius.

ΘΙΝΙ. L. IA. Thinites. Figura capite radiato ſtans s. icunculam. Vaillant. Harduin. In muſeo Theupoli ea figura perhibetur biceps.

ΚΑΒΑC. L. IA. Cabaſites. Serapis d. cervum, s. ſceptrum: in alio ſerapis d. Ibim, s. haſtam. Vaillant. Harduin.

ΚΑΝω. & ΚΑΝωΒ. L. IA. Nomos Canopicus. Canopus in hydria. Vaillant. Harduin.

ΚΟΠΤ. L. IA. Coptites. Serapis d. extenſa, s. haſtam. Vaillant. Harduin. Apud Theupoli Serapis d. animal quadrupes; ac in alio d. haſtam, s. cervum.

TABVLA III. KYNO. L. IA. Cynopolites. Anubis canino capite d. ſiſtrum, s. haſtam. Vaillant. Harduin.

ΛΕΟΝΤ. L. IA. Leontopolites. Vir ſtans d. haſtam, s. leonem. Frœlich App. ad Vaillant.

ΛΗΤΟΠ. L. IA. Letopolites. Crocodilus. Quinarius æreus antica parte anepigraphus. A Belleio mutuatum ectypon averſæ partis ſupra inſeruimus.

ΛΙΒΥΗ. L. IA. Nomus Libya. Vir d. pateram, s. animal quadrupes, veroſimiliter arietem adludentem ad Jovem Ammonem. Belleius, ac ante eum Arigonius.

ΛΥΚΟ. L. IA. Lycopolites. Serapis d. cervum, s. ſceptrum. Vaillant. Harduin.

ΜΕΜΦ. & ΜΕΜΦΙ. L. IA. Memphites. Capra. Iterum caput Iſidis; atque iterum Mulier ſingulis manibus ſuſtinens icunculam. Vaillant. Harduin.

ΜΕΝΔ. L. IA. Mendeſius Nomus. Hircus: item caput Serapidis apud Vaillant, & Harduin. In muſeo Theupoli, & Eckhelii Num. vet: Serapis d. animal quadrupes.

ΜΕΝΕ. & ΜΕΝΕΛΑΙ. L. IA. Menelaites. Serapis cervum gerit: in alio numo d. cornucopiæ, s. palmam: in alio caput Iſidis. Vaillant. Harduin.

ME-

METHAI. L. IA. Metelites. Accipiter. Vaillant. Harduin. TABVLA III.

ΞΟΙΤ. L. IA. Xoites. Hercules loto caput ornatus d. volucrem portat, s. clavam elevat. Belleius. In alio apud Pellerinium (Mel. 11. 251.) Serapis modio tectus d. tenet avem.

ΟΝΟΥ. L. IA. Onuphites. Aries. Belleius. Ante eum Theupoli ΟΝΟΥΦΙ. L. IA. Mulier dextram extendit.

ΟΞΥΡ. L. IA. Oxyrynchites. Pallas d. victoriam, s. haſtam: item Serapis d. cervum. Vaillant. Harduin. Apud Arigonium perperam ΟΞΙΡ. Typus fere idem.

ΠΑΝΟ. & ΠΑΝΟΠ. L. IA. Panopolites. Pan d. hircum, vel lotum, s. pedum. Vaillant. Harduin. In noſtro ſupra deſcripto Serapis d. volucrem, s. icunculam.

ΠΗΛΟΥ. L. IA. Peluſium. Iſidis protome: item Serapidis adſtituta Ibi: alias Serapis radiatus ſtans d. cervum. Vaillant. Harduin. Haym.

ΠΙΝΑ. L. IA. Pinamus. Caput Herculis: item Apollo radiato capite d. cervum. Vaillant. Apud Molinetum & Harduinum caput Serapidis, ante quod Ibis.

ΠΡΟCΩ. & ΠΡΟCΩΠ. L. IA. Proſopites. Figura dextram ori adplicans: item Serapis d. cervum: in alio numo Ibis. Vaillant. Harduin.

TABVLA III. CAIT. L. IA. Saites. Pallas d. noctuam, s. haſtam. Vaillant. Harduin.

CEBEN. vel CEBEK. L. IA. Sebennytes, vel Sebecnytes. Vaillantius & Harduinus priorem egigraphen ſequuntur. In Antonini Pii numo primi ordinis apud Pellerinium (Mel. I. pl. XIV. n. 9.) æque CEBENNYTHC. At Haymius in duobus integerrimis contendit legi CEBEK. Memorabile in ære hujus nomi ſpectari jam Bacchum, jam ſolum botrum, evidenti argumento, Sebennyten (hodie Semenud) antiquitus vini feracem fuiſſe contra ingenium Ægyptii ſoli parum vitibus propitii; quamvis non ignorem Alexandrinum vinum laudari Athenæo. Abulfeda, qui adhuc ſuo ævo Alexandrinam terram vitibus conſitam vidit, etiam Esnes vineas commendat, urbis inter Asvan & Kus in ripa Nili occidentali. Sed ὡς ἐν παρόδῳ.

TANI. L. IA. Tanites. Vir d. avem, s. haſtam. Vaillant. Harduin. Apud Patinum male KANI.

TENTYP. L. IA. Tentyrites. Mulier d. avem, s. haſtam puram. Liebe, & Arigonius.

TYHAI. L. IA. Hypſeliotes. Aries. Vaillant. Harduin.

ΦΑΡ-

ΦΑΡΒΑΙ. L. ΙΑ. Pharbæthites. Figura ſtans d. haſtam, s. leonem. Belleius. TABVLA III.

ΦΘΕΝΕΟΥ. L. ΙΑ. Phtheneotes. Vir nudus ſingulis manibus aliquid incognitum tenet. Eckhel. Num. Vet.

Omnes citati numi ejusdem ſunt indolis, artificii, & formæ, nimirum tertiæ, uno demto Nomi Letopolitis, qui ceteris minor quinarii magnitudinem æquat. Tales quinarios æreos etiam reliquorum Nomorum proferet ætas. Pellerinius habuit ΘΙΝΙΤΩΝ, ΚΥΝΟΠΟΛΙΤΩΝ, ΛΕΟΝΤΟΠΟΛΙΤΩΝ, ΛΗΤΟΠΟΛΙΤΩΝ, ΜΕΜΦΙΤΩΝ. *y*)

Sunt Porro Hadriani numi Ægyptii tertiæ pariter magnitudinis, qui poſticæ partis ſymbolis adſcribunt quidem L. ΙΑ, ſed nomen Præfecturæ diſſimulant. Tales ſuppeditant Arigonius, Auctor muſei Theupoli, & Muſeum Cæſareum. Hos autem Nomis ſuis difficulter adjudices nullis certis criteriis.

Porro ne quid omiſiſſe videar, quod aliquo modo ad rem præſentem facit, alterius Hadriani numuli meminiſſe juvabit, cujus iconem Pellerinius dedit. Una parte caput Hadriani ſine inſcriptione: alii rana inſidet,

N 3 ſupra

y) Addit. p. 92.

TABVLA III. ſupra quam L. Iθ. Pellerinius Batrachi in Marmarica ſignatum cenſet, z) quæ Ægypto obnoxia, & veroſimiliter in Nomos diviſa fuit, ut reliquæ partes Ægypti. Attamen is numus alterius generis eſt a ceteris ſupra congeſtis, qui & patriæ nomen celet, quod illi fatentur, & multo ſerius cuſus ſit, nempe anno demum XIX. imperii Hadriani, cum illi omnes annum XI. profiteantur. Sed hæc faceſſant.

ALEXANDRIA.

N. 12. ΑΥΤ. ΤΡΑΙΑΝ. ϹΕΒ. ΓΕΡΜ. ΔΑΚΙΚ. Caput Trajani laureatum. ☽☾ L. IB. Mercurius caduceum & ramum tenens & caput flore ornatus coram Plutone tutulato ſedente, qui s. tenet ſceptrum, dextram protendit ſupra dimidium humanum corpus. AER. I.

Mercurii munus erat ducere ad orcum, atque inde manes reducere, vocatus propterea *Redux, Inferus*, (χθονιος) *Animarum Conductor.* (ψυχοπομπος) Ele-

z) Suppl. III. p. 126. Rana Græcis Βατραχος, unde illi portui nomen. Baudelot Voyag. P. II. T. I. ſimile nomismation proponit Imp. Claudii adjecta epocha L. I. ſupra ranam.

Elegans & aptus in hanc rem Horatii locus ita hunc deum laudantis: TABVLA III. N. 12.

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus, virgaque levem coerces
Aurea turbam; ſuperis deorum
Gratus, & imis. *a*)

His partibus, inſtructus virga & caduceo, fungitur Mercurius præſente numo, ſive adportans Plutoni ſedenti umbram humi conſpicuam, ſive lurido ejus regno evocans. Conferri cum hac moneta meretur gemma ſcalpta Ducis Aurelianenſis, in qua Mercurius umbram ſimili modo adumbratam, ut in noſtro numo, ab inferis evocat. Doctiſſimi Viri De la Chau, & Le Blond præclara eruditione congeſſere, quæ vetus mythologia ſubminiſtrat illuſtrando ei argumento. *b*)

*
* *

ΑΥΤ. ΚΑΙϹ. ΤΡΑΙΑΝ. ΑΔΡΙΑΝΟϹ. ϹΕΒ. Caput Hadriani laureatum)(L. IZ. Templum duarum columnarum, intra quod Serapis ſtans d. aviculam, s. ſceptrum: ex adverſo Hadrianus s. ſceptrum, d. contingens ſacellum, cui inſcriptum: ΑΔΡΙΑΝΟΝ. AER. I. N. 13.

Sera-

a) Lib. I. Od. x. *b*) Deſcr. des Pier. gr. Tab. 23. p. 99.

TABVLA III. N. 13. Serapidem ægre, Hadrianum adverſum nullo pacto agnoveris in numo male delineato apud Arigonium, *c*) cujus ectypa ſæpiſſime peccant. Ea impulit ratio, quo verum reſtituerem inſignis nomismatis typum.

*
* *

N. 14. ...BAΛBINOC. CЄB. Balbini laureatum caput.)(L.A. Mulier verſus s. ſtans d. expanſa s. tenens duo cornua copiæ. ARG. ÆROSI. II.

Nuſpiam deſcriptus. Tantæ vero raritatis Balbini ſunt numi Ægyptii, ut nullos reperias in iis adeo muſeis, quæ alias ingenti Ægyptiæ pecuniæ vi redundant, cujusmodi ſunt muſeum Theupoli, Arigonii, & Cæſareum Vindobonenſe.

Eſt mihi & alius Balbini numus Ægyptius, argenti pariter æroſi (Gallis Potin) quem æreis formis expreſſum dedit Pellerinius. *d*) In hoc poſt nomen Balbini legitur ЄΥ: in meo integerrimo CЄB. nempe CЄBACTOC.

CYR-

c) P. II. Num. Alex. T. VIII. n. 138. *d*) Mel. de Méd. T. I. pl. XIII. n. 8.

TABVLA III.

CYRENE.

Caput Jovis Ammonis.)(Caput adverſum muliebre. AVR. III. N. 15.

Fulgentem in auro vides averſa parte Cyrenen, cujus imago & nomen ΚΥΡΑΝΑ riget in ære apud Pellerinium. *e*) Fuit ea Nympha Apollini dilecta, deaque tutelaris urbis Cyrenes, auctorque nominis illius fontis mirabilis, cui circumfuſa urbs erat. Spectare autem hunc ſummæ elegantiæ numulum ad Cyrenenſes, quamvis eorum nomen diſſimulet, extra controverſiam eſt comparatione facta cum aliis eorundem numis aureis æque minutis, qui Κ & ΚΥ vel Jovi Ammoni, vel alterius partis variis ſymbolis, vel utrinque adſcribunt. *f*) Eidem populo tribuendi aurei, pariter anepigraphi, quos Thomas Pembrochiæ Comes in ære incidi curavit Tab. IV. n. 3. 6. 7 & 8.

ETA.

e) Rec. de Méd. T. III. pl. LXXXVI. n. 12. *f*) L. C. p. 8.

Tabvla III.

*
* *

N. 16. ETA. Caput Palladis galeatum ad s.)(BIA. Caput muliebre turritum. ARG. II.

Eckhelius de numis Cyrenaicis differens hunc anecdotum e noſtro muſeo citavit, *g*) cujus eruditis obſervationibus non eſt, quod addam.

MAGAS REX CYRENAICAE.

N. 17. Caput virile imberbe diademate cinctum.)(Literæ MAΓ connexæ. Dimidius equus marinus. AER. III.

Monogramma literis MAΓ vel MAΓA compoſitum indicio eſt, fabricatum numum jubente Maga, fratre Ptolemæi Philadelphi regis Ægypti, cujus nomine Cyrenaicam regebat. Docemur iſtud ſimili, averſæ tamen typo diſſimili moneta, quæ idem Magæ monogramma conjungit nomini fratris ejus ΒΑΣΙΛεως ΠΤΩΛεμαιȣ. Ejus præco Pellerinius accurate monet *h*) ſignatam fuiſſe, quo tempore Magas adhuc fratris imperio pare-

g) Num. vet. p. 305. *h*) Rec. des Méd. de R. p. 41.

parebat. Unde conſequens, priore parte non Magæ, ſed Ptolemæi Philadelphi vultum exhiberi, in cujus nempe honorem ea moneta procuſa fuit a fratre. Eadem præſentis numi conditio, ſi reipſa nomen Ptolemæi, uti Pellerinianus, continet, nunc forte conſummtum plurimo ſenio. Verum quod literarum omnino nullum adparet veſtigium, quo loco Pellerinianus ΒΑΣΙ. ΠΤΟΛ. inſcribit, haud vane ſuſpicor, præſentem neglecto fratris Ptolemæi nomine feriri juſſiſſe Magam, poſtquam rebellis ipſe purpuram regisque titulum adripuit, qua de cauſſa inter utrumque multo varioque Marte certatum. Is numus, licet poſtica parte adroſus, e præcipuis eſt noſtri muſei. TABVLA III. N. 17.

NVMIDIA.

Caput muliebre, & literæ Punicæ, ſeu verius Numidicæ fugientes.)(Leonis extenſa pellis, & clava. AER. II. N. 18.

Juliæ, Tiberii filiæ, videtur caput expreſſum hoc anecdoto numo. In Numidia, vel certe finitimo tractu domeſticum arguunt artificium, reſiduæ literæ,

Tabvla III. N. 18. aliorumque Auguſtorum & Auguſtarum numi ibidem cuſi, quos produxit, & nonnullis animadverſionibus illuſtravit Pellerinius. *i)*

Sed tempus eſt, ut relicta Africa Europam repetamus.

EVRO-

i) Rec. de Méd. pl. cxx. p. 143.

EVROPA.

A quo tempore Anecdotos Europæ numos noſtri muſei protulimus, non pauci fortunæ & temporis beneficio acceſſere, qui aut nondum, aut male ab Eruditis deſcripti ſunt. Hos quoque ſuccinctis commentariis illuſtratos in lucem dare viſum eſt, retento ordine, quem priore parte obſervavimus.

GALLIA.

MASSILIA.

ΜΑΣ. Caput Mercurii petaſo tectum.)(Caduceus alatus inter literas ΝΦ. infra Α. AER. III. TABVLA IV. N. I.

Ubi gentium flati fuerint duo ſimiles numi, ſed urbis nomine deſtituti, quos propterea Pellerinius incertis addixit, *l*) fortaſſe diu latuiſſet, ni præſens in-

O 3 ſcrip-

l) Rec. de Méd. T. III. pl. CXVII. n. 15. & 16

TABVLA IV. N. 1. ſcriptus ΜΑΣ. Maſſiliam eorum patriam proderet, ex quo magnus ei honos. Quod amplius, inſtituta numorum iſtorum comparatione eum quoque numum, quem Exc. Turris Muzzæ Princeps, Pellerinium ſecutus, Megaræ Siculæ tribuit, *m*) pene crediderim ejusdem generis & urbis eſſe. Mercurii cultum, quem profitentur hi numuli, quid mirum viguiſſe apud Maſſilienſes commercio maritimo deditos, atque inde maximas copias viresque conſecutos!

INCERTVS GALLIAE.

N. 2. Præſtat ectypon, quam deſcriptionem dare hujus numi, cujus metallum electri genus eſt. Artis ratio, & ſigna utriusque partis aperte Galliam loquuntur; ſed cujus ſit reguli, vel populi Gallici, definiri nequit. Epigraphes ΤΤΙΝΑ primam literam deeſſe, facile quisque videt.

ITALIA.

NEAPOLIS CAMPANIAE.

N. 3. Caput imberbe nudum, a tergo ſtella.)(ΝΕΟΠΟΛΙΤΩΝ (sic) Eques ſiniſtrorſum elevans dexteram: in area ΡΟ. AER. III.

Ari-

m) Sic. vet. num. T. XLIII. n. 4.

Ariſtæi vultum, meo quidem judicio, hæc ſiſtit moneta perelegans. In Sicilia obſervatum eum heroem teſtantur Diodorus Siculus, Pauſanias & Cicero; unde pronum eſt intelligere, ejus religionem in proximam tranſiiſſe Græciam Magnam. Et fuiſſe Neapolitanos eidem devotos, elucefcit e præſtanti ψηφισματι, de quo Capacius, Gruterus, & cumprimis Martorellius, qui illud deterſis plurimis mendis priſtinæ integritati reſtituit. *n*) Eo Pſephismate mentio fit ΤΗΣ ΦΡΗΤΡΙΑΣ ΤΗΣ ΑΡΙΣΤΑΙΩΝ. Nec defuit Neapolitanis peculiaris ratio colendi Ariſtæi, qui Apollinis, præcipui & tutelaris eorum numinis habebatur filius, quin ipſe Apollo auctore Pindaro. *o*) Quam ob rem laureatus quandoque cernitur, ut in ſimili Neapolis numo, *p*) capillis tamen curtis, ut eſſet, quo a Patre bene crinito diſcerneretur. Eadem videtur ratio lucentis a tergo ſideris. TABVLA IV. N. 3.

Litera Ω pro Ω, quam urbis nomen offert, inſolens. Eandem occurrere in ære Liparæ, obſervavimus ad numum Marcianopolis alias a nobis vulgatum. Ibidem occaſione magiſtratus ΓΕΤΩΥΑΙΚȣ diximus, Herodis Magni, Judææ Ethnarchæ, monetas ſiglam ȣ pro

ΟΥ

n) Thec. Cal. p. 623. *o*) Pyth. Od. IX. v. 112. p.) *p*) Magnan Miſc. Num. P. I. T. 28. n. XXVI.

TABVLA IV. N. 3. OΥ inverſo ſitu pingere, nempe ꞩ, ducti hac in parte auctoritate Spanhemii, Harduini, Molineti. Tantis nominibus quis non confideret? Tamen fuerat diffidendum, Barthelemio teſtante, *q*) in talibus numis bene ſervatis adeſſe parvum caduceum, cujus ſuperior pars revera mentiatur notam ꞩ; quæ res Viros illos in fraudem induxerat, cum primis fugiente linea perpendiculari. Ut meo periculo diſcant Numophili, quam caute alienis credendum ſit oculis, expedit aliud etiam mendum corrigere, cujus admonet occaſio. Pagina 71. prioris partis injecta mentio Catanenſium monetarum cum epigraphe ΡΩΜΑΝΟΣ. Has Burmannus Dorvillii Siculis ſubjecit. Verum loco ΡΩΜΑΝΟΣ legendum eſſe ΑΜΕΝΑΝΟΣ contendit Gabriel L. Caſtellus Princeps Turris Muzzæ, qui tales prodidit Amenani fluvii nomine & vultu nobiles. *r*) Ita ſæpe in alterius culpam venias invitus. Attamen ſi nequit evitari, ne decipiare magnorum virorum auctoritate, profecto expedit, pro re nata alios admonere cogniti erroris, ne quod accidit tibi, accidat & alteri.

HERA-

q) Mem. des Inſcr. T. XXVI. p. 536. *r*) Sic. vet. Num. T. XX. n. 8. & T. XXIII. n. 14. p. 19. & 22.

HERACLEA LVCANIAE.

TABVLA IV.

Caput Palladis tectum galea ſpinge ornata)(ET. Hercules nudus ſtans d. clavam, s. exuvias leonis, a Victoria coronatur. ARG. III. N. 4.

* * *

Caput adverſum mihi incognitum.)(Leo gradiens. ARG. III. N. 5.

Effoſſus uterque ad Mephitis ædem juxta lacum Amſancti in Hirpinis, ubi multiplex eruitur numorum & vaſorum fictilium varietas. Priori conſimilem, ſed literis ET carentem laudat, & Heracleæ Siciliæ dubius largitur Turris Muzzæ Princeps longe doctiſſimus. *s*) Pro Heraclea Lucaniæ faciunt ſoli vicinia, ubi erutus eſt, & nomen ϜΗΡΑΚΛΗΙΩΝ alias non multum diverſis numis adſcriptum, aſpirata litera Ϝ in Siculis monumentis non occurrente; porro additum ET, quod ſæpe recurrit in argento haud procul diſtantis Tarenti, *t*) cujus Heraclea colonia fuit. Quin imo numi non pauci

s) Sic. Num. vet. Tab. XXXIV. n. 3. p. 32. *t*) Magnan Miſc. Num. P. I. T. 41. n. IV. & ſqq.

TABVLA IV. N. 4. & 5. pauci ſunt, qui adeo utriusque urbis conjuncta nomina produnt, quales Cl. Eckhelius recenſuit. *u*)

Alterum anepigraphum ejusdem Heracleæ probat argenteus minimæ formæ apud Pellerinium, *x*) qui hic caput Herculis, illic prorſus eundem gradientis leonis typum exhibet, & literas HE. nempe HEPAKHIΩN.

Non poſſum, quin hoc loco celebri Viro Alberto Fortis, Academiæ Patavinæ ſocio, ſuisque per Dalmatiam itineribus deſcriptis erudito orbi notiſſimo, publicas grates agam, qui mihi, nihil tale cogitanti, complures dono miſerit Magnæ Græciæ, & Dalmatiæ numos præſtantes, inter quos præter duos modo memoratos argenteus ſecundi ordinis eminet Nuceriæ Alfaternæ, qualis apud Eckhelium depictus *y*) Muſei Medicei ornamentum illuſtre vocatur, eo inſuper titulo ſpectandus, quod Bacchi, ſive noſtro judicio, Ariſtæi vultui delphinum jungit, quo carent ſimiles vulgati. Tantæ Viri candidiſſimi optimique liberalitati quod rependam, non habeo præter animi gratitudinem, quam publice profiteri mihi viſum eſt & juſtum & honorificum. Ejusdem munere etiam duos alios minutiſſi-

u) Num. vet. p. 32. & 36. *x*) Suppl. III. pl. III. n. 5. *y*) Num. vet. Tab. II. n. 10.

tiſſimæ formæ argenteos habeo, qui hic locum merentur. TABVLA IV.

Caput galeatum Palladis.)(ΣΙ ΡΤ. Spica. ARG. III. N. 6.

*
* *

Apollinis laureatum caput.)(Bos humana facie, cui Victoria ſertum imponit: in area M. ARG. III. N. 7.

Ambo inventi prope vicum Rio Negro nuncupatum ad Volturis montis radices in Apulia; ambo Magnæ Græciæ, ſed urbis mihi incognitæ. Spica, quæ turget in priore, Metaponto ſolennis eſt, ſed uſitata pluribus Magnæ Græciæ urbibus. Hinc dubium patriæ criterium. Haud certius inſcriptio ΣΙ ΡΤ. Si prior ſyllaba disjuncta ab altera, nomen urbis indicat, Sirin Lucaniæ ſuſpicari poſſis in ora ſinus Tarentini ſitam haud procul ab Heraclea, cujus nomen Græcis ΣΙΡΙΣ & ΣΕΙΡΙΣ. Sed quid facias literis ΡΤ? Num magiſtratus initiales? Incerta res. Artificium quidem ex aſſe reſpondet argenteis numis Tarenti, Metaponti & Heracleæ. Addo Syris unam tantum certam monetam, & hanc æream prodiiſſe induſtria Pellerinii, z) hic ΛΑ, illic

z) Suppl. III. pl. III. n. 8.

Tabvla IV. N. 6. & 7. illic ΣΕΙΡΙ inſcriptam. E reliquis duabus, quas Pellerinius eidem urbi addixit, alia potius eſt Corcyræ inſulæ: *a*) alia nondum perſpecta. *b*)

Alterius ſummæ artis deliciæ. E typis Nolam vel Neapolim auguror, quamvis in copioſis Neapolitanorum argenteis Apollo necdum viſus fuerit, ſæpiſſime viſus in æreis. Campaniæ aperte admonet bos humana facie, ſymbolum dilectum Campaniæ & Siciliæ populis, quos ea forma exhibuiſſe fluvios ſuos multis argumentis adſeruit Exc. Torremuzza. *c*) Et hanc docti Principis ſententiam, ni fallor, evincunt Aluntinorum Siciliæ numi, quorum unum, ut res omnibus pateat, quoad averſam partem proferam, quæ ſola facit ad præſens inſtitutum.

Æ



Vides biformem taurum plurimam aquam ore evomentem. Num clarius deſiderari poteſt fluminis indici-

a) l. c. n. 9. *b*) l. c. n. 10. *c*) Sic. Inſcr. Nov. col. xxv. & Agg. III. p. 169.

dicium? Et quam apte flumen adeſt, Aluntinorum in æere, quorum mœnia Chydas adluebat? Ut adeo ſimul elucefcat & vera monſtri ſignificatio, & qui ſub eo lateat fluvius in eorum pecunia. Non poſſum non mirari, neminem antea mentem advertiſſe ad hos Aluntinorum numos, in quibus aquæ fluminis inſtar, ex ore monſtri fluunt, cum tamen vel ſoli hi numi dirimere videantur diu agitatam inter Eruditos litem de ſenſu tauri biformis, qui toties recurrit in numis Magnæ Græciæ, & Siciliæ. TABVLA IV. N. 6. & 7.

BERT CEV BIRT BRVTTIORVM.

Pagurus, ſub quo Phœniciæ literæ Beth & Koph. N. 8.
)(Signum dubium. AER. III.

Hic numus quoad typos, metallum, molem, artisque rationem ei ſimillimus eſt, qui alias a nobis editus Bruttiorum urbis nomen Bert, ſive Birt, quatuor Phœniciis characteribus exprimit; hinc ejusdem urbis non immerito cenſetur, quamvis epigraphe differat. Alius inter Phœnicios Arigonii *d*) easdem offert, ſed aliter diſpoſitas duas literas, nimirum Koph ante Beth. Porro ejus ectypon in hoc peccat, quod gradientis homi-

d) P. III. Tab. III. n. 24.

TABVLA IV. N. 8. hominis figuram exhibeat. Eadem oculorum illuſio videtur locum habere etiam ratione numi præcedentis. Nos alibi mentem noſtram aperuimus de ſigno difficili & male expreſſo in ejusmodi numis noſtri muſei.

CORSICA INS.

N. 9. Caput muliebre velatum)(Litera ϙ. Tres ariſtæ, & duo globuli. AER. III.

Corſicæ, illuſtri inſulæ, navem adpellò, cui hactenus nullus in Republica numismatica locus fuit. Italiam pertinere præſentem numum liquet ob geminos in area globulos. Panormo Siciliæ duos non magnopere diſſimiles inſeruit Paruta. *e*) Longius aberravit Pellerinius, qui talem duabus ariſtis & litera ϙ, ſed nullis notatum globulis Corintho addixit. *f*) Domeſticos in Corſica tam hos, quam meum quod exiſtimem, ſequēntia ſunt momenta.

Artificium numi ſubrude multum abhorret a Magna Græcia & Sicilia, potiſſimum Syracuſis, quibus ϙ favere videtur: contra vero congruit æreis numis Sar-

e) Sicil. Tab. v. n. 46. & 50. *f*) Rec. de Méd. T. I. pl. XVII. n. 17.

Sardiniæ, inſulæ prope Corſicam, quibus laudatur SARDUS PATER. TABVLA IV. N. 9.

Cl. Eckhelius Sardiniæ argenteum deſcripſit ſimilibus utrinque typis conſignatum. *g*) Proximæ autem inſulæ ſimilis ingenii numos fabricarunt.

Litera ϙ ſeu Koph haud dubie indicium eſt patriæ. Corinthum par globulorum: Magnam Græciam & Siciliam reſpuit artis ratio; nec unam certam ex innumeris Syracuſarum monetis novi, quæ cum hac conveniat ſpectatis utriusque partis ſymbolis. Coſſuræ numi toto cœlo a noſtro diverſi. Aut Corſicæ proinde adhære, aut aliam cedo inſulam Italiæ nomen a Koph auſpicantem, cui adhærendum ſit potius.

Alioqui nullo pacto veriſimile, tam magni nominis inſulam caruiſſe moneta propria, aut ſi non caruit, nullam ad nos perveniſſe.

Has rationes qui perpenderit, non temere me pro Corſica ſtare fatebitur, præſertim nullis mihi ſaltem compertis momentis, quæ aliud ſuaderent. Tres ariſtæ, averſa parte numi noſtri conſpicuæ, neminem qui-

g) Cat. Muſ. Cæſ. P. I. p, 47.

TABVLA IV. N. 9. quidem offendere debent, propterea quod eam inſulam *aridum & ſpinoſum ſaxum* increpet Seneca.*h*) Pari cenſura quidam auctores Myconum Ægæi maris perſtringunt; tamen in ejus ære duæ ſpicæ germinant apud Eckhelium.*i*) Minus etiam turbant adjecti globuli, monetæ pretium aut valorem indicantes. Iis non ſola Græcia Magna & Sicilia uſæ, verum etiam aliæ Italiæ inſulæ, ut Lipara. Cur non & Corſica? Antica parte Corſen, bubulci filiam, exhiberi puto, quæ inſulæ nomen fecit. Et ſane ea eſt mulieris facies atque ornatus, qualis bubulci filiam mirifice deceat, & non obſcure fateatur.

COSSVRA INS.

N. 10-14. Ad finem prioris partis pag. 256 exhibuimus numum, cujusmodi Barius & Joan: Clericus Serpæ, Maffejus Gadibus, Barthelemius Hiſpali in Hiſpania, Bayerus Coſſuræ vel alteri ex adſitis inſulis adjudicant. Quo talium numorum patriam facilius eruat atque ſtabiliat alius felicior, quos ab eo tempore rurſus nacti ſumus, conjunctos placuit proponere. Primus ad Laum Lucaniæ inventus eſt. Etiam reliqui ex Italia ad nos

h) Conſ. ad Helv. c. VIII. *i*) Num. vet. T. x. n. 15.

nos delâti. In Hiſpania vix reperiri crediderim; nam fuere Florezio incogniti, qui omnem Hiſpaniæ monetam tribus voluminibus congeſſit. TABVLA IV. N. 10-14.

DACIA.

IMP. GALLIENVS P.. Laureatum caput Gallieni) (PROVINCI. DAC. AN. X. Genius Daciæ capite galeato ſtans ſingulis manibus tenet vexillum: ad pedes hic aquila roſtro ſertum tenens, illic leo. AER. II. N. 15.

Inter XXIX, quos poſſideo, Daciæ numos hic ſcalptoris cælo non indignus videbatur, quippe ſolus, qui ejus provinciæ genium galea conſpicuum ſiſtat, coopertum alias patrio pileo, qui fere mitræ Phrygiæ ſpeciem mentitur. Non eſt tamen, cur galeatam mireris Daciam, cujus incolæ

Prodiga gens animæ, ſtudiisque aſperrima belli.

De annis in ejus ære notatis, de Legionibus V & XIII, quarum numeri plerumque vexillis inſcripti, earumque de ſymbolis leone & aquila ab aliis dictum. Frœlichius *l*) & Eckhelius *m*) annum quidem decimum, ſed non

l) Quat. Tent. p. 140. *m*) Cat. Muſ. Cæſ. P. I. p. 50.

TABVLA IV. non galeatum provinciæ Daciæ genium viderunt in tali numo Gallieni.

VIMINACIVM MOESIAE.

IMP. M. IVL. PHILIPPVS AVG. Caput laureatum Philippi.)(P. M. S. COL. VIM. AN. XI. Genius urbis ſtans inter leonem & taurum. AER. II.

Annus undecimus Viminacii in numo Philippi? Quid hoc rei? Miraculum auget annus quartus ejus urbis in ejusdem Imperatoris numo noſtro, quem & Mazzolenius citavit e ſcriniis Ser. Card. ab Etruria. *n*) Fuit Viminacium colonia facta tertio imperii anno Gordiani Pii, ut potior videtur Doctorum ſententia. Proinde primus Coloniæ annus concordat Gordiani tertio: Sub eo Imperatore quinque annos in ære ſuo enumerat Viminacium. Quintus communis eſt numis Gordiani Pii, & Philippi ſucceſſoris; unde liquet, Gordianum quinto Coloniæ, imperii vero ſeptimo necdum expleto e vivis ſublatum fuiſſe: Philippum autem eodem anno ſucceſſiſſe. Quodſi vero annus Coloniæ quintus ſub Gordiano poſtremus eſt, & primus imperii

n) Animad. in num. max. mod. P. III. p. 161.

Tabvla IV.

rii Philippi, qui fieri poteſt, ut quartus recurrat ſub Philippo? Par difficultas urget annum undecimum in numo ſupra relato Philippi, præeunte decimo & in numis Philippi, & Trajani Decii, quorum fides ſi quidem certa eſt, arguere licet Philippum occubuiſſe anno deductæ coloniæ x, eodemque ſucceſſiſſe Decium; ex quo facile vides, anno xi. in Viminacenſi Philippi numo locum eſſe non poſſe. Quo pacto igitur occurrendum chronologicis his ænigmatibus? Mazzolenius ut iis emergeret, duplicem excogitabat æram cum Viminacii, tum Daciæ, *o*) cujus numi, æque variis annorum notis inſignes, non abſimiles difficultates pariunt. *p*) Verum præterquam quod nunquam admittenda ſit duplex cujuscunque urbis æra, niſi perſpicua certaque plurium numorum auctoritate nitatur, tam parum illam ſibi conſtare deprehenderis collatis inter ſe numis, ut tertiam inſuper admittere neceſſe foret. Equidem malim ſecare nodum, quam diſſolvendo operam perdere. Artificum veterum ſphalmata videntur iſta, qui, quod ſæpe alias factum etiam in terris cultioribus & rebus magis peccatis, per inſcitiam, nimiam feſtinationem, vel incuriam duorum Imperatorum typa-

o) Hujus generis noſter, Gallieno Provinciæ Daciæ ANNum VI. connectens, viſus etiam Bandurio. *p*) l. c p. 160. & 177.

Tabula IV.

ria conjunxerint, quæ nihil cohærent: aut parum accurati peccaverint in numeris annorum ſcalpendis. Hinc aut Gordiano debetur iconium annum iiii. referens, ſed perperam aptatum Philippo: alterum vero cum anno xi. Trajano Decio, cujus typarii loco feſtinans vel incurius artifex illud præceſſoris Philippi adripuit, Decioque male maritavit; aut ſi peccatum in numeris, facili chalcographi errore in uno numo ſcalptum xi. pro vi: in altero iiii. pro viiii. omiſſo nempe quinario. Similem monetarii lapſum ſufficit Gabalorum in Syria numus Commodi, *q*) notatus epocha ΔC. qualem etiam Pellerinius protulit, ſed L. Veri. *r*) Initium epochæ Gabalenſis ſupputatur ab a. v. c. dccvii. adeoque annus ΔC (cciv) nullatenus cum annis imperii L. Veri, minus Commodi congruere poteſt. Quid facias? Literæ ΔC integræ ſunt, nec ullum adparet veſtigium abſorptæ alterius. Pone, ut poſuit Eckhelius, numerum decadicum in utroque numo ſcalptoris culpa neglectum, & ſublata difficultas; quamquam ſuapte intelligitur ejus remedii tum demum uſum faciendum, quando aliud nullum ſuppetit levandæ difficultati. E dictis conſequitur, incedere chronologos per ignes ſuppoſitos cineri doloſo, qui Daciæ & Viminacii numis utuntur in definiendis regnorum annis Gordiani, Phi-

q) Eckhel Cat. Muſ. Cæſ. p. 231. *r*) Mel. de Méd. T. II. p. 99.

Philippi, & Succeſſorum. Poſticæ partes, ut vidimus, interdum vel alienis ſociatæ anticis, vel annorum notis laborant. Periculum accumulat quandoque unus vel alter numerus ævo conſumtus. Nec raro contigit, ut typarium urgentibus mallei ictibus aberraverit, aberrandoque locum negaverit exprimendis poſtremis annorum numeris. Inde prona errandi occaſio. Quare multa prudentia & circumſpectione opus eſt hac in parte Chronologo. Noſtri numi, hoc loco memorati, integerrimi ſunt, atque AN. IIII. & XI. perſpicue offerunt. TABVLA IV.

*
* *

..VAL. HOST. M. Q... Caput nudum Hoſtiliani.
)(P. M. S. COL. VIM. AN. XII. Mulier verſus ſiniſtram ſtans inter taurum & leonem, dextram expandit, s. tenet cornucopiæ. AER. II.

Priorem epocha, hunc typus averſæ anecdotus commendat. In Decii numo, qui prima parte continetur, æque Viminacienſis Genius, alio licet habitu propoſitus, dextra prætendit cornucopiæ, quo rerum abundantiam, patriique ſoli ubertatem indicari diximus. Sed locus Virgilii ibidem citatus Georg. L. I. V. 102.

TABVLA IV. ad rem non eſt. Neque enim Poeta de Mœſia loquitur, ſed de Myſia Aſiæ provincia, ut intelligitur ex adjectis Gargaris, urbe & monte Myſiæ.

Non injucundum cernere noſtro muſeo Viminacii numos LXVI. qui quidem univerſi certæ fidei, tantum non omnes egregie ſervati, plures ſingularibus typis illuſtres, nequaquam ſecundum Auguſtorum ſeriem, ſed coloniæ annos adſcriptos, ordine ſuccedunt. ANNO I. II. & III. ſignati præſto ſunt Imperatoris Gordiani Pii. AN. IIII Gordiani & Philippi Sen. AN. V Gordiani & Philippi S. AN. VI & VII Philippi S. AN. VIII Philippi S. Otaciliæ, & Philippi Jun. AN. VIIII Philippi S. AN. XI Philippi S. & Decii. AN. XII Decii, Etruscillæ, Herennii, Hoſtiliani, Treb. Galli, & Voluſiani. AN. XIII Galli & Voluſiani. AN. XIV Galli, Æmiliani, & Valeriani. AN. XV Marinianæ. AN. XVI Gallieni. Profecto inſolens, deſiderari in tanta Viminacienſis pecuniæ vi annum X. tametſi multis abhinc annis nihil non egerim potiundi numi gratia, qui eum annum profiteretur. Inſolentius, ne videre quidem talem mihi hactenus licuiſſe, cui licuit fortaſſe mille Viminacii numos hiſce oculis & manibus tractare. Magis etiam inſolens, hujuſmodi reperiri apud neminem auctorem, præter Vaillantium. Nullos Bandurius & Harduinus

ipſi

TABVLA IV.

ipſi viderunt, ſed tantummodo vadem Vaillantium citaverunt. *s*) Arigonius, Theupolus, Pellerinius nec unum habuere. Qui ab Eckhelio ſub ANNO X. recenſentur Trajani Decii, *t*) ambo attriti dubiam epocham objiciunt, & ſi attentius conſideres, quemadmodum ego conſideravi, potius ANNUM XI. vel XII e reſiduis veſtigiis colliges. Hæc cogitanti mihi ſemel atque iterum obortum eſt dubium, an exſtent reipſa numi anno Coloniæ decimo ſignati; & fere negaverim, ni Vaillantius, graviſſimus Auctor tales plurium enumeraret Auguſtorum & Auguſtarum, Philippi Sen. Otaciliæ, Philippi Jun. Trajani Decii, ac Etruſcillæ. *u*) Num toties Vir bonus dormitaverit, deluſus oculis? Poſſibile, in laudatis ab eo Decii ac Etruſcillæ numis poſtremum numerum I vel II. poſt X. obliteratum fuiſſe, aut non expreſſum iconio ſub ictu mallei nimis dextrorſum declinante, unde ei capiendo ſpatium defuit, ex quo facile contingere poterat, ut qui revera XI. vel XII. fuerat, X annus intuentis oculo adparuerit. Enimvero ſimile quid ſpectatis numis utriusque Philippi & Otaciliæ ſupponi nequit; nec ſatis video, cur numos nullos anno decimo ſignaverit Viminacium. Res digna

Eru-

---

s) Prior. P. I. p. 20. Alter. Op. ſel. p. 176. *t*) Cat. Muſ. Cæſ. p. 51. *u*) Num. Colon. variis locis.

TABVLA IV.

Eruditorum attentione. Mihi ſane gratiſſimum fuerit ſin minus videre hujus generis monetas, certe intelligere ab idoneis auctoribus indubiam earum exiſtentiam, potiſſimum quæ Philippis ac Otaciliæ annum x. conjungant.

THRACIA.

COSSEA. SIVE COSA.

Cui non cognitæ monetæ aureæ, quarum una parte Conſul duobus ſtipatus lictoribus procedit ſubſcripto nomine ΚΟΣΩΝ: altera ſertum tenet aquila, cujusmodi quatuor muſeum noſtrum continet? De iis laborant Golzius, Triſtanus, Patinus, Harduinus, Begerus, Liebeus. Verum ut fit in rebus dubiis, ſententiæ variant eorum de patria. Pars maxima pro Coſis Etruriæ ſtant. Contradicit Harduinus, qui nihil non contradixit, & docta pro more ductus vertigine in Syriam uſque abripitur. Equidem ut lepidam Harduini non probo ſententiam: ita Coſis Etruriæ repugnaſſe laudo; nam in hoc & meum facit, & Jove judicat æquo. Profecto multa ſunt, quæ a Coſis prædictis, imo ab omni Etruria longiſſime avocent. Pauci hujus generis numi ſpectantur in muſeis Italiæ, nec ibi frequentius

tius eruuntur, minimum in Etruria, ut ex ejus regionis amicis didici, quos eam ob rem ſemel atque iterum conſului. Porro artis ratio Etruriam reſpuit, magis etiam nobile metallum. Nulli, ni fallor, uſque in hanc diem cogniti Etruſcorum numi aurei, ne quidem earum urbium, quæ longe opulentiſſimæ, potentiſſimæque fuerunt, quamvis argenti ſignati copia ſuperet, potiſſimum Faleriorum. Quis crederet ſolos Coſanos procudiſſe auream monetam? Et Coſanos, ſi Faliſcis compares, obſcuri nominis, tenuisque fortunæ? Et procudiſſe tanto numero? Enimvero ne procudere quidem potuiſſe controverſos numos aureos, prope certum habeo. Vellejo Paterculo teſte, fuit Coſa Colonia Romana facta novem annis ante primum bellum Punicum una cum Pæſto Lucaniæ. *x*) Conſtat, jus nullum fuiſſe coloniis feriundi auri atque argenti, ſed ſolum æris; *y*) quapropter etiam Pæſti, a quo tempore coloniæ jura recepit, nulli numi exiſtunt, niſi ærei, & latine loquentes. Quod ſi ita eſt, conſequitur aureos ΚΟΣΩΝ, ſi Coſanorum Etruriæ forent, feriri debuiſſe, quando nondum Romanis obnoxii fuerant, ſed integra libertate gaviſi. At iſtud credere vetat Conſul inter duos

x) L. I. C. XV. *y*) Excipe Nemauſum Galliæ.

TABVLA IV. duos lictores incedens; namque typus hic omnino Romanus eſt, eique ſimillimus, quem M. Bruti, Cæſaris interfectoris, denarii offerunt inſcripti una parte LIBERTAS: alia BRVTVS, quorum tanta eſt ſpectato typo adfinitas cum aureis ΚΟΣΩΝ, ut hos atque illos eodem tempore fabricatos veroſimillimum ſit, fatente quoque Liebeo, Coſanorum Etruriæ fautore.

At, inquies, ubinam ergo gentium domeſtici, ſi non ſunt Coſæ in Etruria? Oriundos e Thracia vel Macedonia vetus eſt opinio mea, nec ſuis deſtituta argumentis, imo gravibus innixa. Redundant his numis Auſtriæ & Hungariæ muſea, indigent Galliæ atque Italiæ. Quid iſtud? Nempe quod magno numero identidem ad nos ferantur ex Hungaria inferiore, ut propria edoctus ſum experientia. Ea res primo animum meum advertit, ac incitamento fuit, ut Etruriæ diffiderem. Valedixi penitus, ab oculatis auctoribus inſtructus, fere indies hodiedum occurrere hos numos in Tranſilvania, eoque deportari frequenter e vicinia. Unus inſtar omnium ſit nobis teſtis Exc. Dominus Baro Bruckenthalius, Tranſilvaniæ Gubernator, pecuniæ priſcæ dives doctusque poſſeſſor, qui literis ad me datis ejus rei fidem certam fecit. Adhæc vel ipſa metalli nobilitas & copia invitat eas in terras. Quis enim

enim ignorat veteris Daciæ, Thraciæ, & Macedoniæ auri atque argenti fodinas, quas uno ore celebrant ſcriptores veteres? His itaque indiciis tantum non certo tenemus, cui terrarum tractui debeantur numi ΚΟΣΩΝ. Cui debeantur urbi ejus tractus, nunc libet inquirere. TABVLA IV.

Diu per omnem Daciam, Thraciam & Macedoniam, fruſtra quæſivi Coſam, vel adfinis nominis urbem. Tacuere veteres Geographi. Occurrebat tantum apud Ælianum de Nat. Anim. L. XV. C. XXV. Thraciæ fluvius κοσσινιτης. Tandem incidi propitiis Muſis in Stephanum Byzantium, qui in voce ΚΟΣΣΕΑ (nomen eſt partis Perſiæ) ſubjungit: εςι και Θρακης πολιχνιον: *eſt etiam Thraciæ oppidulum;* atque huic loco videtur nomen dediſſe aut debuiſſe paulo ante citatus Coſſinites, qui per Abderitarum agrum in Biſtonidem lacum ſe exonerat. Ei urbi tanto lubentius placet adhæreſcere, quod propinquum ſolum multo auro luxuriaverit; quippe μεταλλα χρυσα σκαπτης υλης, *aurifodinæ Scaptes Hylæ*, alterius oppidi haud procul Abdera, laudantur Herodoto, Thucydidi, Euſtathio, aliisque tam græcis, quam latinis auctoribus. Hinc etſi Coſſea, ſive Coſſa, urbs parva fuerit, nihil tamen obſtat, quo minus frequentem pecuniam auream ſignaverit ob pro-

TABVLA IV.

ximas aurifodinas. Simillimum præbet exemplum Damaſtium Epiri. Ejus oppidi altum apud veteres ſilentium. Unus Strabo jejune indicavit *αργυρια τα εν Δαμαστιῳ*, *argenti metalla in Damaſtio*, quin definierit, ſitne mons, an *χωριον*. Nihilominus ΔΑΜΑΣΤΙΝΩΝ complures exſtant, & majoris quidem formæ numi argentei. Nomen urbis quidem, ΚΟΣΣΕΑ ſcriptum Stephano, parum angit. Auctorem e numis corrigere malim, facileque crediderim, eam urbem revera vocatam fuiſſe Coſſam ſive Coſam, aut utroque modo, Coſſeam & Coſſam. Norunt omnes, quam varient urbium nomina cum in libris, tum veterum monumentis; atque ipſa Coſa Etruriæ aliis una, aliis duplici ſibillante ſcribitur.

Pene temerarius fio. Parum contentus indagaſſe primo regionem, poſtea urbem, unde numi illi oriundi, ultra progredior auſurus edicere, quo tempore, quave occaſione, & cujus imperio lucem viderint. Quid multa? Fabricatos arbitror juſſu M. Bruti & C. Caſſii, dum in Thracia & Macedonia bellum civile adminiſtrarent adverſus Octavium & Antonium, terminatum gemino prælio in campis Philippenſibus. Hujus judicii ratio fundatur typo proceſſus conſularis, quem ejusdem Bruti monetæ referunt, quæ Cæſare ſublato, vindicataque

que republica ſtatæ hic libertatis imaginem & nomen: illic L. Junium Brutum, regum expulſorem primumque Conſulem, ad quem Marcus genus ſuum ferebat, inter duos euntem lictores exhibent. Tanta typorum adfinitas eandem occaſionis & temporis rationem liquido arguit. Nihil itaque tam veri ſimile, quam in aurifera Thracia, ubi bellatum, feriri juſſiſſe Brutum in ſtipendium militis Romani, cui præerat, copioſos illos aureos atque argenteos numos z) ad exemplar denariorum, quos modo citavimus. Hac ſtante ſententia nihil non planum atque perſpicuum. Mirari jam deſines tot ſuperare nobiliſſimi metalli numos, & adeſſe obvios in noſtratibus muſeis. Simul typorum ſenſus patet, quem jam Liebei penetravit ſagax ingenium. Quin & hiulci commatis perſpecta cauſſa. Quis elegantes deſideret numos in Thracia cuſos, ea qua diximus ætate, rebusque civilis belli tumultu turbulentis, nec moram patiente urgentis temporis neceſſitate? Hæc ſane tam ponderoſa videntur momenta, ut fixum mihi ſit atque propoſitum, non excedere Thracia, niſi quis vi & machinis me inde ejecerit.

TABVLA IV.

z) Sunt argentei quoque ΚΟΣΩΝ numi, ſed aureis multo pauciores.

TABVLA IV.

MARONEA.

N. 16. ΚΟ..ΑΜ.. Bipennis: ſuperne caduceus.)(ΕΠΙ. ΔΗΜ..Ο. Vitis quinque botris gravis intra quadratum. AER. II.

* * *

N. 17. Bipennis, & literæ fugientes.)(Uva. AER. II.

Moleſte accidit, laborare epigraphen amborum numorum, quorum ingens craſſities. Sunt tamen, quæ Maroneæ in Thracia cuſos indigitent criteria. Ejus urbis vino maxima gloria apud veteres; unde fit, ut in ejus numis ſæpe vitis quatuor vel quinque botris onuſta turgeat. Nec raro multiplex magiſtratuum mentio, etiam diſſimulato urbis nomine. Talis argenteus Theſauri Brandeburgici, qui intra quadrum vitem continet, ac epigraphen ΠΟΣΕΙΔΙΠΠΟΣ. in cujus interpretatione egregie deceptus eſt Begerus. *a*) Apud Eckhelium *b*) & Pellerinium *c*) ſimiles numi eidem typo adſcribunt ΜΗΤΡΟΔΩΤΟΣ. & ΕΠΙ. ΚΑΛΛΙΚΡΑΤΕΩΣ. In priore e noſtris procul dubio legendum ΕΠΙ. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ. Verum

a) T. I. p. 273. *b*) Num. vet. T. V. n. I. *c*) Rec. des Méd. pl. XXXV. n. 29.

Verum alterius partis epigraphe mutila negotium faceſſit; neque reſiduis e literis ΚΟ ΑΜ ullo pacto ΜΑΡΩΝΙΤΩΝ nomen elicias. Et bipennis, Amazonum plerumque ſymbolum, ante non viſa in Maronitarum pecunia, alias Tenedo peculiaris, quamvis & Mylaſis placuit Labradæi Jovis gratia, cujus religio in Caria viguit. Exſpectandum, uſque dum benignam opem his ferant alii numi magis integri, quos ætas proferet. TABVLA IV. N. 16 & 17.

THASVS INS.

Caput Bacchi diademate, hedera & corymbis ornatum: areæ impreſſa nota continens literas -ΩΤΗ.)(ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ. ΣΩΤΗΡΟΣ. ΘΑΣΙΩΝ. Hercules d. clavam, s. leonis exuvias; in area monogramma. ARG. I. N. 18.

* * *

Similis, cujus averſæ nota incuſa, complectens literas ΗΡΑΚΛΕ. ARG. I. N. 19.

Qui Bacchum & Herculem ſiſtunt, obvii ſunt Thaſiorum tetradrachmi. E ſedecim noſtris hi duo eminent, incuſis notis memorabiles. Una literas includit -ΩΤΗ. (ΣΩΤΗΡΟΣ) Altera intra quadrum oblongum

nomen

TABVLA IV. N.18&19. nomen ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ. Quæ talium fuerit incuſarum notarum ratio, perquiſivit, aliisque accuratius oſtendit Pellerinius. *d*) Proinde huic argumento cum immorari inutile foret, in medium proferemus alias obſervationes, quarum tempeſtive monet rude artificium numi ſecundo loco propoſiti.

Exiſtunt hujusmodi minime pauci tetradrachmi, qui ΘΑΣΙΩΝ nomen jactantes plurimam, imo qui extremam barbariem ſpirent. Hos qui a Thaſiis fabricatos crediderit, næ is iratum ſentiat Apollinem Monetam. Eorum numi, florentibus rebus ſtantique libertati coævi, ſatis præſtantes ſunt, quidam adeo elegantes; nec artifices imperitos arguunt, quos Imperatorum ætate cuſos tenemus. Itaque non decet rudes illos, utut ΘΑΣΙΩΝ numina nomenque ſimulantes, iis inſularibus imputare. Quibus igitur? Haud dubie incultis gentibus, quæ ſerius Dacia, Macedonia, Thracia potitæ, cum ipſis ingenium non eſſet excogitandis numis, quos ſingulis diebus frequentes in terris occupatis inveniebant, imitabantur, ut poterant. Hæc miſeri artificii cauſſa, hæc inſcriptionum, quarum literæ turbatæ, informes, aliquando fere punctis tantum conſiſtunt. Et auſim Jovem lapidem jurare, in horum cenſum

d) Mel. I. p. 140. Suppl. II. p. 61. 84. & 91.

ſum pertinere pariter tetradrachmum, quem Thraciæ regis Cotyos v. ſuſpicabatur Cl. Cary. *e*) το ΧΑΡΑΚ-ΤΗ ΚΟΤΥΟϹ manifeſta eſt imitatio epigraphes ΗΡΑΚΛΕΟΥΣ ΣΩΤΗΡΟΣ, atque ut illum, ſic reperi complures pro nomine ΘΑΣΙΩΝ in ſegmento ſolis punctis notatos. Eadem conditio argenteorum ΙΝΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ, qui elapſo anno in Tranſilvania magna copia eruti ſunt, multamque barbariem præſeferunt, ceterum ſimillimi tetradrachmis boni commatis cum epigraphe ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ. Operæ pretium fuerit averſam partem unius, qui ex his in noſtrum muſeum commigravit, cum Eruditis communicare, ut ſuis ipſi oculis ſervilis imitationis exemplum intueantur.

TABVLA IV. N. 18 & 19.

AR



Ecquid vides ineptum laborem, literas male ductas, ΙΝ pro ΜΑ licentia barbara contractum, de reliquo ſpe-

ctatis

e) Hiſt. de Rois de Thrace p. 76. pl. II. n. 10.

TABVLA IV. N. 18 & 19. ctatis & typis & epigraphe evidenter compoſitum ad normam ſimilium numorum egregii operis, cujusmodi omnium manibus teruntur?

Non aliter mihi crede, ſentiendum de tot Philippi II. & Alexandri M. numis argenteis, quorum ars peſſima, & male ſana inſcriptio ſpectantium oculos offendunt. Eorundem barbarorum barbari partus ſunt, editi ad exemplar prædictorum regum pecuniæ, quam iis copioſam ſuppeditarunt Macedonia, finitimæque provinciæ ſubactæ. Numi tales perobvii, nec rarus ille in noſtratibus muſeis, qui Pellerinio videbatur aut Theſſalonicæ, aut Theſpiis cuſus. *f*) Ut vidi, agnovi factum ad imitationem ſimilium numorum Alexandri M. Antica pars mutuata ex aureis, qui pro more galeatum Palladis caput exhibent: poſtica e tetradrachmis, quibus Juppiter inſidet. Epigraphe rudis æmulatur nomen ΑΛΕΞΑΝδρου. In explicandis ejus generis numis nolim admodum inſudes, ni oleum & operam perdere cupis. Hac de cauſſa neque ego magnopere laboro de

TABVLA V. N. 1. argenteo anecdoto, cujus ectypon ſubſequitur Thaſios numos. Characteres in eo prorſus inſolentes ſunt, ac prope ad ſpeciem eorum ficti, quos Etruſcos communiter vocant. Effigies anticæ partis mentitur Lyſima-


f) Suppl. p. II. pl. I. n. 4.

machum; & cum effoſſus in Dacia, atque inde ad me delatus fuerit, aut illic, aut in vicinia malleum ſubiiſſe videtur. Nonnulla huc facientia priore parte congeſſimus, ubi etiam Sponſiani & Druantillæ, ceu Dryantillæ numis in eodem terrarum tractu locum adſignavimus. Verum enim vero ab eo tempore cum plura in mentem venerint de Sponſiano & Dryantilla, forte non indigna, quæ in medium proferrentur, quid prohibet alioquin e via digreſſis evagari amplius, ac de utrisque ſermonem repetere? ſubjiciamus igitur, quas fecimus,

TABVLA V. N. I.

OBSERVATIONES IN SPONSIANVM ET DRYANTILLAM, AC VTRIVSQVE NVMOS.

Sponſiani numi ex auro ſunt, ſimiles omnes, nec hactenus dati in publicam lucem. En igitur eorum ectypon!



TABVLA V.

Sponſianus e ſolis his numis cognitus, quis fuerit, definiri nequit; imo vero num fuerit, dubitare licet; & dubitandi anſam præbent ipſi hi numi. Averſa e denariis Familiæ Minuciæ, nempe C. Augurini, deſumta eſt, & tam belle priori parti convenit, quam fluctibus aper. Radiatum caput iisdem fere oris ductibus ſpectatur in aureis barbaris maximæ formæ, qui hic Gordiani vultum & nomen, illic Martem, proponunt adjecta inſana epigraphe: MLETHRM. PROPVGNATOREN. PII pro MARTEM PROPVGNATOREM. Ipſum nomen Sponſiani difficultatem parit. Quid enim ſibi vult inſipidum IMP SPONSIANI? Si tyranni nomen hoc, oportebat utique ſcribi: IMP. SPONSIANVS, nequaquam SPONSIANI. Et cur abeſt poſt nomen tyranni ſolitum AVG? Ad hæc in ſimili aureo legitur IMP. S. PONSIAN, ni fallit Muſei Franciani Deſcriptio; *g*) ut adeo & initium nominis, & finis æque laborent. Profecto hæ periſtaſes parum favent Sponſiano, & ſi mente ſimul recogites metallum nobile, rationem artis, ac terras, ubi hi numi reperiuntur, nonne veriſimile fit, eſſe eos eorundem barbarorum abortus, quorum ſunt aurei mox citati nomen Gordiani profitentes, aliique ejusdem metalli, qui alato Romæ capiti adſcribunt: PHILIPHVS. EIVS. AVGG? Nonne juſtus ſuſpicioni locus, *το* SPONSIANI, & S. PON-

g) P. I. p. 66.

PONSIAN. non eſſe denique, niſi artificis imperiti opus ac inventum, ut ſunt inſcriptiones tot aliorum numorum, quos pinque barbarorum ingenium compoſuit ad imitationem Romanæ pecuniæ! Sed mittamus Sponſiani aut mendacium, aut ænigma. TABVLA V.

Sors Dryantillæ mitior. Quibus parentibus nata, quibus uſa fatis fuerit, hæc quidem penitus latent ſilentibus omnibus veterum ſcriptorum monumentis. Enimvero cujus ſit mariti thalamo ſocianda, non obſcura indicia proſtant. Præcedente parte monuimus, ejus denarios in noſtra muſea venire e Daciæ & Mœſiæ tractu. Ibi ergo vixiſſe Dryantillam nemo facile negaverit. Æque certum, ejus numos, quorum mihi quinque in hanc diem cogniti, Gallieni ætatem manifeſto ſpirare. Hæc cum ita ſint, nihil pronius, nihil æquius, quam ei Auguſtæ Auguſtum maritum inquirere, qui ſub Gallieno in Dacia vel Mœſia regnum tentaverit. Ecquis ille? Regalianus. Natus in Dacia, atque oriundus Decebali familia, purpuram a militibus oblatam induit in Mœſia fremente Gallieno, annisque, ut putant, minimum duobus cum laude portavit. Duorum annorum decurſu fuiſſe numos in ejus honorem procuſos, quis ibit inficias? Et vidi reapſe tres argenteos certiſſimæ vetuſtatis, duos in Muſeo Cæſareo,

TABVLA V.

olim comitis Arioſtii, unum in Franciano, *h*) quod MDCCLXXXII. hac urbe Londinum commigravit, emtum gravi ære ab illuſtri Viro Huntero. Mirum, quantus horum Regaliani numorum conſenſus, quæ ſimilitudo ſit cum denariis Dryantillæ. Idem metallum, nempe argentum, eadem forma, idem artificium rude, literarum figuræ pariter in his atque illis male tortæ. Hæ periſtaſes quemadmodum Gallieni ævo, laborantique omni ex parte imperio, incultæque Mœſiæ aptiſſime reſpondent: ita perſpicue produnt & parem numorum illorum ætatem, & communem patriam. Atque inde petenda quoque ratio, quod Dryantillæ & Regaliani denarii primum e noſtratibus cimeliarchiis innotuerint. Singulare & iſtud, utriusque exiſtere denarios, quos vocant, recuſos. Prior, illuſtre Theſauri Cæſarei ornamentum, fuit ante Caracallæ, cujus nomen ANTONINVS adhuc reſtat, poſtea recuſus in numum Regaliani. Alter Dryantillæ, cujus ectypon poſſideo, averſa parte præter ſolitam, ſed adfectam epigraphen IVNONI REGINE oſtentat minoribus literis ƆAR.PIVS, quarum priores non bene dignoſcendæ; unde pariter bis cuſum fuiſſe adparet. Ea utriusque numi ſimilitudo, ſpectata etiam hac periſtaſi, minime negligen-

h) Hunc & unum e duobus C. Arioſtii vulgavit Khellius Subpl. ad Vaill. p. 195.

ligenda videbatur, mihique primam ingeſſit Regaliani mariti ſuſpicionem. Habes igitur momenta nec pauca, nec levia, quæ Dryantillam Regaliani uxorem fuiſſe ſuadeant. Penes Doctos arbitrium eſto, num in me cadant verba Khellii exclamantis *i*) „Felicem antiquarium, „ qui hanc aliquando matronam tyrannorum alicui TABVLA V.

Connubio junget ſtabili, propriamque dicabit.

Unum addere non pigeat, quod attinet numos & nomen Regaliani. Æreos Triſtanus, Strada, & Fulvius Urſinus habent inſcriptos: IMP. C. REGILLIANVS. AVG. Hos ſpurios eſſe jam conſtat, & videtur eorum artifex ſecutus auctoritatem Trebellii Pollionis, cui tyrannus is Regillianus vocatur. *l*) Melius Aurelius Victor, qui Regallianum nominat. *m*) Genuinis numis argenteis uno ore dicitur: IMP. C. P. C. REGALIANVS. Hoc itaque verum ejus nomen.

MACEDONIA.

AMPHIPOLIS.

Caput imberbe tænia revinctum.)(AMΦI. Lampas accenſa. AER. III. N. 2.

Simil-

i) Suppl. ad Vaill. p. 191. *l*) Hiſt. Aug. Script. Ed. Francof. 1588. fol. p. 251 & 257. *m*) l. c. p. 520.

TABVLA V. N. 2.

Simillima tæda ardet in elegante Amphipolis argenteo numo majoris formæ apud Pellerinium. *n*) Typus pluribus civitatibus adoptatus tam Europæ, quam Aſiæ. Nec eadem omnibus cauſſa. Placuit Lampſaco Myſiæ propter nominis adluſionem: aliis ob celeberrima lampadum certamina, quæ in honorem Vulcani, alibi ut Athenis, etiam Minervæ, Promethei, imo & Panos celebrabant, de quibus paſſim veteres, atque e recentioribus Meurſius. Pellerinius hos ludos agnovit in quodam æneo Athenarum numulo, qui duas tædas poſtica parte continet; *o*) ſed in hoc fallitur, quod antica Herculem cum clava videat, cum ſit Vulcanus facile dignoſcendus e forcipe, a tergo prominente, ſiquidem ectypon archetypo fidele eſt; ut adeo ambæ partes præclare cohæreant.

Caput tænia revinctum Agnonis videtur, qui Athenienſium coloniam in eam urbem deduxit, vocavitque Amphipolin, cum ante dicta fuiſſet εννεα ὁδοι, *novem viæ.* Una cum his Athenienſibus etiam Vulcani cultus & ludi Amphipolin commigraverint; ſolent enim coloni patrios deos & ritus in novas ſedes invehere.

ALE-

n) Rec. de Méd. T. I. pl. XXX. n. 21. *o*) l. c. p. 147.

ALEXANDER. M.

TABVLA V.

Caput galeatum Palladis)(BAEIVA. AAEΞN-ΔOA (sic) Victoria d. ſertum, s. tridentem: per aream hic literæ MI connexæ, illic Phœnicum Mem. AVR. III. N. 3.

Solum, ſed ingens hujus numi meritum eſt Phœnicia litera Mem, indicium patriæ, nempe Phœniciæ, aut certe regionis, quæ Phœnicio idiomate & charactere uſa fuit. An vero Marathus, an Mageddo, vel alia Phœniciæ urbs aut inſula, cujus nomen a Mem incipit, eum aureum in Alexandri Magni honorem ſignaverit, id nolim audacius ex unius literæ criterio definire. Ejusdem regis duos aureos, argenteos totidem, ac æreum unum produxit Pellerinius, *p*) ſimiliter Phœniciis characteribus inſignes, quos conſpirante Barthelemio Ace in Palæſtina cuſos exiſtimat. Inſcriptio BAEIVA. AAEΞNΔOA. pro ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. artificem Græcæ linguæ ſat imperitum arguit, novo argumento, noſtri numi patriam extra Græciam ſtatui oportere.

CAS-

p) Med. de Rois p. 12. Mel. I. p. 140. Suppl. IV. III,

TABVLA V.

CASSANDER.

N. 4. Galea.)(K intra quadrum. AER. III.

Numi numorum optimi interpretes. Ita lateret, quæ literæ K quadrato incluſæ ſignificatio foret, ni ſubſidio venirent duo numi apud Haymium *q*) & de Wiſe, *r*) qui hic ſimillimam galeam offerunt, illic ferrum haſtæ, atque integrum nomen ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΚΑΣΣΑΝΔΡΟΥ. Tribus his inter ſe comparatis numis & illum cognitum tenemus, qui Cl. Eckhelio incognitus fuit. *ſ*) Addi poſſit, non abſimilis formæ galeam pendentibus bucculis adeſſe in Orthagoreæ Macedoniæ numis muſei Pembrochiani, & Pelleriniani; quæ res ſaltem pro Macedonia manifeſte facit.

NICOPOLIS EPIRI.

Complurium Imperatorum numi Græci exiſtunt, quorum averſam partem ſolitaria litera A intra ſertum occupat. Eorum, quos equidem poſſideo, duo ſunt, ni fallor, anecdoti, alter Trajani, Aurelii alter. Cui patriæ debeantur, haud ſcio, num aliquis Eruditorum ſtatue-

q) Th. Brit. T. II. Tab. II. n. 3. *r*) Cat. Num. Bodl. T. II. n. 4.
ſ) Cat. Muſ. Cæſ. P. I. Tab. VI. n. II. p. 289.

ſtatuerit. Nicopolim Epiri pertinere, compertum habeo. Ut habeant etiam alii, expedit hujuscemodi ordine recenſere, qui mutuam ſibi operam & lucem communicant.

TABVLA V.

Caput laureatum Trajani. Circumſcriptio detrita)(Sertum, intra quod litera A. AER. II.

..ΑΙΟ.. ΤΩΝΕΙΝΟϹ. Caput laur. Antonini Pii)(Litera A intra ſertum, quod alia corona ambit. AER. III. Meus. Similem Arigonius Ælii Cæſaris habuit, aut habere putavit T. II. tab. XI. n. 109.

Numus Antonini Pii apud Arigonium)(Sertum, cui inſcriptum: AKTI. AER. II. L. C. n. 115.

.ΑΥΡ... Caput M. Aurelii laur.)(A intra ſertum. AER. III. Meus.

Aurelii numus apud Arigonium)(ΝΙΚΟΠΟΛΥϹ (lege ΝΙΚΟΠΟΛΙϹ) intra ſimillimam coronam. AER. III. T. I. tab. IIII. n. 55.

Numus Fauſtinæ Jun. apud Arigonium)(Sertum, intra quod AKTIA. AER. III. T. I. tab. V. n. 69.

..ΤΡΕ. ΓΑΛΛΟϹ. Caput laur. Treboniani Galli)(ΙΕΡΑϹ ΝΕΙΚΟΠΟΛΕΩϹ circum coronam, intra quam ſertum cum litera A. AER. II. apud Arigonium T. IIII. tab. XII.

Tabvla V. ..ΓΑΛΛΙΗΝΟC. Gallieni caput laur.)(Typus & inſcriptio eadem, quæ præcedentis numi. aer. ii. Mei muſei, & Arigonii t. iiii. tab. xviii.

Comparatione facta nihil dubii remanet, hos omnes numos eſſe Nicopolis in Epiro, literamque Α intra ſertum denotare ΑΚΤΙΑ certamina, quæ Auguſtus, Nicopolis conditor, in memoriam Actiacæ victoriæ inſtituit.

ILLYRICVM.

HYLLIS penins: et vrbs.

N. 5. Caput imberbe)(ΥΛ. Navis. aer. ii.

Numus erutus in Illyrico. Si inſcriptio ſub navi ſibi conſtat, & literæ ΥΛ. non magiſtratus, ſed patriæ initiales ſunt, primam Hyllorum, ſeu ut alii vocant, Hylleorum Illyrici monetam tenemus. Impoſitum iis nomen ab Hyllo Herculis filio, cujus proinde faciem anteriore parte repræſentari crediderim, & cum peninſulam habitaverint, patet ſignatæ navis ratio. Erat ejus peninſulæ etiam urbs cognominis, quam Apollodorus vocat πολιν αγανην ὑλληϊδα *amœnam urbem Hylleida*

leida.t) Finio Scymni Chii verbis latine redditis, quæ ut Hyllidis faciem depingunt, ſic dictis faciunt auctoritatem. „His, inquit, juncta eſt Bulinorum gens. Dein„ de vero magna peninſula Hyllica Peloponneſo æqua„ lis habita. Urbes vero in illa ajunt quinque & decem „ Hyllos habitare exiſtentes Græcos genere; Hercu„ lis enim filium Hyllum conditorem accepiſſe. „ *u*) Tam magnæ peninſulæ non ante viſa moneta. TABVLA V. N. 5.

DAORSI.

Caput Jovis videtur)(ΔA. Caper ſtans. AER. I. N. 6.

Is numus Illyridis, unde ad noſtras manus devenit, præſefert omnes characteres. Addicunt artificium, utriusque partis ſymbola, nomen una ſyllaba inſinuatum more Dalmaticæ pecuniæ. Sed cuinam Illyridis urbi vel inſulæ debeatur, hoc opus, hic labor eſt. Vagatus per omnes Adriatici maris inſulas, quibus conſtat placuiſſe capros, & primam tantum nominis ſyllabam in ære ſuo exprimere, nullam reperi, cujus nomen ordiretur a literis ΔA. Quare incaſſum quæſita inſula, cum præſto non eſſet opportunior locus, apud Daorſos Dalmatiæ ſubſtiti. Sunt hi Iſſenſibus ſecundum

 Pto-

t) L. IV. v. 536. *u*) inter Geogr. min. Hudſon. v. 403. ſqq.

TABVLA V. N. 6. Ptolemæum oppoſiti, atque admodum vicini, neque amplius in Geographia numiſmatica incogniti, a quo tempore -ΑΟΡΣΩΝ inſcriptum numum prodidit Eckhelius, *x*) probabiliter ab iis cuſum. Ut Vir doctus obſervat, ea gens Plinio vocatur Daorizi, Straboni Δαοϱίζοι, Polybio Δαοϱσοι. Addo Ptolemæi, & Velleji Paterculi auctoritatem. Illi dicuntur Δαυϱσοι: huic Daoriſi. Poſterioris integrum locum adfero, qui ſimul ejus gentis indolem explicat. „Daoriſi & Deſitiates Dalmatæ ſitu locorum ac montium, ingeniorum ferocia, „ mira etiam pugnandi ſcientia, & præcipue anguſtiis „ ſaltuum pene inexpugnabiles. „ *y*) Si numus ab Eckhelio vulgatus, & hic noſter revera ad eosdem pertinent, ut vero proximum videtur, ſoli ſunt, qui uſque modo in lucem prodierint.

ISSAINS.

N. 7. ΙΣ Diota)(Racemus. AER. III.

*
* *

N. 8. Caput galeatum, utque videtur, modice barbatum.)(ΙΣ Cervus dextrorſum reſpiciens. AER. III.

Ca-

x) Num. vet. p. 95. T. VI. n. 22. *y*) Hiſt. L. II. cap. CXV.

TABVLA V.

*
* *

Caput imberbe nudum)(Cervus ſiniſtrorſum reſpiciens. AER. III. N. 9.

*
* *

Caput laureatum imberbe)(Typus ut ſupra, in area Σ. AER. III. N. 10.

Non ita pridem agniti ſunt numi inſularum Dalmatiæ, quarum ut Iſſa præcipua: ita ſignatæ pecuniæ numero ditior. Noſtra penu conduntur tredecim hujus inſulæ numi æerei, omnes diverſi. Quatuor priore parte vulgavimus, hac totidem addimus anecdotos. Primo inſiſtit diota, cujus explicatio facta ad numum Phari, quæ inſula Iſſæ proxima eſt. Racemum alterius partis interpretatur Agatharchides apud Athenæum; ait namque Iſſenſe vinum aliis bonitate præſtare. z) Neque a tot ſeculis mutatum Adriatici ſoli ingenium. Albertus Fortis, auctor elegantiſſimi operis: *Viaggio in Dalmazia*, teſtatur inſulam Iſſam hodiedum abundare præſtantia vini, olivarum, mororum, amygdalarum

&

z) Dipnos. L. I. p. 28.

TABVLA V. N.7-10. & ficuum. a) Sponio laudata quoque vicina Pharus ob panis & vini nobilitatem.

Galeatum Martis caput, ſecundo numo conſpicuum, haud immerito ſignabant Illyrii continuis præliis Martem fatigantes, cumprimis Dalmatæ, genus intractabile bello. Et horum Mavortiam indolem apertius etiam loquuntur minuti illi numi ærei, qui hic barbatum caput Martis, illic thoracem, Dalmatiæ ſymbolum, objiciunt adjecta epigraphe METAL. DELM. (METALli DELMatici) cujusmodi probabiliter fabricati ſunt in ipſa Dalmatia metallorum feraci,* tametſi Hadriani demum ætate, cujus vultum pro Marte interdum exhibent. De cervo mox dicemus.

Sub-

* In quibusdam Trajani legitur METALLI VLPIANI DELM. Alii ſub Trajano & Hadriano cuſi inſcribunt METALLI VLPIANI PANN. (PANNONici) & MET. NOR. (METALli NORici.) Hi omnes in ipſis provinciis ſignati videntur, quarum nomina referunt. Et vero metallum uſurpatum veteribus etiam pro metallifodina. Sic Livius ait: Perſea cepiſſe annuum vectigal *ex metallis regiis*; (L. XLII. C. XII.) & certis criminibus ſtatuta fuerat *pœna metalli*. Crediderim in metallis ſeu fodinis Dalmatiæ, Pannoniæ & Norici, Trajanum & Hadrianum conſtituiſſe officinas monetarias, ubi hujus generis monetæ, patriam ſuam laudantes, cum & ſine nomine Imperatorum procudebantur.

a) T. II. p. 167.

Subſequentium duorum inſcriptio ætatem non tulit. Tamen utriusque partis ſigna, & litera Σ in poſtremo numo reſidua pro Iſſa facere videntur. Id ſi non fallit, anticæ partis vultum Ariſtæi judico, cujus ingens per Adriaticas inſulas reverentia & varia effigies fuit, ut alibi dictum. Averſa parte cervus reſpicit, animal frequens ut iis in inſulis, ſic earum in numis. Anonymo Ravennati in Adriatico ſinu Cervaria, Plinio memorantur tres Elaphites, nomen a cervis ſortitæ. Quod amplius, in nonnullis numis METALLI DELMATICI cervus conſiſtit, *b*) evidenti argumento, Dalmatiam copioſos cervos genuiſſe, atque ideo in ære ſuo conſignaſſe. Non ſilenda Pellerinii moneta, quæ parum a tertia noſtra abludens fortaſſis ejusdem patriæ eſt. *c*) Circum oram, ut ectypon mentitur, legitur ...ΙΣ ΤΑ... in area ΚΥ; juxta collum cervi hic ΑΡ. illic ΣΙ. At enim Cl. Leblondius a me rogatus rurſus numum examinavit, admonuitque literas ΚΥ penitus deſiderari, e ceteris alias eſſe attritas. Unde dubia epigraphe tanto minus adridet illuſtris Pellerinii ſententia, qui e collectis ſyllabis ΑΡΣΙ Arſinoen, urbem in Cyrenaica Africæ, elicuit. Mihi quidem multo magis probatur Iſſa. TABVLA V. N. 7 - 10.

b) Muſ. Pembroch. P. III. T. 91. *c*) Rec. de Méd. T. III pl. LXXXVII. n. 19.

TABVLA V. N.7 - 10. Iſſa. Quod ſi ſtandum foret pro quadam Arſinoe, ob vicinitatem cum Illyrico mallem, quam Stephanus Ætoliæ, Strabo Acarnaniæ Ætoliam contingenti inſerit.

ILLYRICI REGES.

BALLAEVS.

Illyridis ſolum non infœcundum veteris pecuniæ. Elapſo anno ad Scodram, nunc Italis Scutari, quatuordecim ſimul eruti ſunt numuli ærei ΒΑΛΛΑΙΟΥ nomine inſignes, quos omnes propitia fortuna in noſtras tulit manus. Tantus numerus, cum ante vix unus vel alter innotuerit, materiem dedit nonnullis in eos animadverſionibus, quas paucis ediſſeram.

Inſcriptio plerumque ΒΑΛΛΑΙΟΥ. Rarius additur ΒΑΣΙΛΕΩΣ. In aliquibus ſcriptura retrograda, imo & βυστροφηδον. Unius in area conſpicuum præterea Ε, quod in nullo alio a me obſervatum. Sæpe characteres male, non raro peſſime ducti; quandoque tamen & nitidi, ita ut de certo ΒΑΛΛΑΙΟΥ nomine nihil dubii ſuperſit.

Symbola non omnibus eadem. Anticam ſemper occupat regis caput imberbe ac nudum, jam ad dextram

tram verſum, jam ad ſiniſtram. Poſtica parte nunc graditur vir plerumque ocreatus, dextra præferens facem, quam non nunquam difficulter agnoſcas, ſiniſtra geſtans unum vel duos ſcipiones bene longos, forte haſtas. In aliis ſtat mulier adverſo corpore, pectusque infra mamillas ligamine vincta, dextra prætendens facem, ſiniſtra lateri impoſita. TABVLA V.

Artem quod attinet, maxima pars craſſæ Minervæ opus. Sunt, qui extremam barbariem ſpirent. Unus tamen e noſtris artificii minime ſpernendi.

Illyricum, ubi noſtri effoſſi, ſæpiusque tales effodiuntur, quis horum numorum patriam eſſe neget? Et ſi ita eſt, num erit, quin regem Ballæum ibidem regnaſſe intelligat? Proinde rem acu tetigit Pellerinius, cui conjectura e ſolo artificio petita Illyricum ſuboluit. *d*) Non æque felices Frœlichius, *e*) atque Odericius, *f*) qui prolixe in eos commentati ſunt. Ceterum regem Ballæum eadem premit ſors invida, quæ Philiſtidem Siciliæ, & Oradaltidem Bithyniæ reginas, quarum nomina fatentur numi, auctores reticent.

d) Rec. de Méd de R. p. 201. *e*) Reg. vet. Num. Anecd. p. 119. & Ad Num. reg. vet. acceſſio nova. p. 82. *f*) De Orcitirigis numo p. 18. ſqq.

Tabvla V.


GENTIVS.

N. II. Caput pileo tectum)(Dimidia navis. AER. III.

Erunt, qui me mirentur jactare Gentium, cujus nomen hic numus celat vel nunquam additum, vel per injurias temporis obliteratum. Fateor de eo nondum omnino liquere. Tamen res vero proxima. ΒΑΣΙΛεως ΓΕΝΤΙΟΥ nomen adſcriptum navi, & caput ſimili contectum pileo ſpectatur in ſimili moneta, quæ muſeum Cæſareum ornat. *g*) Cum igitur vultus pileusque eum regem haud obſcure prodant, & averſæ partis ſignum idem ſit, quod occurrit in certo Gentii numo mox citato, ad hæc omnes numi periſtaſes Illyrici aperte admoneant, quis vitio vertat me ſequi partes Gentii? Epigraphe ſi qua fuit, aut regis continuit nomen, aut patriæ. Etiamſi poſtremum ſupponas, id magnopere non angit. Sic numum a Cl. Eckhelio productum, qui hic effigiem Gentii ſiſtit, illic navi adſcribit -ΑΟΡΣΩΝ, *h*) ſive Daorſis tribuas, a quibus ſignatus eſt imperante Gentio: ſive regi, cujus vultum neglecto nomine priore parte repræſentat, perinde feceris. Navis alterius partis occurrit etiam in numis Scodræ, quam Gentii *regni*

g) Eckhel N. V. Tab. VI. n. 23. *h*) l. c. n. 22.

regni totius arcem vocat Livius. Ejus urbis cum nulli antehac numi prodiverint, duos in lucem emitto, quorum ectypa cum plurimis aliis a docto amico Alb. Fortis mihi transmiſſa ſunt. TABVLA V.



Credibile, noſtrum quoque nomismation Scodræ, aut a Daorſis cuſum fuiſſe imperante Gentio.

CEPHALLENIA INS.

PRONOS.

Caput laureatum Jovis.)(Literæ ΠΡ monogrammate junctæ, intra quod pendet uva. AER. III. N. 12.

Cephalleniæ quatuor populos enumerat Thucydides, Palenſes, Cranios, Samæos, Pronæos. Non injucundum horum omnium cernere numos noſtro mu-

TABVLA V. N. 12. ſeo. Palenſium priore parte duos produximus, quorum alius elementum Γ, ac inter ejus crura frumenti granum: alius colligatas literas ΓΑ ſuppeditat. En Pronæorum anecdotum ad eandem normam confectum; nam literas ΠΡ, initiales ΠΡΟΝΑΙΩΝ, pariter connectit, ac intra id monogramma pendentem uvam exhibet. Paruta ſimilem, niſi quod Juppiter oppoſitam partem reſpiciat, Panormo Siciliæ tribuit, *i*) qui error facile condonandus celebri Viro, cujus ætate Palenſes numi, cum Pronæis amice conjurantes, nondum agniti fuerant.

Nunc pauca de Jove & uva. Ait Strabo: μεγιϛον δ' ορος εν αυτῃ Αινος, εν ῳ το τȣ Διος Αινησιȣ ἱερον. *Mons in ea* (Cephallenia) *maximus Ænus templum habet Jovis Æneſii. l*) Ejuſdem montis & Jovis Æneſii meminerunt Heſiodus, & Apollonii interpres. Scimus igitur, cur & cujus Jovis intueamur effigiem præſente numo. Nobilitate vini, quam uva inſinuat, etiam noſtro ævo laudata Cephallenia. Secundum Sponium „elle eſt fer„ tile en huile, vins rouges, muſcats excellens, & en „ raiſins de la nature de ceux que nous nommons rai„ ſins de Corinthe. *m*)

SAME

i) Sicil. Tab. XIX. n. 189. *l*) L. X. p. 700. *m*) Voyage du Lev. T. I. p. 131.

SAME.

TABVLA V.

Monogramma intra ſertum)(Navis, & veſtigia capitis galeati. AER. II. N. 13.

Similem Pellerinius Iſtiæam Eubœæ, *n*) Khellius inter incertos retulit. *o*) Noſter in Cephallenia una cum Pronæorum præcedente numo repertus eſt. Cum per ejus inſulæ urbes conſuetudo valuerit monogrammate occultare nomen ſuum, ut paulo ante diximus, a vero non abhorret, notam ſerto incluſam conſtare literis ΣΑ, puta ΣΑ*μαιων* Cephalleniæ. Ad eum quidem terrarum tractum ſpectare, vix ullus dubito. Noſter id etiam peculiare habet, quod recuſus ſit, priorisque commatis retinuerit caput galeatum, cujusmodi cernitur in anepigraphis, quos Oeniadarum Acarnaniæ putant. *p*)

Priusquam Cephallenia inſula in Epidaurum tranſeam, occaſione data æquum erit ei inſulæ reddere numos, qui hactenus Eruditorum culpa in Sicilia exulabant. Extant nimirum argentei, in quibus homo ſaxis inſidens, & ſcipionem bene longum tenens cernitur adjecta epigraphe ΚΕΦΑ vel ΚΕΦΑΛΟ. Hos Cephalœdium Sici-

n) Rec. de Méd. T. III. pl. XCII. n. 12. *o*) Adp. ad Geſn. T. II. n. 9. p. 71. *p*) Pellerin Rec. de Méd. T. I. pl. XIII. n. 17.

TABVLA V. N. 13. Siciliæ Burmannus, *q*) & poſt eum alii tranſtulere, ſed injuria; quippe indubitato pertinent ad Palenſes Cephalleniæ. In ea inſula, quod ex idoneis auctoribus intellexi, haud raro deteguntur, atque in uno e tribus diverſis, quorum ectypa poſſideo, perſpicue legitur ΚΕΦΑΛΟΣ. Sed longe præſtantiſſimus ille, quem deprehendi in muſeo Canonicorum Reg. ad S. Florianum in Auſtria Superiore. Is juxta caput Cereris præterea urbis abruptum nomen ΠΑ fatetur, quod invident ceteri; unde manifeſte patet, eos eſſe Palenſium, atque averſa parte nomen & imaginem ſpectari Cephali, venationis nemorumque cultoris ſeduli, a quo inſula Cephallenia vocata eſt.

EPIDAVRVS ARGOLIDIS.

N. 14. ..ΝΙΝΟC. Caput Antonini Pii laureatum)(..ΑΥΡΟΥ. (ΙΕΡΑC ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ.) Æſculapius ſedens d. pateram, s. haſtam puram: ad pedes ſerpens. AER. II.

Unicum, qui in honorem cujusdam Imperatoris ab Epidauriis procuſus fuerit, Pellerinius laudat, quem ΙΕΡΑC ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ vulgavit una parte Antonini Pii, altera ſtantis Hygiæ imagine conſignatum. *r*) En alterum

q) Dorvil. Sic. Tab. IX. *r*) Suppl. II. pl. VIII. n. II.

rum non Hygiæ, ſed ipſius Æſculapii ſimulacro nobilem! Longum foret de ejus Numinis apud Epidaurios ingenti religione, magnifico templo, & ludis diſſerere. Has partes executi ſunt alii. Meminiſſe ſufficiat, univerſam Epidaurum Æſculapio ſacram, atque inde ejus cultum longe lateque fuiſſe divulgatum. TABVLA V. N. 14.

THELPVSA ARCADIAE.

Caput radiata corona ornatum)(..A intra ſertum. AER. III. N. 15.

Erunt, qui Pellæ in Macedonia ſignatum malint, cujus urbis exſtant ærei numi intra coronam inſcripti ΠΕΛ. Et noſtra aliquamdiu fuit opinio iſthæc, dehinc mutata non ſine ratione. Caput anticæ partis in dictis Pellæ numis differt; & quod rei ſumma, ſecundum omnes apices huic ſimilem poſſidet Joan. Frid. Wacker, s) inſignem certa epigraphe ΘΕΛ, cujus rei fidem literis ad me datis iterum firmavit Vir doctus, cui ectypon mei numi transmiſi. Hanc ob cauſſam ſpreta Pella merito Thelpuſa, urbs Arcadiæ, anteferenda vide-

s) Sendſchreiben von einigen ſelt. Griech. Münzen S. 8.

Tabvla V. N. 15. debatur. Et fuit Arcadum mos averſæ partis ſignum vel epigraphen coronis includere, quemadmodum videre eſt in eorum numis apud Pellerinium. Radiatum caput, ni Phœbi ſit, Thelpuſæ Nymphæ judico, a qua nomen tulit civitas teſtante Pauſania. t) Polybius & Stephanus ſcribunt τελφȣσσα: rectius θελπȣσα Plinius & Pauſanias, quibus numi ſuffragantur. Autonomus ejus urbis, præter noſtrum, necdum æri inciſus comparuit. Qui Imperatorum gloriantur imaginibus, æque pauciſſimi ſuperant. Si recte memini, ſolum Commodi, Getæ, & Plautillæ recenſentur a Lebretio, Theupolo, & Vaillantio. Omnium epigraphe ΘΕΛΠΟΥCΙΩΝ.

CASSOPE EPIRI.

ΚΑΣΣ... Caput muliebre ornatum corona floribus contexta verſus s.)(Columba ſiniſtrorſum volans intra ſertum. AER. III.

Maximus honos iis anecdotis deferendus, qui numos jam editos illuſtrant, alieniſque terris exulantes in patriam ſuam reducunt. Talis noſter a tribus, quos Khellius, *u*) Pellerinius, *x*) & Eckhelius *y*) licet impari

t) Arcad. L. VIII. C. XXV. *u*) Adp. ad Geſn. p. 60. T. I. n. 14. *x*). Rec. de Méd. T. III. pl. XCIX. n. 42. *y*) Cat. Muſ. Cæſ. p. 128.

pari fortuna vulgarunt, in hoc ſolum diverſus, quod columbam in contrariam partem volantem exhibeat. Primus e Triumviris legit ΚΑΣΣΩ. (Caſſopæorum Epiri) & cum hoc facit numus noſter. Secundus & tertius definite, nihilque hæſitantes venditarunt integram epigraphen ΛΑΜΠΑΙΩΝ, atque adeo pro Lampa Cretæ ſteterunt. Equidem ſemper ſuſpectum habui ΛΑΜΠΑΙΩΝ nomen & urbem. Duobus teſtibus, utut graviſſimis, gravior duorum numorum viſa eſt auctoritas, quorum alterum hic deſcriptum noſtra penus ſervat, alterum a Khellio proditum ſemel atque iterum manibus tractavi, in quibus perſpicuum nomen ΚΑΣΣΩπαιων legitur. Quo tamen liquide conſtaret de vera Pelleriniani numi epigraphe, Leblondium, notiſſimum in republica literaria nomen, literis datis rogavi, ut numum novo examini ſubjiceret. Mox renunciatum, nonniſi ΑΙΩΝ legi, literasque præcedentes eſſe penitus exeſas. Jam Lampæorum fortuna ſolo nitebatur numo, qui Catalogo Muſei Cæſarei deſcribitur. Verum quam mirabar, cum in eo ne ullum quidem veſtigium epigraphes, ætate conſumtæ, deprehenderim! Quæ cum ita ſint, nemo eſt, quin videat conclamatum eſſe de Lampa Cretenſi. ΛΑΜΠΑΙΩΝ quippe nomen cum in numis a Pellerinio & Eckhelio productis nullum ſit, manifeſtum autem ΚΑΣΣΩπαιών in ſimillimis Khellii & noſtræ ſupellectilis,

TABVLA V.

TABVLA V. num dubitare licebit, quin apud Pellerinium, cujus auctoritas feſellit Eckhelium, mutilum nomen ...ΑΙΩΝ ſuppleri debeat ΚΑΣΣΩΠΑΙΩΝ?

Reſtituta epigraphe nova quæſtio oritur. Erat alia Caſſope inſulæ Corcyræ: alia e regione ſita in Epiro: alia pariter Epiri ad montem Pindum verſus mediterraneam. Cui competant memorati numi, facilius interroges, quam ſtatuas ob arctam viciniam, potiſſimum primæ & ſecundæ, quæ ſolo freto disjungebantur. Si averſæ partis columbam viæ ducem ſequimur, præferenda videtur Corcyræa; quandoquidem ea avis frequentiſſime volat in numis inſularum. Khellius quædam momenta profert, cur malit alteram. Elige, quam vis. Mihi Khellium ſequi placuit, quoad aliud alius vel auctor, vel numus docuerit.

CYDONIA CRETAE.

10-Δ.. Caput Juliæ Domnæ.)(..ΔΩ. (ΚΥΔΩ*νιατων*) Luna creſcens. AER. III.

Poſtremum Cydoniæ numum ſub Antonino Pio vidit Vaillantius, nec poſt eum alius, quod ſciam, poſteriorem edidit. Luna cum aſtro lucet etiam in autonomis ejus urbis.

CA-

CARYSTVS EVBOEAE INS.

TABVLA V.

Caput Herculis leonis pelle tectum.)(KA. Tauri caput vittis ornatum: in area monogramma. AER. III. N. 16.

Literas KA Caryſtum Eubœæ denotare probant duo alii numi. Unus z) ſupra tauri caput vittis ornatum ſcribit EY, primam videlicet, EYβοιεων ſyllabam. Alter a) idem Herculis caput repræſentat, & averſa parte integrum nomen ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ. Itaque juvantibus duobus numis tertii patriam perſpicue agnoſcimus. Eorundem inſularium opus eſt etiam argenteus ille pervetuſtus ſine epigraphe, quem Pellerinius inter incertos amandavit. b) Vultus Herculis Caryſtiæ pecuniæ familiaris, ut vidimus; & gallus gallinaceus, qui altera parte quadrato includitur, cantat etiam in ΚΑΡΥΣΤΙΩΝ argenteo apud Eckhelium. c) Tam magna utriusque partis typorum conformitas profecto magis pro Caryſto facit, quam pro Himera Siciliæ, cui favet doctiſſimus Turris Muzzæ Princeps, d) cujus nomen maxima laus eſt.

z) Pellerin Rec. III. pl. XCII. n. I. a) Eckhel. Num. vet. T. X. n. 17. b) L. C. pl. CXV. n. 12. c) L. C. T. X. n. 18. d) Sicil. Pop. vet. Num. p. 35.

TABVLA V. N. 16. De Hercule tauroque Caryſtiorum abunde dictum a ſummis Viris Khellio, *e*) & Eckhelio. *f*) Ceterum licet Caryſtus urbs potens, ac uti Melæ vocatur, *opulentiſſima* fuerit, nihilo minus ejus numos autonomos digitis numeres; adeo pauci ſuperant.

INSVLAE AEGAEI MARIS.

MELOS.

N. 17. Pepo.)(Cornucopiæ, & pilei Dioſcurorum intra coronam. AER. III.

Hujus numi nulla inſcriptio. Sed ejus vices agit Pepo, Græcis μηλος, fructus inſulæ Melo peculiaris, quod inde nomen tulerit ob formæ ſimilitudinem, *inſularum omnium rotundiſſima* ſecundum Plinium. Cornucopiæ merito ſignarunt Melii mira cœli clementia & feliciſſimo ſolo uſi, rerumque abundantia adfluentes ob commercium maritimum, cui plurimum vacabant. Hinc præter cornucopiæ adjecti quoque pilei Dioſcurorum, quos navigantibus propitios ſuperſtitioſa credidit antiquitas. Turnefortius prolixe deſcribit hodiernam faciem, ampliſſimosque hujus inſulæ proventus naturales,

e) Adp. ad Geſn. p. 55. *f*) Num. vet. p. 160.

les, quos inter etiam pepones exquiſiti ſaporis perhibet. Vetus nomen hodieque remanſit. TABVLA V.

SIPHNVS.

ΣΙ. Planta.)(ΕΤ & Tripus intra lauream. AER. III. N. 18.

* * *

ΣΙ. Planta)(Tripus intra lauream. AER. III. N. 19.

Siphnia pecunia multiplex, potiſſimum varietate inſcriptionum. Raro nulla epigraphe, rarius integra ΣΙΦΝΙΩΝ. Plerumque notantur primæ tantum literæ ΣΙ. Additur interdum magiſtratus, imo ſolus laudatur neglecto inſulæ nomine. Poſtremum genus numorum fallax, & obnoxium erroribus. Utamur occaſione, & quosdam Siphni numos binis noſtris ſuperne relatis adjiciamus, quorum alii infeliciter, alii nondum deſcripti ſunt. Juvat eos ſub unum conſpectum cogere, inter ſe comparare, & paucas addere obſervationes.

I. Planta media inter ſyllabas ΣΙ & ΔΗ.)(Tripus intra lauream. AER. III. Pellerin. R. II. pl. LXXI. n. 22.

II.

TABVLA V. N. 18&19. II. Planta.)(ΣΙ intra ſertum. AER. III. Can. Reg. S. Floriani in Auſtria Sup.

III. Planta.)(ΕΥ. Tripus intra lauream. AER. III. Eckhel Num. vet. p. 159. T. X. n. 16.

IV. Columba volans)(corona, cui inſcriptum ΕΥ. AER. III. Ad S. Floriani.

V. Columba volans)(ΘΕΥΦ intra coronam. AER. III. Ejusdem muſei.

Qui hos numos accuratius inter ſe, & cum geminis noſtris contenderit, nullo negotio intelliget, eſſe omnes ejusdem patriæ, nempe inſulæ Siphni. Pellerinium egregie decepit, quem primo loco recenſui. Ratus enim utramque ſyllabam ΣΙ & ΔΗ uniri, legit ΣΙΔΗ*των* Pamphyliæ. Ejus erroris illuſtrem auctorem admonere debuerat alius ab eodem productus, recteque Siphno addictus numus, qui priori omnibus partibus ſimilis eſt demto ΔΗ, quod reticet. *g*) Hæ duæ ſyllabæ, ut ΣΙ & ΕΥ in noſtro numo, cujus ectypon dedimus, multum diverſa ſignificant; videlicet prima initialis eſt ΣΙ*φνιων*, ſecunda magiſtratus. Porro chalcographus Pariſienſis in citatis duobus Pellerinii numis florem, ſive plantam, in avem convertit, cujus revera ſpeciem ingerit. Sed

g) Rec. de Méd. T. III pl. CXII. n. 7.

Sed ea oculorum fraus extemplo diffugit, ſi quo par eſt ſitu, illud ſignum conſideres. TABVLA V. N.18&19.

Secundus anecdotus eſt, ac illuſtrat quartum & quintum, qui eandem averſam habent, ſed pro ΣΙ coronæ laureæ inſcribunt ΘΕΥΦ & ΕΥ, utique magiſtratuum nomina. Si quid dubii forte ſupererit, confer noſtrum paulo ante memoratum, in quo hic ΣΙ, illic ΕΥ legitur. Quarto ſimilem habuit Pellerinius, ut videtur, nonnihil attritum; nam ΓΥ pro ΕΥ legit. *h*) Quintus nondum editus.

Tertium ob binas literas ΕΥ veroſimiliter ad inſulam Eubœam pertinere putabat Eckhelius; ut adeo celebri viro contigerit, quod tam multis contingere ſolet, ut magiſtratus nomen pro urbis nomine haberet. Et quid aliud ſentiret, qui nec habuit, nec vidit numos illos, quos ſupra e meo muſeo recenſui? Nimirum, quod recte, eleganterque dictum a Publio Syro:

Diſcipulus prioris eſt poſterior dies.

POPV-

h) l. c. n. 10.

TABVLA VI.

POPVLORVM ET REGVM
NVMI INCOGNITI.

Solent Numiſmatologi præclaro conſilio numis cognitis incognitos adjicere. Horum ſecutus morem incertos mei muſei adnecto, eos nimirum, qui digni videbantur, ut æreis formis exprimerentur. In pleroſque conjecturas audebo, nihil dicturus de iis, de quibus nihil habeo, quod dicam. Scilicet eundum, qua poſſumus, non qua volumus.

N. 1. Primus argenteus omnes habet ſummæ vetuſtatis numeros. Præter literam T adſcriptam hirco, ſupereſt alterius veſtigium, quo loco foramen hiat. Artificium Theſſaliæ admonet, vel terræ vicinæ.

N. 2. Æreus N. 2. elegans & nitidus. Tamen epigraphes ſecundum elementum dubium eſt. Si revera legitur ΑΞ, forte Axia notatur, cujus nominis urbs alia Locridis, alia Italiæ ſecundum Stephanum Byz. Quod ſi epigraphe ſit ΑΞ, ſive ΑΖ, juvante equo Azorum Theſſaliæ ſuſpicari poſſis, de qua urbe Ptolemæus, Strabo, & Livius. At enim figura ſublatis manibus aliquid faſciæ ſimile ſtringens, aut evibrans, longe alio vocare

care videtur, nimirum in Pamphyliam & Piſidiam, quarum urbes Aſpendus & Selga eodem fere typo uſæ ſunt. *i*) Præterea equum decurrentem videas in numis, quos Termeſſi in Piſidia putant. Incerta omnia. TABVLA VI. N. 2.

Apri Calydonii mandibula, & venabulum propria ſunt numis Ætoliæ, nec tamen ſolius. Iisdem his ſignis delectatæ plures regiones. Quodſi anticæ partis Jano fides aliqua habenda eſt, præſentem numum N. 3. Theſſalonica, vel Amphipolis Macedoniæ ſignavit. N. 3.

Thraciæ vel Macedoniæ cujusdam regis videtur, quem N. 4. propoſui. Confer porro Goltzianum MAKE-*δονων*, *l*) atque alium pariter incertum Muſei Pembrochiani, *m*) qui ſimilis formæ galeam oſtentant. Ejus typo uſi quoque Byzantii. N. 4.

Ut præcedentis, ſic numi N. 5. epigraphe laborat. Reliquiæ ΙΛΙΠ.. an ΦΙΛΙΠΠΩΝ urbis Macedoniæ, an ΦΙΛΙΠΠΟΥ? Et ſi poſtremum, regisne an magiſtratus nomen hoc? Argenteus ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΦΙΛΙΠΠΟΥ, Demetrii filii, non magnopere a noſtro diſcrepat averſæ par- N. 5.

i) Pellerin Rec. II. pl. LXX. n. 5.& 6. *l*) Græc. T. XXII. n. I. *m*) P. 2. Tab. 9. n. 10.

Tabvla VI. partis typo. *n*) Quæ Herma Neptuni vultui incuſa cernitur, ſolennis eſt numis Mytilenes Lesbi.

N. 6. Parum abeſt, quin numum n. 6. Cotyos v, regis Thraciæ, habeam ſuadente argenteo, quem Pellerinius edidit, *o*) inſignem epigraphe ΒΥΖΑΝΤΙΩΝ, & monogrammate ℞ juxta caput Auguſti: altera parte inſcriptum ΕΠΙ ΜΑΤΡΟΔΩΡΟΥ ΗΡΟΞΕΝΟΥ, & pone caput regis K. In meo ſatis perſpicue ...ΛΗΣ ΤΙΜΟΞΕΝ.. Cetera detrita.

N. 7. In ſegmento numi n. 7. ΑΓΕΙ vel ΑΓΕΙ legitur. Id nomen magiſtratus videtur, altero urbis fortaſſis extrito, quod ſuperne adſcriptum fuerit. Si ΑΓΕΙ patriam indicat, eſt cur ΑΓΕΙϛωταν arguas, quorum perinde ac vicinorum Arcarnanum monetæ ſæpe Herculem jactant.

N. 8. & 9. Numi n. 8. & 9. in Illyrico, e cujus viſceribus eruti ſunt, & quidem in Adriatici maris inſulis domeſtici videntur, faventibus inſuper typis & artificio. Sed enim quæ priorem ſignaverit urbs vel inſula, id ne quidem Oedipus divinare poſſit deficiente omni epigraphe. Caper typus quidem Iſſenſis; verum & *capris laudata*

n) Rec. de Méd. des Rois pl. III. *o*) l. c. pl. IV.

data Brattia,p) & Tragurium Iſſæ colonia æque nomen ab hircis tulit, nam τϱαγος Græcis hircus; ut nihil dicam de vicinis urbibus atque inſulis, in quarum monetis hirci laſciviunt. Numi N. 9. averſa pars leonis capite horret. Non puto futurum, qui leones in Adriaticis inſulis quærat. Quid igitur cauſſæ fuerit, quod ejus animalis rictum ſignaverint? Mihi quidem is typus proficiſci videtur a Cnido Cariæ, cujus pecunia frequenter anteriorem partem leonis exhibet. Deduxere nimirum Cnidii colonos in Adriaticum ſinum, cujus rei teſtes Scymnus Chius, *q*) Strabo, *r*) & Plinius, *s*) qui de Corcyra Nigra id definite adſerunt. Ab illis ſimul Græcæ linguæ uſum acceperint Adriatici Corcyræi, ut jam ſuboluit Frœlichio. Quamvis enim Cnidus fuiſſet Cariæ urbs, tamen ut aliæ urbes Aſiæ, Græcis habitabatur, propterea Scyllaci vocata πολις ελληνις. Exinde ſatis perſpicua leonis, & ſi Superis placet, patriæ ratio. Nihilominus ob defectum epigraphes non libet quidquam audacius ſtatuere. Lubentius cum Frœlichio crediderim Corcyram Nigram ſpectare eos numos, qui præter ſyllabam KOP. Satyrum * & Bacchum, aut Victoriam

TABVLA VI. N. 8. & 9.

* Satyrum inquam, non Faunum, ut haud ſatis accurate nominavi priore parte ad numos Thaſi & Corcyræ Nigræ. Faunos Italia peperit, Græcia ignoravit. De eorum & Satyrorum diſcrimine eleganter eruditeque, ut ſolet, agit illuſtris Heyne, Gottingæ, imo Germaniæ literatæ decus & ornamentum.

p) L. III. C. 30. *q*) V. 425. *r*) L. VII. P. 485. *s*) L. III. C. 26.

TABVLA VI. N.8&.9. & aquilam repræſentant, licet ſint, qui Corcyram Phæaciam malint, ut Pellerinius, quem ſequitur Eckhelius Cat. Muſ. Cæſ. Novi quam optime, etiam Corcyræ Phæaciæ numos ſæpe unam tantum ſyllabam nominis profiteri. At vero qui nunc ſolum ΚΟΡ. habent, alias iisdem typis ſociant ΚΟΡΚΥ. vel ΚΟΡΚΥΡΑΙΩΝ, vel unam ex uſitatis ſiglis ℞ aut ℞, quæ Corcyram Phæaciam produnt. Cedo unum e controverſis, qui nominis inſcriptionem tali modo variet, aut τῳ ΚΟΡ. unam e dictis notis ſubſtituat, & nulla mora Corcyræ Nigræ valedicam. Quodſi talem invenire nequeas, novum inde pondus ſententiæ meæ accedit, quam alioquin argumentis minime ſpernendis priore parte firmavi.

N. 10. Aut fallor, aut criterio ex artificio petito Illyridi æque inſerendus numus N. 10. Averſam navis occupat, & bene magna litera A. Inde diſcimus procuſum fuiſſe in quadam inſula vel urbe maritima, cujus nomen ab A incipit. Cetera quod lateant, epigraphes invidia eſt.

N. 11. Haud liberalior numus N. 11. qui pariter ſolam literam A fatetur ſub Amphitrite conſpicuam. Aliqua Italiæ ſuſpicio. Exſtant argentei numuli, qui ſupra idem monſtrum marinum ſcribunt ΑΛΛΙΒΑΝΩΝ Italiæ, cujus-

cujusmodi Pellerinius Alabum Siciliæ, *t*) alii Alipham in Samnio traducunt. Quid ſi litera A noſtri numi initialis eſſet ejus urbis? Antica haud dubie Neptunum refert, quem oris ductus, & capillorum cultus manifeſtant. TABVLA VI. N. 11.

Numus N. 12. Siciliæ videtur. Fruſtra tamen quæras in Exc. Turris Muzzæ Principis inſigni opere, cui titulus: Siciliæ Populorum & urbium, Regum quoque & Tyrannorum veteres Numi. Panormi MDCCLXXXI. fol. N. 12.

Ad numum N. 18. occurrit, quem Pellerinius attribuit Erodis in Attica, *u*) de quibus Suidas. In hoc prima litera Γ nitida. ΠΥΔΝΑΙΩΝ æreis noctua ineſt. *x*) N. 18.

Pene crediderim, numi N. 1. fugientem epigraphen debere legi ΤΗΝΙΩΝ. Conjectura ſi non fallit, antica parte ſpectatur ΗΡΟϹ Tenus, a quo inſula nomen abſtulit. TABVLA VII. N. 1.

Raro videas Bacchi caput botris onuſtum, quale cernitur in numo N. 2. & altero paulum diverſo noſtri muſei. Inſcriptio circa Dei vultum exeſa. Ni prima litera videretur K, Parium Myſiæ placeret, cujus aurei N. 2.

t) Suppl. IV. p. 33. Confer Torremuzzæ *Sic. vet.* Num. p. 11. qui ſequitur priorem Pellerinii Sententiam, & nomen prætenſum ΑΛΑΙΣΑΣ Siciliæ. *u*) Rec. de Méd. T. I. pl. XXIII. n. 22. *x*) Suppl. III pl. IV. n. 10.

TABVLA VII. N. 2. aurei, argentei, ac ærei ΠΑΡ. ΠΑΡΙ. & ΠΑΡΙΑΝΩΝ coronæ hederaceæ inſcribunt, producti a Paruta, Pembrochio, Pellerinio, Eckhelio.

N. 3. Numus N. 3. an ΖΕΦΥϱιωτων Ciliciæ? Sed epigraphe videtur potius ΖΕΦΙ. quam ΖΕΦΥ.

N. 4. Spectato numulo N. 4. multa ΙΕΡΑΠΟΛΙΤΩΝ Phrygiæ ſuſpicio.

N. 5. N. 5. Autonomus coloniæ incertæ, cui ſimilem habuit Arigonius vitiata epigraphe CORNELI... P DASSIDIVS.. *y*)

N 6. Apud Pellerinium Auguſti & Liviæ numi inſcripti ΣΕΒΑΣΤΗΩΝ ΘΕΣΣΑΛΩΝ. *z*) Eandem epigraphen innuere videntur reſiduæ literæ, quas offert meus N. 6. circum Auguſti vultum. Quid quod Pallas Theſſala conjecturam adjuvet? Si ita, poſteriore parte nomen eſt Theſſalorum *ΣΤϱατηγȣ*.

N. 8. Vulcanum ceteris diis rarius Græca pecunia oſtentat. In ea N. 8. malleo & forcipe munitus adeſt. ΚΑΒΕΙΡΟϹ in ære Theſſalonicæ frequenter malleum elevat. Antica pars Sept. Severi effigiem refert.

Tabu-

y) Tom. IV. T. IIII. *z*) Mel. de Méd. p. 5. 16. & 17.

Tabulæ ſex priores ſcalptæ erant, & pars operis typis excuſa, quo tempore Londinò ad me delata eſt *Numorum vet. populorum & urbium, qui in muſeo Gul. Hunter aſſervantur, deſcriptio figuris illuſtrata Lond.* MDCCLXXXII. 4[to.] Cl. Combius, ejus catalogi auctor, duos numos, quos paulo ante Tab. VI. N. 8. & 13. ex incertorum numero habui, pariter depictos dedit, *a*) & quod amplius, definitis urbibus addixit, alterum Ægis Macedoniæ, alterum Pæoniæ provinciæ. Priorem anepigraphum ut Ægas transferret, videtur ſolus caper perſuaſiſſe, quam vagum & fallax criterium! Mihi quidem immotum eſt atque fixum adhærere Illyrico, ubi noſter cum pluribus aliis certo Illyricis inventus eſt, ſuffragantibus porro ſignis & artificio. In altero laudatus auctor legit ΓΑΙΩ. In noſtro literæ fugientes præter O, quæ ſatis manifeſta. Num forte legendum ΠΑΝΟρμιταν Siciliæ? Exſpectandum, quoad alii magis integri certam epigraphen, certamque patriam edoceant. Majore attentione digni, qui citato catalogo inter Arcadum Cretenſium numos proferuntur inſcripti ΑΡΚ & ΑΡΚΑ. *b*) Pellerinius, *c*) Eckhelius, *d*) & ego prima parte p. 111. tales Abderitis in Thracia tribuimus

a) T. 3. n. III. T. 40. n. XXII. *b*) Tab XVII. f. 1. 2. 3. p. 42.
c) Rec. de Méd. T. I. pl. XXX. n. 7. *d*) Cat. Muſ. Cæſ p. 64.

mus ſeducti auctoritate Goltzii, qui juxta protomen muliebrem definite legit ΑΒΔΗΡΑΣ ΚΟΡΑΣ. Equidem Abderitis pridem renuntiavi conſpectis duobus numis ſimilibus, quorum alius muſei privati antica parte literas .ΑΡΚ.. per aream diſperſas, alius Canonicorum Reg. ad S. Florianum in Auſtria Superiore Jovi ſedenti adſcribit pervetuſtis characteribus ∇ΙΚΟΝ; & cum Jovem eodem prorſus habitu, quo in meo numo, conſidentem vidiſſem in aureis Cyrenenſibus adpoſito nomine magiſtratus ΘΕΥΦΕΙ. vel ΘΕΥΦΕΙΔΕΥΣ, *e*) ΒΑΡΚεων Cyrenaicæ conjectura diu mentem agitavit. Enimvero ſi epigraphe ΑΡΚΑ in Hunteri numis non fallit, populique nomen revera continet, quis neget Arcadiam eorum patriam? Verum in hoc diſſentio, quod Peloponneſi Arcadiam malim, quam Cretæ, cui eruditiſſimus Combius, neſcio qua de cauſſa, favit, ni forte, quod Arcades Peloponneſi alias conſueverint monogrammate nomen ſuum indicare; quæ ratio videtur etiam Pellerinium commoviſſe, ut argenteum inſcriptum ΑΡΚΑΔΩΝ Arcadibus in Creta tribueret. *f*) Sed cur non fecerint Arcades Peloponneſi, quod fecere tot alii populi, ac ne Peloponneſo egrediar, quod fecere Achæi & Meſſenii, qui ſæpiſſime monogrammate quidem in numis uſi

e) Pembrock T. V. n. 10. & 11. Pellerin Mel. T. I. pl. IV. n. 9.
f) Rec. de Méd. T. III. pl. XCVII. n. 6.

uſi ſunt, ſed aliquoties etiam pleno nomine ΑΧΑΙΩΝ & ΜΕϹϹΗΝΙωΝ? Porro in certis Arcadum Peloponneſi monetis haud raro Jovis numen adeſt, & ad Pana ſedentem aquila advolat, ut ad Jovem in noſtra; ut adeo potior Peloponneſi quam Cretæ ratio videatur habenda. Verum inquies, ſi Arcadum ſunt numi iſti, quid fiet inſcriptioni ΑΒΔΗΡΑΣ ΚΟΡΑΣ, quam Goltzius prætendit? Confictam crede citra ejus injuriam. Et fuere plures ab eodem confictæ, numisque ſinceris adfixæ inſcriptiones. Ut taceam numos Macedoniæ regum ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΥ ΚΕΡΑΥΝΟΥ, ΜΕΛΕΑΓΡΟΥ, ΑΝΤΙΠΑΤΡΟΥ, ΣΩΣΘΕΝΟΥ, ΑΝΤΙΓΟΝΟΥ ΓΟΝΑΤΟΥ, quorum nomina nemo alius ad hæc uſque tempora in priſca Macedonum pecunia vidit, exemplo eſt Crotonæ argenteum numisma, cui ΑΓΕΣΣΙΩΝ nomen inſcripſit Goltzius, cujus rei jam Eckhelius admonuit præſtanti opere: Numi veteres Anecdoti. Hinc licet auctoritas Goltzii non parum creverit ob bene multos numos, quos aliqui ab eo fictos credidere, ſed noſtra ætas indubiæ vetuſtatis vidit, tamen fides ei caute præſtanda, & præſtitiſſe juſto minorem, quam majorem, multo magis expedit. Sic numi ΚΡΑΝΙΩΝ ab eodem producti *g*) mihi nunc ſuſpecta eſt epigraphe, de qua nihil dubitavi, quo tempore & loco ſimilem mei muſei numum protuli inſcriptum ΚΡ Ξ ΑΝ. Theſauro celeberri-

g) Græc. T. XV. n. 3.

berrimi Hunteri, nuperrime mortui, continetur utraque parte fere ſimilis, ſed ſolum inſcriptus ΚΡ, & Crago Lyciæ tribuitur. *h*) Huic urbi revera patrocinantur utriusque partis ſigna, nempe lyra vultusque Apollinis, & huic adjectæ literæ ΛΥ, initiales Λυκιων, quæ non ſolum in numo Hunteri, verum etiam Goltzii & meo leguntur. * Pondus addit maximum argenteus Pellerinianus, *i*) qui præter eadem ſymbola ΛΥΚΙΩΝ integrum nomen conjungit urbi ΚΡΑΓ. Quid ſi Golzius urbis nomen, quod in numo abruptum fuerit, pro ſuo arbitrio ſuppleviſſet ΚΡΑΝΙΩΝ, aut ita legiſſet pro ΚΡΑΓΙΩΝ? Fatendum in meo numo poſtremum elementum perſpicuum eſſe Ν, adeoque ΚΡΑΝ legi, ſi nempe poſtremam ſyllabam ΑΝ priori ΚΡ unias; ſed fortaſſis ſolæ literæ ΚΡ ad urbem, reliquæ ΞΑΝ ad magiſtratum referri debent. Fuit etiam Lyciæ fluvius & urbs ΞΑΝΘΟΣ. Sed hoc tempori definiendum relinquimus.

RO-

* Fuit Lyciæ urbibus familiare, gentis nomen initiale ΛΥ. vel integrum ΛΥΚΙΩΝ ſuo conjungere. Sic in numis Maſſycitis una parte legitur ΛΥ. vel ΛΥΚΙΩΝ, altera ΜΑ. vel ΜΑΣ. Hac de cauſſa æreum, quem priore parte T. I. n. I. Maſſiliæ dedi, nunc Maſſyciten revoco ob literas ΛΥ juxta protomen Dianæ, attritas quidem, ſed tamen viſibiles.

h) Tab. 21. n. 12. p. 115. *i*) Rec. de Méd. T. II. pl. LXIX. n. 2. Confer etiam n. 3.

ROMANORVM

NVMI ANECDOTI.

Romanæ pecuniæ me parum cupidum ii tantum numi juvant, qui artis, ac univerſim rei monetariæ Romanæ hiſtoriam illuſtrant. Itaque hujus quidem generis numos omnes ſollicite conquiro, muſeum inſtructurus, cujus conſpectus vel iis jucundus atque utilis futurus ſit, quos nulla pecuniæ veteris cognitio vel cupido tenet. Ejus muſei partem, ut æqûum eſt, conſtituunt numi Reſtituti, incuſis notis inſignes, Monetariorum culpa vitioſi, & Subærati omnis generis. Ex iis nunc recenſebo, quos anecdotos habeo.

ROMAE

DENARIVS A TRAIANO RESTITVTVS.

Tabvla VII. N. 10.

Hoc denario vix reperias notatu digniorem; quippe ſententiam, quam Cl. Le Beau de numis Reſtitutis tulit, ſin minus a fundamentis diruit, at certe concutit vehementer. Vir doctus nimirum pluribus diſſertatio-

TABVLA VII. N. 10. tionibus *a*) nihil non agit, ut probet, *το* REST, quod in numis Reſtitutis poſt Titi, Domitiani, Nervæ, & Trajani nomen legitur, nequaquam reſpicere numos ipſos ab iis Imperatoribus reſtitutos, ut pene communis ferebat opinio, ſed potius reparata Præceſſorum ædificia & monumenta; & hanc abrupti vocabuli REST. (RESTITVIT) facultatem eſſe tuetur, etiam quando nulla in iis numis monumenta proponuntur. Taceo easdem difficultates, quas de la Baſtie oppoſuit Harduino, *b*) paucis mutatis opponi poſſe Academici Pariſienſis ſententiæ. Taceo, quæ ſpeciatim de hac ſententia, & univerſim de numis Reſtitutis præclare diſſeruit Thomas Mangeart. *c*) Solius nitor auctoritate noſtri denarii, quem qui prædicto ſyſtemati digne conciliaverit, magnus Apollo fuerit. Quis enim eſt, quin ad ejus conſpectum extemplo meminerit eorum numorum argenteorum majoris ponderis & molis, qui tempeſtate Reipublicæ Romanæ cuſi, non ſolum eadem utrinque ſigna repræſentant, ſed quod caput rei eſt, qua parte Juppiter quadrigis vehitur habenas moderante Victoria, æque nomen ROMA literis introrſum hiantibus referunt, noſtro ſimiles ſunt, ut ovum ovo? Quid, quæſo,

a) Mem. des Inſcr. T. XXI. & T. XXIV. Suffragatur Khellius Subpl. ad Vaillant. p. 35. *b*) Science de Méd. T. I. p. 285. *c*) Introd. à la Science de Méd. p. 49.

ſo, aliud reſtituere voluit ac potuit Trajanus feriundo denarios, quales Romana Reſpublica antiquis temporibus feriri juſſit, quam horum, & cum his priſci Romanarum rerum ævi memoriam? Quæ alia perfectæ ſimilitudinis ratio? Quidni clariſſimum atque invictum ejus rei argumentum eſt nomen Roma, quod noſtro denario incuſum eſt, quemadmodum vetuſtis illis Reipublicæ Romanæ? Num evidentius imitationis, & utique non monumenti alicujus, ſed numi reſtituti exemplum deſiderari poteſt? Ita nempe quod in aliis diſciplinis fieri ſolet, ut ſyſtemata plurimo ingenii acumine excogitata, maximoque ſtrepitu propoſita unum quandoque phænomenon evertat: id etiam eruditis priſcæ pecuniæ cultoribus evenit, quorum placita & canones in ſcientia numismatica ſtatutos ſæpe una moneta deſtruit.

Tabula VII. N. 10.

Cl. Beauvais *d*) recenſet Familias Romanas, quarum numi a Trajano reſtituti in hanc diem innotuere. Iis Familiis jungendæ Livineja *e*) & Scribonia, *f*) quæ ejus induſtriam fugere; ut adeo numero ſint XXVIII. & ſequentes: *Æmilia. Cæcilia. Cariſia. Caſſia. Claudia. Cornelia. Cornuficia. Didia. Horatia. Julia. Junia. Livineja. Lucretia.*

d) Hiſt. des Emp. T. I. p. 198. *e*) Muſ. Theupoli. T. I. p. 57. *f*) Muſ. Pembroch. P. 3. T. 93.

TABVLA VII. N. 10. *cretia. Mamilia. Marcia. Maria. Memmia. Minucia. Norbana. Numonia. Pompeja. Rubria. Scribonia. Sulpicia. Titia. Tullia. Valeria. Vipſania.* Adde Pembrochiæ Comitis denarium, in quo Roma ſedens augurium capit, & meum, de quo nunc egimus. Plures poſteri detegent.

FAMILIARVM ROM.

DENARII INCVSIS NOTIS INSIGNES.

N. 11-16. Argentei Familiarum Romanarum numi, incuſis notis memorabiles, tantæ raritatis ſunt, ut non ita pridem Eruditi fuerint, qui negarent exiſtere. Quos noſtra ſupellex hujus generis anecdotos recondit, unitos Lectoris oculis ſubjicio. Familiis Manliæ, Antoniæ, & Corneliæ impreſſa ſunt monogrammata, primæ ꟼES. ſecundæ MPꟼES. tertiæ-b'Æ. nempe literis inverſis pro MP.ꟼES. Ea procul dubio nomen continent IMPeratoris VEspaſiani, * proindeque eo regnante impreſſa fuere. Neque

* Harduinum ſomniantem ad Plinium T. I. p. 481. nihil moror, ut nec illum, qui nuper eas ſiglas interpretatus eſt IMPetu VESano. Quis talia legendo temperet a lacrimis vel riſu? Mihi quidem totum illud opuſculum, quod dictam interpretationem continet, haud ſerio ſcriptum, ſed potius jocantis ingenii luſus videtur, unde miror virum quemdam eruditum in eo refutando tempus & operam perdidiſſe.

Neque vero hi numi ſoli ſunt, qui tales notas referant. Primus, ni fallor, Patinus Familiæ Serviliæ denarium protulit, cui pariter incuſum IMP. VES; *g*) & Havercampius alterius meminit M. Antonii, qui iisdem ſiglis notatus fuerat, ſed ordine retrogrado. *h*) Pellerinius alium Familiæ Planciæ vulgavit, *i*) in quo legere ſibi videbatur AB. ÆS. & addit: „J'avoue que je ne le conçois „ pas, & je ſouhaite fort que quelqu'un puiſſe nous „ donner ſur cela des eclairciſſements. „ Cum ope meorum denariorum conjeciſſem celebrem Auctorem erronee legiſſe AB. ÆS. loco IMP. VES., quæ notæ inverſo ordine comparent in dicto Cn. Plancii denario, amicum Pariſienſem ut numum rurſus examinaret, rogavi, ab eoque mox didici conjecturam neutiquam fefelliſſe, ſed revera quas ſuſpicabar, adeſſe ſiglas, quarum proinde ſignificatio non amplius latet. Easdem deprehendit Eckhelius in Familiis Antonia & Carvilia Theſauri Cæſarei. Secus de notis, quæ hiant in ſequentibus Familiis Antiſtia, Flaminia & Julia. Tales necdum obtulit Romana pecunia, bene vero Græca. Sic apud Pellerinium

TABVLA VII. N. 11-16.

g) Fam. p. 259. Idem Theſ. Num. Amſt. 1672. 4to p. 52 argenteum Claudii numum magnæ molis, in Aſia Minore ſignatum, edidit, in quo Imperatoris collum notatum iisdem ſiglis IMP. VESP. *h*) Morellii Th. Fam. p. 390. *i*) II. Suppl. pl. III. n. 11.

TABVLA VII. N. 11-16. nium videas ΑΒΕΩΝ *l*) & ΤΑΒΗΝΩΝ Cariæ, *m*) ac ΣΙΔΗΤΩΝ Pamphyliæ *n*) numos, quibus ſimiliter incuſi ſunt circuli, atque intra hos N. & B. & ε. Nolim vero aliquis Familiarum Antiſtiæ & Flaminiæ notas confundat cum ſolitariis literis, quæ plurimis Reipublicæ Romanæ denariis non incuſæ, ſed inſcalptæ ſeu inciſæ ſunt. Iſtæ quidem recentius additæ, forſitan ab iis, qui numos illos in ſuis muſeis adſervabant; ut adeo poſſeſſorum notas crediderim. Simili ratione præſtantioribus Græcis Latinisque numis, qui olim Mantuæ ducum theſauro condebantur, tanquam gentilitium inſigne impreſſa fuit aquila, aureis quidem argentea, argenteis aurea, uti Vaillantius, Spanhemius, Havercampius, & Liebeus obſervarunt; quod ſi non nemo noviſſet, in explicanda ea aquila non inanem operam luſiſſet. Ceterum an tribus poſtremis numis ea ſigna incuſa fuerint Reipublicæ, an Auguſtorum ævo, quis auſit definire? Unde neque conſtat, an moris fuerit Romanis, ſtante libertate, hujusmodi notis uti. Fuere, qui iſtud definite negaverint; ſed falſa nituntur ratione, nempe quod nullos

---

* Scio Maffeium contradicere Verona Illuſtr. P. III. p. 203. *Sed* egregie refellitur a Cl. Joſ. Bencivennio *Saggio* iſtor. della R. Galler. di Firenze. v. I. p. 268. ſqq.

l) III. Suppl. pl. VI. n. 9. *m*) Rec. III. pl. CXXX. n. 6. *n*) IV Suppl. pl. II. n. 4.

nullos viderint, adeoque nullos putaverint exſtare Familiarum Romanarum numos impreſſis notis conſpicuos. Pellerinius contrarium adſeruit æque fallaci ductus argumento, nempe Familiæ Planciæ denario, cujus auctoritate me Hercle! uſus non fuiſſet, ſi modo recte legiſſet incuſa monogrammata MP. ΛES. Nempe aliud eſt negare, Familiarum exiſtere numos incuſis notis inſignes: aliud negare Familiarum exiſtere numos, quibus eæ notæ incuſæ fuerint Reipublicæ tempore. Primum a veritate maxime abludit: de altero hactenus non liquet, cum notæ tribus poſtremis noſtri muſei denariis impreſſæ neque Reipublicæ, neque Auguſtorum ætatis certum criterium ſufficiant, adeoque adfirmari nequeat, num integra, vel perdita jam libertate incuſæ fuerint. Plura qui generatim de hoc argumento ſcire cupit, conſulat De Boze, *o*) Mahudel, *p*) Pellerin, *q*) & Mangeart. *r*) TABVLA VII. N. 11-16.

NVMI

MONETARIORVM CVLPA VITIOSI.

Monendus lector, excepto Maximini numo æreo ceteros, qui ſequuntur, eſſe argenti ſolidi. De ſubæratis poſtea ſpeciatim. N. 1.

o) Science de Méd. T. I. p. 349. *p*) Mem. des Inſcr. T. XIV. p. 132.
q) Potiſſimum S II. p. 61. ſqq. *r*) Science des Méd. p. 38.

TABVLA VII. N. 17.

P. ACCOLEIVS LAR: ET AVGVSTVS.

...TR. POT. IIX (sic) Caput nudum Auguſti.)(Tres Phaetontis ſorores mutatæ in larices.

Accolejæ Familiæ denarii ad id conſtanter idem argumentum repetiere, una parte videlicet Clymenes effigiem cum epigraphe P. ACCOLEIVS. LARISCOLVS: altera trium Phaetontis ſororum in larices metamorphoſin. Noſter typum variat, & Auguſtum Accolejæ Familiæ monetis inſerit. Monetarii culpa id accidiſſe videtur, qui per oſcitantiam, aut nimiam feſtinationem, aut ignorantiam Auguſtum cum Clymenes filiabus commiſerit. Inſcriptio capitis inſolita. Quamvis enim Auguſti nomen laboret, tamen TR. POT. IIX manifeſte legitur, quam epigraphen nemo ante legit in ejus pecunia.

SABINA.

SABINA.. Ejus protome verſus ſiniſtram.)(TR. P. XXI. IMP. IIII. COS.. II. (III.) Mulier dextrorſum ſtans d. tenet bilancem vel ramum, s. cornucopiæ.

Sabinæ nihil competere averſæ inſcriptionem, res ipſa loquitur. Sed neque competit ejus marito Hadriano, ſi quidem tantum Imperator II. acclamatus eſt.

Quid

TABVLA VII.

Quid quod Tribunitiæ dignitatis numeros omnes ejus numi pertinaciter ſileant? Ex Hadriani ſucceſſoribus nullus eſt, qui Tribunitiam Poteſtatem XXI cum numero IMP. IIII. conjungat. Antoninum Pium, Hadriani ſucceſſorem, monumenta vetera non niſi bis Imperatorem dicunt. Ordine igitur jam ſuccedit M. Aurelius, quem tres Monetæ uno ore celebrant Tribunum Plebis XXI. Imperatorem IIII. Conſulem III. En duos denarios a Mediobarbo ita deſcriptos: M. ANTONINVS. AVG. ARM. PARTH. MAX.)(TR. P. XXI. IMP. IIII. COS. III. Figura ſtans d. bilancem, s. cornucopiæ. Similis, in quo Figura d. ramum, s. cornucopiæ. *s*) Habes ſub Aurelio eandem epigraphen ſociatam eidem typo, quem noſtri denarii pars averſa exhibet. Proinde liquet negligentem monetarium pro iconio Aurelii unam e reſiduis Sabinæ vultum præferentibus formis adripuiſſe, ex quo errore numi vitium compoſitum. Vidi & illum Sabinæ numum argenti puri, memoratum Vaillantio, & Frœlichio, cujus poſticæ inſidet INDVLGENTIA. AVG. PP. COS. III. Ea averſa nullo dubio reddenda eſt Sabinæ marito Hadriano.

s) Imp. Num. p. 220.

TABVLA VII.

IVLIA DOMNA.

IVLIA. DOMNA. AVG. Domnæ caput ad ſiniſtram.)(MO... E. (MONETAE) AVG. II. COS. Moneta tutulata ſtans dextrorſum, d. bilancem, s. cornucopiæ tenet.

Bis in uno numo peccatum. Nempe COS. II. non II. COS. cælari oportuit. Dein Auguſtam hæc averſa non decet. Vidimus Sept. Severi denarium in muſeo Canonicorum Reg. Clauſtroneoburgi in Auſtria Inferiore, qui Monetæ ſedenti pariter adſcribit MONETAE. AVG. COS. II. cujusmodi nullibi recenſetur. Ex adjecto COS. II. colligitur, tales numos cuſos fuiſſe A. V. C. DCCCCXLVII. quo Severus bellum in Oriente geſſit adverſus Peſcennium Nigrum, imperii Æmulum, a cujus partibus Syria & Phœnicia ſteterunt. Hinc pronum eſt arguere, non Romæ, ſed in Oriente, ubi belli theatrum erat, hos Severi & Domnæ, quæ maritum comitabatur, ſignatos fuiſſe denarios in militum ſtipendia. Hæc cauſſa, cur generatim ſpectatis & literarum figuris, & artis ratione Peſcennii & Severi coævæ monetæ adeo ſimiles ſint, ut nihil magis; nimirum quod hujus & illius eandem patriam agnoſcant. Univerſim videntur pene omnes numi, qui primis tribus Severi annis congruunt, extra Romam, & maxima ex parte in Oriente * ſignati

* Multi veroſimiliter ipſis in caſtris; nam monetarii Imperatorem atque exercitum ſequebantur.

TABVLA VII.

nati, ubi eo duce ac Imperatore miles Romanus ſtipendia meruit pugnando contra Nigrum, & mox contra Parthos, Arabes & Adiabenos. Id vel ſolus numorum iſtorum communis character indigitat, qui talis eſt, ut peritos oculos confeſtim exoticæ officinæ admoneat. Artificium quam longiſſime a Romanæ pecuniæ ingenio abhorret, ac neſcio quam barbariem ſpirat. Literarum formæ nequaquam ductæ ad Romanum nitorem, ſed male tortæ. Interdum adeo latinis literis intermixtæ græcæ: alias inſcriptio vitioſa, peregrini artificis latinæ linguæ haud ſatis periti non dubium argumentum. Exemplo ſit denarius a Khellio vulgatus, cujus antica parte legitur L. SEPT. SEV. PERTε. AVG. IMP. V. averſa circa Liberalitatis typum LIBERT. AVG. *t*) Vides latinis literis ſociatam græcam ε, & ſcriptum LIBERT. loco LIBERAL? Fuiſſe autem hunc numum cuſum eo tempore, de quo hic loquimur, inde conficitur, quod Severus IMPerator V. ſalutatus fuerit A.V.C.DCCCCXLVIII. quo Arabes & Adiabeni domiti. Hoc itaque numo egregie firmantur, quæ modo animadvertimus.

CARACALLA.

IMP. CAES. M. AVR. ANTONINVS AVG. Caput laureatum Caracallæ ſiniſtrorſum)(COICORD.. VAGG. (sic)

Femi-

t) Suppl. ad Vaill. p. 109.

TABVLA VII. Femina ſtans ad ſiniſtram, d. tenens hastam puram, s. icunculam.

In argento tam Caracallæ, quam Getæ fratris, hæc averſa nondum viſa eſt. Porro gemino errore ſcriptum COICORD. VAGG. pro CONCORD. AVGG.

GETA.

P. SEPTIMIVS GETA. CAES. Ejus nudum caput.)(PONTIF. TR. P. XIII. COS. III. Mars galeatus pede dextro galeam premit, s. tenens haſtam, d. parazonium.

Quid Getæ cum TR. P. XIII. qui ſub Tribunitia Poteſtate IV. ab immani fratre Caracalla in ſinu matris confoſſus eſt? Lapſus monetarii patet. Iconium averſæ ad Caracallam pertinet, cujus ſimillimos numos Mediobarbus, aliique recenſent.

MAXIMINVS.

N. 18. IMP. MAXIMINVS. PIVS. AVG. Ejus caput laureatum.)(VENVS VICTRIX. Venus ad dextram ſtans, d. tenet galeam, s. haſtam transverſam & ſcutum. AER. III.

Venus Victrix Caracallæ quidem jactata numis, ſed nondum Maximini. In denariis Mamææ cum frequens

quens occurrat hæc dea, inde videtur ad Maximinum aberraſſe. Numus æreus eſt, & nullum argenteæ pelliculæ, qua olim obductus fuerit, veſtigium offert. TABVLA VII. N. 18.

MAMAEA.

IVL. MAMAES (sic) AVG. Caput Mamææ.)(ANNONA. AVG. Ceres ſtans velato capite, d. tenens ſpicas, s. cornucopiæ.

Antica legitur MAMAES. Quid hoc nominis? Culpam in chalcographum rejicerem, qui male cælaverit MAMAES pro MAMAIA, ni Chamillardus prodidiſſet alium hujus Auguſtæ, ſed æreum, inſcriptum MAMIAS. *u*) Vir eruditus obſervat Mamæam genus e Phoenicia duxiſſe, atque inde conjicit, verum ejus nomen fuiſſe MAMIAS (quo modo terminata fuiſſe Phœnicum nomina, teſtis adducitur Soæmias) & a Romanis expreſſum Romano more MAMAEA. Conjectura ſin minus vera, at certe veroſimilis & ingenioſa. Mihi ſatis eſto obſervaſſe, in meo denario manifeſte legi MAMAES, ſola litera E nonnihil adfecta.

ANNONA AVG. deprehenſa jam Khellio *x*) fuit in argento Mamææ, ſed typus differt. Si Auguſtæ, cujus

u) Woltereck Electa Rei Num. p. 354. *x*) Subpl. ad Vail. p. 148.

TABVLA VII. jus arbitrio & conſiliis imperium adminiſtrabat Alexander, hanc averſam competere non cenſes, redde filio.

ETRVSCILLA.

HER. ETRVSCILLA. AVG. Ejus imago ſupra Lunam ſiniſtrorſum)(ADVENTVS AVG. Eques dextrorſum, s. tenet haſtam puram, dextram elevat pacificatoris habitu.

Averſa eſt Trajani Decii, Etruscillæ mariti, cujus adventum copioſi celebrant denarii.

TREB. GALLVS.

N. 19. IMP. C. C. VIB. TREB. GALLVS. P. F. AVG. Ejus caput radiatum)(PVDICITAS AVG. Libertas ſtans d. tenet pileum, s. cornucopiæ.

Monſtrum offert averſæ partis inſcriptio. E Libertatis imagine quis non videt artificem voluiſſe ſcribere LIBERTAS AVG. Enimvero hanc epigraphen tam argenteæ, quam æreæ Galli monetæ eidem typo ſociant.

ANEC-

ANECDOTI SVBAERATI.

In ordinanda Romana pecunia ita mihi viſum eſt, ut poſtremo collocarem, atque peculiarem in claſſem conjicerem, quos recte dixeris *Pſeudonumos*. Eorum in numero habeo I Contorniatos. II Plumbeos. III Teſſeras. IV Spintrias, ut vocant. V Subæratos, quorum plures anecdotos habeo. Conſtat veterum impoſtorum, proindeque privatorum hominum opus eſſe hoc ſpurium genus numorum, unde monetæ nec nomen merentur, nec auctoritatem. Non ignoro fuiſſe adeo Imperatores, qui falſam monetam ſignaverint. Caracalla, teſte Xiphilino *y*) denarios & ſolidos feriri juſſit aut plumbo argento inducto, aut ære inaurato, ſive ut Frœlichius hunc locum ſanavit, aut ære argento inducto, aut plumbo inaurato. Nihilominus ſubærati maximam partem furtive fabricati ſunt a falſariis privatis, quos inſana lucri cupido ad hoc nefas ſummo vitæ diſcrimine induxit, quapropter non bene miſcentur probæ monetæ, quæ publica auctoritate prodivit. Fides quidem hiſtorica tanto magis eis deneganda, quod in locis abditis procuſi ab artificibus non raro imperitis, plurimos errores & ænigmata obtrudant. Ejus rei ſi debitam habuiſſent ratio-

y) E Dione L. LXXVII.

tionem Eruditi, non utique inſudaſſent interpretandis hujuscemodi mendaciis. Quantopere laborabat Haymius, ut Familiarum Juniæ, Pompejæ, & Scriboniæ numos, inſolita formarum unione ſingulares explicaret? z) Nodum, ut ajunt, in ſcirpo quærebat. Nihil hic myſterii. Pelliculati omnes ſunt, ut ipſe monet accurate; proinde vitioſi falſariorum culpa, qui hæc monſtra edidere ſive ex ignorantia, ſive feſtinatione, ſive neceſſitate, forte quod aliæ ad manus formæ non fuiſſent. Utinam qui veteres numos publici juris faciunt, texuntque catalogos, in poſterum aut ſeparatim deſcriberent ſubæratos, aut ſaltem accurate notarent! Fructus hujus prudentiæ foret, ut Viris doctis, qui ope veterum monumentorum hiſtoriam & chronologiam illuſtrant, conſtaret, quibus numis certa ſit, quibus nulla fides. Ad hæc ut modeſte diffidendum numis omnibus, qui aliquid novi atque inſoliti proponunt: ſic plurimum expediret ſingulos ejus generis tam aureos quam argenteos diligenter examinare, ſcalproque tentare, ſintne metalli ſolidi, au fraudulenter contecti aurea vel argentea lamina, ne fruſtra ingenium exerceas in iis interpretandis, & maximi facias, qui parvi faciendi ſunt. Ita ſingularis præſtantiæ denarium laudat Khellius,

z) Th. Brit. p. 209. & 214.

lius, qui hic caput Veri, illic Antonini Pii, adſcriptis utriusque Imperatoris nominibus, repræſentat. *a*) Hac laude abſtinuiſſet Vir celebris, ſi advertiſſet, qualem advertit Eckhelius, *b*) nempe

introrſum turpem, ſpecioſum pelle decora.

Præclare de Romanorum numis ſubæratis diſſeruit Frœlichius. *c*) Priusquam hujus generis recenſeamus anecdotos noſtri muſei, addamus pauca, quæ generatim hoc genus falſæ monetæ cum Græcorum, tum Romanorum attinent.

Infamis ars pelliculatos numos fingendi, id eſt, æreos vel plumbeos tegendi lamina argentea vel aurea, pene rei monetariæ initiis coæva eſt. Id probant ejus generis duo urbis Metaponti in Magna Græcia, *d*) qui cum altera parte incuſi ſint, attingunt monetariæ artis incunabula, fabricati circiter DC annis ante æram Chriſtianam. Exinde parum abeſt, ut credam eam fraudem primum in Italia, & quidem in Magna Græcia natam. Hinc videtur in Siciliam transiiſſe; nam & hujus inſulæ vetuſtiſſimos ſubæratos, ac inter alios ΣVRAϘOΣION

 vidi,

a) Subpl. ad Vail. p. 91. *b*) Cat. Muſ. Cæſ. p. 213. *c*) De Numis Monetariorum vet. culpa vitioſis. Adde Geinoz Mem. des Inſcr. T. XII. *d*) Cat. raiſ. d'une Collect. de Méd. Leipzig. 1774. p. 30. & Eckhel. Num. vet. p. 38.

vidi, quos epigraphes & literarum ratio grandis ævi commonet. Alexandri M. tales aureos atque argenteos & alia muſea & noſtrum continent. Univerſim Græciæ non pauci ſuppetunt. Vaillantius *e*) & Maffejus *f*) talem etiam Monneſis Parthorum regis citant. Quod mirum, neque barbaris ignota doli ſubtilitas. Inter rudes illos Pæoniæ, Mœſiæ, Daciæque tetradrachmos, in quibus plerumque equus vel eques cernitur, non deſunt ſubærati, & horum unus penes me eſt. Adeo nempe ad fraudem ingenioſa quoque barbaries.

A Græcis ad Romanos mox derivata nequitia. Horum argentei vetuſtiſſimi ſunt, qui una parte Caput geminum, altera Jovem quadrigis vectum, & nomen ROMA incuſum referunt. Talis denarii æream animam, ut vocant, poſſideo. Artificem peritum fuiſſe oportet, qui noverit incuſas literas æmulari, quin malæ artis exinde proditio fieret. Quod amplius: falſarii ipſas etiam crenas ſimulabant, quibus ora plurimorum denariorum Reipublicæ Romanæ ornatur. Smetius *g*) ſerratum ſimulque ſubæratum memorat Familiæ Corneliæ. Catalogo Muſei Cæſarei *h*) talis notatur Familiæ Vet-

e) Reg. Parthorum Hiſt. P. I. p. 340. *f*) Galliæ Ant. p. 106. *g*) Antiquit. Neomag. p. 154. *h*) P. II. p. 73.

Vettiæ; & noſtra penus alterum Familiæ Mamiliæ, alterum Sulpitiæ ſervat. Nihil tam artificioſum, quod non imitaretur auri ſacra fames. Familiarum multi, Imperatorum plurimi exſtant ſubærati argentei, potiſſimum Severi & Caracallæ ætatis. Durant Auguſtis ſequentibus, quamvis argento ſemper magis magisque degenerante, & plurimum æroſo, deſinuntque cum Claudio Gothico, a cujus imperio uſque ad Diocletianum propemodum deſinit ſignatum argentum. Dixi propemodum. Quippe falſum penitus deſiiſſe, ut plerique ſibi perſuadent. Contrarium evincunt argentei numi Probi, M. Aur. Juliani, & Magniæ Urbicæ, quos continet Muſeum Cæſareum *i*) & Pellerinianum. *l*) Equidem poſtremum ſubæratum poſſideo Treboniani Galli. In auro fraus continuata, necdum intermiſſa ſub Juſtiniano, cujus aureum adulteratum habeo, neque penitus ut videtur, deſiit, quoad Byzantini numi tenues & concavi facti ſunt. Maxime animum meum advertit Hadriani denarius, Vindobonæ mihi viſus, qui aurea tectus bractea intus non æs vel plumbum, ſed argentum continebat. Cum labor & periculum idem fuerit, plus vero utilitatis e ſuppoſito viliore metallo, neſcio, cur potius argentum, quam æs vel plumbum aureæ laminæ ſubdiderit

i) P. II. p. 412. & 427. *l*) Mel. T. I. pl. IX. n. 12.

derit impoſtor, ni forte quod vilius metallum properanti præſto non fuiſſet.

Quinarii ſubærati pauciſſimi ſunt, & aureis pauciores argentei, nimis modico periculoſæ artis lucro. Mihi argenteus unus Auguſti, aurei tres ſuppetunt Anaſtaſii, Juſtiniani, & cujusdam Imperatoris incogniti, ſed qui Juſtiniano poſterior videtur.

Prodigio ſimile, impoſtorum veterum ſolertiam uſque eo proceſſiſſe, ut adeo æreos pelliculatos fingerent, ſeu tales, qui ærea bractea obducti, æs quidem mentiuntur, ſed intus plumbum, plerumque ferrum recondunt, quapropter *Subferrati* vocantur. Utriusque metalli pretium & in ſe cum vile ſit, & vilius etiam pretii inter utrumque diſcrimen, quis crederet tantillum lucri cum pœna mortis quæſitum? Frœlichius quod hujuscemodi ſubferratos flavi æris pellicula veſtitos obſervaret, inde arguit æris flavi pretium haud exiguum apud Romanos fuiſſe. *m*) Id nolim contradicere. Sed neque contradixerim, ſi quis ſubferratos malit primos tantum conatus, quibus nonnulli monetæ adulteratores ſeſe exercebant, antequam ejusdem doli tentarent experimenta in metallis nobilioribus. Quidquid autem hac

m) De Num. Mon. culpa vit. p. 364.

hac de re ſit, illud exploratum, non exſtare hactenus ſubferratos, niſi Imperatorum; unde in Italia ſola fabricati videntur, & Romani hac ſaltem in parte Græcis magis ingenioſi. Tam paucos autem reperias, ut cimeliorum in numero haberi mereantur; cujus rei cauſſa, ſive quod lucri parvitas paucorum irritaviſſet ſcelus, ſive quod apud unum vel alterum impoſtorem prima tantum nefandæ artis pericula fuiſſent, ut paulo ante conjecimus. Eorum meminere Smetius, Struvius, Rinkius, Frœlichius. Theſauro Pembrochiano continetur unus Hadriani, *n*) Cæſareo alius Caracallæ: in noſtris ſcriniis adſunt duo M. Aurelii, quorum alterum debeo beneficio Cels. Pr. Franciſci Comitis Erbachienſis, quem amicorum dulciſſimum habeo, & veneror. Atque hi quidem ſubferrati. Verum Schulzio memoratur numus Neronis, cujus averſa parte Decurſio repræſentatur, qui foris æreus, intus plumbeus ſit, tanto memorabilior, quod ſui generis, ni fallor, unicus ſit.

Communiter putant, Subæratorum artificium periiſſe. Sed errant, qui ita putant. Et noſtra ætas ad hoc nefas erudita. In muſeo Cæſareo deprehendi aureum

n) P. III. T. 106. Ejusdem generis videtur, qui T. 114. Lucillæ profertur, & vocatur ferreus.

reum provinciæ Hollandiæ, ſignatum MDCCXL, qui ut veteres plures, interne plumbo conſtat, externe aurea lamina tam affabre contectus eſt, ut vix ulla doli ſuſpicio foret, ni laminæ partem tempus vel uſus abſtuliſſet.

Nunc ordine recenſeamus Familiarum Romanarum, Auguſtorum & Auguſtarum denarios Subæratos noſtri muſei, quos nemo alius antea deſcripſit.

FAMILIA CLAVDIA.

AVGVSTVS.. Caput nudum Auguſti ad d.)(P. CLODIVS M. F. Diana ſtolata, arcu & pharetra prominentibus a tergo, ſingulis manibus ardentem facem tenet.

Impoſtoris culpa eſt, Auguſtum uniri P. Clodio Marci filio, cujus denarii alias offerunt laureatum caput femineum adjecta lyra.

FAM. FARSVLEIA ET SERGIA.

Effigies deæ Libertatis ad d. a tergo pileus & LIIII.)(SERGI.. Q. Sergius Silus equo decurrens dextrorſum, s. tenet gladium & reſectum hoſtile caput.

Vitioſus male compoſitis duarum Familiarum formis. Prior eſt Farſulejæ, poſterior Sergiæ. Epigraphes

phes & numi partem conſumſit tempus edax. Antica legitur alias MENSOR S. C. poſtica M. SERGI. SILVS. Q.

VESPASIANVS.

DIVVS AVGVSTVS VESPASIANVS. Ejus laureatum caput ad s.)(TRI. POT. Veſta, vel Virgo Veſtalis dextrorſum ſedens velato capite d. tenet ſimpulum.

Nihil Veſpaſiano jam Divo cum hac averſa, quæ debetur illis denariis, qui primo ejus imperii anno coævi ſunt, & hanc anterioris partis inſcriptionem præferunt: IMP. CAES. VESP. AVG. P. M.

DOMITIANVS.

IMP. CAES. DOMITIA... TR. P. VIII. Laureatum ejus caput ad s.)(TR. POT. VIIII. IMP. XIIII. COS. VII. PP. Literis partim exeſis. Venus ſeminuda columnæ innixa ſiniſtrorſum ſtat, d. galeam tenens, s. haſtam transverſam.

Averſa Titi eſt.

HADRIANVS.

IMP. CAES. TRAIANO HADRIANVS AVG. Ejus caput laureatum ad s.)(P. M. TR. P. COS. III. P. in area FEL.

AVG. Dea Felicitas dextrorſum ſtans d. tenet caduceum, s. cornucopiæ.

Inſcriptio TRAIANO HADRIANVS falſarii negligentiam vel ignorantiam arguit.

M. AVR. ANTONINVS.

M. ANTONINVS AVG. GĒRM. SARM. Caput laureatum Aurelii ad s.)(TR. P. XXXX. (IMP. VIIII. COS.) III. P. P. Felicitas dextrorſum ſtans d. tenet caduceum bene longum, s. cornucopiæ.

Numus mendax. Quippe mortuus Aurelius TR. POT. XXXIIII.

IVLIA DOMNA.

IVLIA. PIA. FELIX. AVG. Domnæ caput ad s.)(ANNONA AVG. Ceres velato capite dextrorſum ſtans d. tenet ſpicas, ſupra modium, s. cornucopiæ.

Eadem anterior pars)(FELICITAS PVBLICA. Felicitas ſtans decuſſatis pedibus columnæ innititur ſiniſtro cubitu, d. tenet caduceum.

IVLIA AVGVSTA. Ejus protome ad s.)(FELICIT. TEMPOR. Felicitas dextrorſum ſtans d. caduceum, s. cornucopiæ.

Eadem

Eadem adverſa.)(FORTVNA AVG. Fortuna dextrorſum ſtans d. tenet bacillum, ut videtur, s. cornucopiæ.

Eadem adverſa.)(LIBERAS AVG. (ſic male pro LIBERTAS AVG.) Dea Libertas dextrorſum ſtat d. pileum libertatis, s. haſtam puram.

IVLIA. PIA. FELIX. AVGVSTA. Ejus caput ad s.)(PONTIF. TR. P. VIIII. COS. II. Mars galeatus ad d. ſtans clypeum d. tenet, s. haſtam.

IVLIA AVGVSTA. Ejus caput ad s.)(PROVID. DEORVM. Providentia dextrorſum ſtans bacillo globum tangit, s. tenet haſtam puram.

Eadem adverſa)(RECTOR ORBIS. Figura nuda ad d. reſpiciens d. globum tenet, s. haſtam puram.

Sexti & octavi denarii averſæ partes certo ad Caracallam pertinent. Reliquæ pariter Auguſtos potius decent, quam Auguſtam. Sed iſtud mirum, ſuperare Domnæ denarios probos & auctoritate publica ſignatos non paucos, quorum partes averſæ æque ſolis imperatoribus competere videntur, ut LIBERAL. AVG. *o*) MONETA AVG. *p*) Sunt, qui ægre ſibi perſuadeant, mo-

 neta-

o) Mediobarb. p. 282. Pellerin. Addit. p. 3. Eckhel. C. M. C. p. 286. *p*) Vaillant. Num. Imp. Præſt. T. II. p. 237.

netarios toties peccaſſe in ejus Auguſtæ pecunia, malintque credere, tales averſas per adulationem Domnæ attributas, quod eſſet regnandi avida, rerumque ea tempeſtate geſtarum portio magna; quapropter etiam in numis laudatur MAT. AVGG. MAT. SEN. M. PATR. ſeu Mater Auguſtorum, Mater Senatus, Mater Patriæ. Me quod attinet, crediderim alias ex hujusmodi averſis ab adulantibus, alias ab errantibus monetariis profectas. Verum & aliud in mentem venit. Supra obſervavimus, magnam copiam numorum Severi & Domnæ malleum ſubiiſſe in Oriente, nimirum primis tribus imperii annis, quibus comite uxore Domna ibidem pugnavit Severus adverſus Peſcennium, Parthos & Adiabenos. Orientis monetarii Romanum morem & linguam haud ſatis callebant. Quid mirum typaria ab iis confuſa, & mariti ad uxoris quoque monetas aptata fuiſſe? Et revera ejusmodi Juliæ Domnæ denarii inſignes epigraphe LIBERAL. AVG. MONETA. AVG. quales complures vidi, ſpectatis peregrinis literarum figuris exoticam officinam haud obſcure produnt. Quod amplius, eædem partes averſæ occurrunt in denariis Severi, qui ejus regni primis tribus annis conveniunt, adeoque, ut diximus, lucem in Oriente viderunt.

CARA-

CARACALLA.

ANTONINVS PIVS AVG. Caracallæ laureatum caput ad s.)(MATER DEVM. Cybele ſedens inter duos leones d. tenet ramum.

ANTONINVS PIVS AVG. BRIT. Ejus caput laureatum ad s.)(VICTORI. AVGG. Victoria dextrorſum properans d. coronam, s. ramum: ad pedes clypeus.

Illius averſa eſt Juliæ Domnæ: hujus recurrit in Severi & Getæ denariis inſcriptis VICTORIA & VICTORIAE AVGG.

GETA.

P. SEPT. GETA. CAES. PONT. Getæ nudum caput verſus s.)(LIBERO PATRI. Bacchus nudus ſtans & reſpiciens dextram in caput attollit, ſiniſtra thyrſum tenet: ad pedes panthera.

P. SEPTIMIVS GETA. C.. Ejus nudum caput ad s.)(PIETAS PVBLICA. Pietas ad aram ſtans expanſis manibus.

...GETA CAES. Ejus nudum caput ad s.)(P. M. TR. P. XIII. COS. III. P. P. Juppiter dextrorſum ſtans d. fulmen tenet, s. haſtam: ad pedes aquila.

P. SEPT. GETA. CAES. PONT. Nudum Getæ caput ad s.)(PRINC. IVVENTVTIS. Cæſar ſtans d. tenet ſignum militare, s. haſtam: a tergo duo ſigna militaria.

Poſte-

Poſterior pars primi denarii ad Sept. Severum ſpectat: ſecundi ad Domnam, tertii pariter ad Severum, quarti ad Diadumenianum.

IVLIA PAVLA.

IVLIA PAVLA AVG. Ejus imago ad s.)(..BER.. Libertas dextrorſum ſtans d. tenet pileum libertatis, s. cornucopiæ.

Epigraphe mutila ſupplenda LIBERTAS AVG. Ea averſa debetur Paulæ marito Elagabalo.

SEV. ALEXANDER.

IMP. CAES. M. AVR. SEV. ALEXAND. AVG. Alexandri laureatum caput ad s.)(MARTI PROPVGNATORI. Mars dextrorſum gradiens d. gerit haſtam, s. tropæum.

IMP. CAES. M... ALEX. AVG. Ejus laureatum caput ad s.)(IVNO CONSERVATRIX. Juno dextrorſum ſtans d. tenet pateram, s. haſtam puram, ad pedes pavo.

Prioris averſa pars in argento Alexandri nondum comparuit, videturque a falſario petita e denariis Caracallæ. Alterius averſam ſibi vendicat Mamæa.

IVLIA MAMAEA.

IVLIA MAMAEA AVG. Ejus effigies ad s.)(CONCORDIA AVGG. Mulier dextrorſum ſedens d. tenet pateram, s. duo cornua copiæ.

Eadem

Eadem adverſa)(P. M. TR. P. COS. P. P. Mulier ſto-
lata dextrorſum ſtans d. tenet ramum, s. haſtam.

Eadem adverſa)(P. M. TR. P. XI. COS. III. P. P. Mu-
lier ſedens dextrorſum pateram d. tenet, s. haſtam pu-
ram: ad pedes ara.

Eadem adverſa)(PROVID. DEORVM. Providentia
ad d. ſtans bacillum d. tenet, s. haſtam: ad pedes globus.

Eadem adverſa.)(SAECVLI FELICITAS. Felicitas
dextrorſum ſtans d. pateram tenet ſuper aram, s. cadu-
ceum bene longum.

CONCORDIA AVGG. & SAECVLI FELICITAS cele-
brantur in Orbianæ & Mœſæ denariis, reticentur in iis,
qui Mamææ in honorem publica auctoritate ſignati ſunt.
Hinc puto eas averſas partes ſubſuratum fuiſſe impoſto-
rem Orbianæ & Mœſæ, & contra fas Mamææ adpli-
cuiſſe. Reliquæ procul dubio reddendæ ſunt Sev. Ale-
xandro.

GORDIANVS PIVS.

IMP. GORDIANVS PIVS FEL. AVG. Gordiani caput
radiata corona ornatum ad s.)(IVNO CONSERVAT. Ju-
no dextrorſum ſtans d. pateram, s. haſtam.

Poſterior pars anteriori non cohæret. Juno conſer-
vatrix non niſi Auguſtarum numis invocatur.

TRAIANVS DECIVS.

IMP. C. M. Q. TRAIANVS DECIVS AVG. Caput Decii inſigne radiata corona.)(PIETAS AVGVSTAE. Pietas dextrorſum ſtans dextra elata, læva gerit arculam thure plenam.

Priori ſimile impoſtoris peccatum. Imperatori male maritata eſt averſa cujusdam Auguſtæ, nimirum Otaciliæ, cujus denariis laudatur PIETAS AVGVSTAE eodem deæ habitu. Suſpicabar averſam mutuatam e numis Etruscillæ, uxoris Decii. Sed conſultis numorum catalogis nihil ei Auguſtæ cum pietate eſſe intellexi.

VOLVSIANVS.

IMP. C. C. VIB. TREB. GALLVS AVG. Galli caput radiata corona tectum ad s.)(CONCORDIA AVGG. Mulier dextrorſum ſedens d. pateram, s. cornucopiæ: ad pedes ara.

Sub Voluſiano Concordiam Auguſtorum huic typo ſociatam recenſet Catalogus Muſei Cæſarei: ſub Gallo nec is, nec alius.

FINIS PARTIS SECVNDAE.



ANIMADVERSIONES
IN
VNIVERSVM OPVS
ILL. PELLERINII.

ANIMADVERSIONES
IN
NVMOS A PELLERINIO VVLGATOS.

Multa ſunt, quæ animadverti in numos veteres Populorum & Regum, quos ad id temporis edidere complures magni nominis Auctores. Eas obſervationes cogere in unum corpus, & cum Eruditis communicare animus erat, quod eam rem non inutilem, promovendæque Scientiæ Numariæ proficuam fore crederem. Sed cum animo reputaſſem haud exigui moliminis opus: ex altera parte, quod nuper Auguſti Imperatoris indulgentia præfectus fuerim theſauro Cæſareo numorum recentiorum, ob ejus muneris officia, & pene mutatum ſtudiorum genus, parum ſpei adeſſe, aut certe multum moræ perficiendi negotii, viſum eſt ſeligere, quas feci notas in præſtantiſſimum opus Pellerinii, & occaſione ſic ferente Secundæ Parti adnectere. Id in præſentiarum ita ago, ut labor prope omnis ſit circa numos tantum, quos aut incognitos habuit, aut extorres patria fecit celeberrimus Auctor; qua in re ſi

non omnino irriti fuerunt conatus noſtri, nequaquam doctrinæ majoris beneficio accidit, ſed fortunæ ac temporis. Quorundam numorum reſtitutæ inſcriptiones; & quo tutior univerſi Pelleriniani operis uſus omnibus eſſet, monitus Lector, quoties Auctor aliis locis ſe ipſe correxit, aut correctus ab aliis fuit. De quibus numis prima, vel ſecunda hujus opuſculi parte actum eſt, citaſſe locum ſatis videbatur, ne bis repetita diſplicerent. Neglectæ ceteræ omnes obſervationes, quæ argumenta numorum, & Auctoris attinent commentaria, ne in amplas diſputationes invitus traherer, aut ejus ſphalmata venari viderer, cujus opera mihi adeo ſunt in honore, ut a quo tempore in lucem prodierunt, evectæ ad perfectionem Scientiæ Numariæ epocham deducendam exiſtimem. Generatim habita brevitatis maxima ratio. Sequor, quem ordinem ſecutus eſt Pellerinius.

RECVEIL DE MÉDAILLES DE ROIS.

PLANCHE IV. N. I. p. 34. Nihil huic numo cum Audoleonte rege Pæoniæ. Similes alii inſcribunt ΔΥ. I. alii ΔΥ. ΛΕ. unus noſtri muſei ΔΥΡ. & talem Pellerinius ipſe Lettre II. Pl. IV. N. 6. Dyrrhachium Illyrici retulit, cujus revera omnes videntur.

Pl. VI. N. IV. p. 55. Vide Suppl. p. 6.

Pl.

Pl. VIII. N. I. & II. Uterque Antiochi III. Addit. aux neuf. Vol. p. 104.

Pl. X. De numo ſexto Demetrii II. a Sidoniis cuſo vide Suppl. I. p. 20.

Pl. XIII. N. I. Secundum Eckhelium Cat. Muſ. Cæſ. P. I. p. 218. in area talis numi indubitato legitur ΑΛΕΔΗ, non ΛΛΕΔΗ ſeu ΜΕΔΗ, ut contendit Auctor p. 104.

Pag. 119. De numis Arſami accuratius diſſeritur Lettr. II. p. 79.

Pl. XV. Phrahati IV. tribuit Auctor Lettr. II. p. 64. quos p. 149. injuſte addixit Mithridati III.

Pag. 183. Quæ ſpectant utriusque Pruſiæ numos, & criteria ex oris ductibus petita, fuſius egi P. II. p. 13. & ſqq.

Pl. XXI. N. I & II. De numis Ballæi diſſerui P. II. p. 154. N. III. Vide Lettr. II. p. 79.

Pag. 205. Patrai numos in Pæonia aut Illyrico domeſticos ſuſpicatur Eckhelius Num. Vet. p. 224. quod attento artificio & inſcriptionis lege ab Audoleontis Pæoniæ reguli numis non magnopere abludant. Addo in ejus conjecturæ ſubſidium monogramma conſpicuum in numo ab Eckhelio producto Tab. XIII. n. 4.

quod

quod ancoræ ſimile frequenter cernitur in argento Audoleontis. Ad hæc tetradrachmus, qui meo muſeo ſervatur, ex illo terrarum tractu ad me delatus eſt.

De cetero quod in genere attinet numos Regum, potiſſimum Bithyniæ, Pergami, Cappadociæ, Syriæ, Parthiæ, & Ægypti, ut Lector meminerit precor, quæ ſupra monui ad numum Pruſiæ p. 13. & ſqq.

RECVEIL DE MÉDAILLES DE PEVPLES ET DE VILLES, TOM. I.

PLANCHE I. N. IV. Auctor legit C. LVCR. P. F. Florezius P. II. p. 638. C. LVCIPI. Eckhelius in ſimili numo Cæſarei muſei P. I. p. 6. teſtatur luculentam epigraphen C. LVCI. P. F. nempe C. Lucilius Publii Filius.

Pl. II. N. 23--27. Spectare Mœſiam, Daciam, terrasque finitimas, adſerui P. I. p. 135-146.

Pl. V. N. IV. Vide Suppl. IV. p. 21.
N. V. Vide Rec. III. p. 183.

Pl. VIII. N. 21. videtur Cypri, vel Ciliciæ. Muſeo Pembrochiano P. 2. T. 87. n. 6. continetur argenteus in iis terris certo, & probabiliter Tarſi cuſus, qui Jovi ſedenti ſubjicit illud ſignum, quod in Pelleriniano

ad

ad pedes tauri cernitur. Idem ſignum occupat unam partem alterius numi argentei, quem Pellerinius in Cypro erutum adfirmat T. CXXII. n. 4. p. 156. Porro celebris Pocokius narrat ſe Larnicæ Cypri multos offendiſſe lapides Phœniciis, ut vocat, literis inſcriptos, quos P. II. T. XXIII. recenſet. Horum uni n. 32. pariter id ſignum præfigitur. Pellerinio videtur litera Koph; ſed hujus forma diverſa, nempe ϙ. Quæ nota bovi imminet, alias frequens eſt in numis Byzacenes, & Gauli inſulæ prope Melitam, a Phœnicibus primum frequentatæ, ut auctor eſt Diodorus Siculus.

N. 22. Corcyræ Joniæ adſerui P. I. p. 185 & ſqq.

N. 30. Lycianorum in Bruttiis. Eckhel C. M. C. T. I. p. 30.

Pl. IX. N. 43. Ubi & quo tempore numi inſcripti ROMANO ſignati fuerint P I. p. 67 & ſqq. indicavi.

N. 48. Merito reſtituit Auctor Hipponio Bruttiorum S. III. p. VII.

N. 55. Valentiæ in Hiſpania tribuendus. Conſule Florez P. II. p. 126.

Pl. X. N. I. Atinatibus Marſorum ſimilem adſcribit Magnanus Miſc. Num. T. IV. Tab. 6. Sed res incerta.

Pl. x. n. 4. Spectatis typis ſimiles exſtant inſcripti ΚΑΙΝΩΝ, de quibus conſulendus Pr. Torremuzza v. Agg. p. 24.

n. 5. Magnano eſt Rubaſtinorum in Apulia. Miſc. Num. t. iv. Non liquet.

n. 6 & 7. Hipponii in Bruttiis. Simillimi apud Magnanum in Bruttia Num. t. 51. præter ΛΑΝΔΙΝΑ fatentur nomen ΙΠΠΩΝΙΕΩΝ.

n. 10 & 11 videntur Pæſti Lucaniæ; fortaſſis & n. 8.

n. 9. Genuina epigraphe DARDANICI. Cuſus ſub Trajano. Vide Frœlich Quat. Tent. p. 443.

Pl. xi. n. 1. Ni ſit Alvonæ, nunc Vallonæ, Epiri.

Pl. xii. n. 4. Auctor Suppl. i. p. 47. Khellio conſentit eſſe hunc numum Buthroto transferendum Thuriam Meſſeniæ.

n. 11. Ex eorum numero, quos Cyrenaicos putant. Confer apud Eckhelium n. v. tab. xvi. n. 5.

n. 13. Apud Eckhelium n. v. p. 137. legitur ΕΠΙΔΑΥΡΟΥ ΙΕΡΑC ad caput laureatum talis numi, cujus averſa inſcribit ſerto ΑCΚΛΗΠΕΙΑ, unde arguit tam hunc Pellerinianum, quam ſimilem Haymii (adde Arigonii) Epidaurum quoque pertinere. Viro

docto

docto facile ſubſcribo, ſi modo epigraphe anticæ partis non fallit. At nuper dubium de ejus fide mihi ſuggeſtum e ſimillimo numo Hunteri, in quo juxta caput Cl. Combius p. 343 legit ΤΥΡΟΥ ΙΕΡΑΣ ΗΡ, vel ut in ectypo ΠΡ. Utra vera ſit lectio, eorum eſt definire, qui tales bene ſervatos ante oculos habent. Eckhelius quem e muſeo Exc. March. Savorgnani edidit, non ipſe vidit. Id certum, Pellerinium in ſuo attrito perperam legiſſe ΝΙΚΟΠΟΛΕΩΣ, dictosque numos ſpectare aut Epidaurum, aut Tyrum.

Pl. XIII. N. 8 & 9. Confer S. III. p. 84. & ſqq.

Pl. XIV. N. 4. Sunt, qui Leucaden malint.

N. 7. Uranopolis Macedoniæ ſibi vendicat. Inſcriptio vera: ΟΥΡΑΝΙΑΣ ΠΟΛΕΩΣ. Eckhel N. V. p. 69.

N. 11. Auctoris ſententiam certam evincit ſimilis numus Pembrochianus P. 2. T. 19. cujus epigraphe ΛΟΚΡ. ΕΠΙΚΝΗ. ut nempe legi debet, non ΕΠΙΚΝΑ, ut habet vitioſum ectypon.

Pl. XVI. N. 1 & 2. Selinuntii in Sicilia ſine controverſia.

N. 11. Pro ΚΡΗΤΑΙΟΣ Khellius legit ΚΛΗΤΑΙΟΣ Adp. II. ad Geſs. p. 13.

Pl. XVII. N. 12. Eodem jure ΚΟΡκυϱαιων eſſe poſſit, ſignatus nimirum, antequam colliderentur cum metropoli Corintho, ut monuimus P. I. p. 231.

N. 13 & 15. Necdum conſtat, ſintne a Corinthiis procuſi, an ab eorum colonis.

N. 14. Argenteos illos obvios, inſignes Palladis capite, pegaſo & litera ϙ, Syracuſarum in Sicilia eſſe, multis argumentis ſtatuere conatus ſum P. I. p. 54. & ſqq. ubi & ſpeciatim de hoc numo Pellerinii.

N. 17. Corſicæ inſulæ probabiliter deberi, conjeci P. II. p. 118.

N. 30. Panormo tribuit Pr. Torremuzza Sic. Vet. Num. T. LVI. n. 14.

Pl. XVIII. N. 1.2.3. De his N. L.

N. 11. Thyream Argolidis rectius revocatur Suppl. I. p. 147.

Pl. XIX. N. 5. Eckhelius Lappæ in Creta tribuit C. M. C. P. I. p. 128.

N. II. Vereor, ut Pellerinius ΔΥΡΑΑΚΟ legerit pro ΣΥΡΑΚΟσιων Siciliæ. Hac epigraphe ſimiles plures editi.

Pl. XX. N. 6. Argos Amphilochicum transfert Auctor Suppl. I. p. 48. immerito mutata mente. Pro Argis

in

in Argolide facit numus ab Eckhelio proditus N. V. T. IX. n. 2. De his redibit ſermo ad numos Pellerinianos pl. XXV. n. 26 & 27.

Pl. XX. N. 14. 15. 16. Maleam e Geographia numismatica Eckhelius timide C. M. C. p 121, audacius ego deleo, talesque numos Siphnum Ægæi maris ſpectare cenſeo. Maxime pro ea inſula militat numus n. 14. Pellerin, Begerum ſecutus, legit ΑΛΕΩΝ, quæ vox prætenſæ literæ Μ juncta ΜΑΛΕΩΝ nomen dederat. Sed enim vera lectio non ΑΛΕΩΝ eſt, ſed ΑΛΕΞΙΩΝ docente numo Wilh. Hunteri p. 185. Unde ruit Malea, & quod rei caput, ſimul ſtabilitur Siphnus, ſiquidem ejusdem magiſtratus nomen ΑΛΕΞΙΩΝ deprehendas in certo Siphniorum numo apud eundem Hunterum p. 274. Unde nullus jam dubito, quin hujusmodi numi ita vertendi ſint, ut litera iis inſcripta non Μ ſit, ſed Σ, initialis nempe Σιφνιων.

Pl. XXI. N. 7. Coſulatur Eckhelius N. V. p. 303 & ſqq.

Pl. XXII. N. 1. Incertis adnumerandus.

N. 2. Certo eſt Tarenti.

N. 3. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ nomen non regis, ſed magiſtratus. Similes invenias apud Pembrochiæ Comitem P. 2. T. II. Haymium P. I. T. XXIII. n. 4. Noſtrum Au-

ctorem R. I. pl. XXVI. n. 14. Eckhelium N. V. T. XVI. n. 9. Dutenſium pl. II. n. 4. Combium T. 41. n. XXII-XXV. Eorum de patria alii aliter. Litem finient poſteri.

Pl. XXIII. N. 20 & 21. In poſteriore Cl. Minervinus Dell'Etim. del Monte Volture p. 99. legit VΞETINΩN, Uxenti Calabriæ. At ſimillimus muſei Cæſarei manifeſte habet AΞ ETIN. Ex artificio tam hunc, quam priorem ad Magnam Græciam, fortaſſis Tarentum, ſpectare conjicio.

N. 24. De inſcriptione ΕΠΙ ΓΡΑΜΜΑ... dubium Burmannus movet in Addendis ad Sicula Dorvillii.

N. 25. 26. 27. De his diſputavimus P. I. p. 46 & ſqq.

Pl. XXV. N. 17-21. Iam conſtat indubitato eſſe Erythrarum Joniæ, pro quibus etiam egregie facit tetrachmus Alexandri Magni Mel. I. pl. II. n. I. de quo Eckhel N. V. p. 74.

N. 26 & 27. De iis rurſum laborat Auctor Suppl. I. p. 48 & 60. Numi difficiles, agitati inter majorum Gentium Numismatologos. Tentemus prius regionem, poſtea urbem, ubi cuſi fuerint. Illam Argolidem exiſtimo; nam I in tali numo apud Khellium Adp. I. p. 41. juxta pharum comparet lupi caput,

put, quod altera parte recurrit, manifeſtum Argivorum ſymbolum. II ΑΡΓΕΙ & ΑΡΓΕΙΩΝ nomen expreſſum legitur in duobus numis a Pellerinio pl XX. n. 6. & Eckhelio N. V. T. IX. n. 2. vulgatis, quorum antica pars prorſus eadem eſt, quæ in controverſis numis, quamvis horum ectypa apud Auctorem noſtrum haud ſatis accurata ſint. III Signum illud galeæ vel pileo ſimile, quod in area pharo plerumque adjicitur, etiam adeſt in alio, quem Eckhelius c. l. n. 3. Argos Peloponneſi merito retulit. IV In tali noſtri muſei præter ſolitum quadratum ϴ conſpicuæ ſunt literæ ΚΛ vel ΚΑ. & hæ leguntur in alio noſtro Argorum numo æreo ſub lupo gradiente. V Ambo modo citati numi ſpectato artificio mire conſpirant. His criteriis provinciam, ubi domeſtici ſunt, Argolidem nempe, manibus tenemus. Modo negotium de urbe. Quo hanc facilius eruamus, expedit advertere præter duos Pellerinii exiſtere ſimiles apud Havercampium de Lit. Gr. p. 251. Haymium T. XXII. n. 8. Khellium l. c. Eckhelium N. V. T. XVI. n. 10. & C. M. C. p. III. & in noſtro muſeo. In omnibus his adſcripta pharo litera quadrata ϴ. Eſt igitur, cur ſub ea nomen urbis latere exiſtimemus. Quænam vero urbs Argolidis eſt, nomen a ϴ auſpicata? Sola Thyrea, cujus paſſim meminere vete-

res.

res. Huic etiam Khellius eum numum dedit, quem utrinque lupi capite inſignem vidit. Præterea pharus Thyreatis egregie convenit, utpote mari adſitis. Quid ergo vetat, quominus his numos illos omnes, notatos quadrato Θ, ſibique ſimillimos tribuamus? Iis proinde adhæreo, ſi modo, quod diximus quadratum Θ, revera ſit ea litera. Quodſi alia nota ſit, cujus nos ſenſus lateat, tum enimvero Argis, Argivorum metropoli, vix aut ne vix quidem tales numi denegari poſſunt ob ſimiles ΑΡΓΕΙ & ΑΡΓΕΙΩΝ inſcriptos, ceterasque ſupra dictas rationes, quæ ut pro Argolide, ita ſimul pro Argis Argolidis faciunt. Ejusdem urbis certum jus in eos quoque numos videtur, qui ſimillimis typis, ſed neglecto Θ, una parte ΑΡΓ & ΑΡΓΕ, altera ΠΑΜΦΑΗΣ inſcribunt, cujusmodi Khellius Pamphium Ætoliæ, Pellerinius Panticapæum, poſt mutata mente Argos Amphilochicum traduxit Suppl. p. 48. Pharus, tridens, & navis, quæ horum numorum partem averſam occupant, maritimæ quidem urbis indicia ſunt, adeoque Peloponneſi Argis mediteraneis repugnare videntur. Verum & Scodra Dalmatiæ, Rhaucus Cretæ, Mylaſa Cariæ naves, delphines, tridentes ſignarunt, quamvis mediterraneæ fuerint. Fortaſſis Argivorum principi urbi hæc

ſigna

ſigna uſurpata ob Naupliam, quæ teſte Strabone των Αϱγειων ναυςαθμον erat. Sane Argolidem manifeſte produnt lupi in numo ſupra memorato. Quid iſti ad Argos Amphilochicum?

N. 28. Errorem nequidquam tuetur Auctor Addit. p. 68. Numus indubitato eſt Crotonæ in Magna Græcia, & epigraphe nitida cum in meo, tum in aliis bene ſervatis KPO.

Pl. XXVI. N. 9. In tali apud Begerum Theſ. Brand. T. I. p. 276. & de Wiſe Cat. Num. Bodl. p. 342. ad navim legitur ΠΟΣΕΙΔΩΝΙΟΣ, quem etiam Pellerinius attulit, & inique Cnido Cariæ addixit haud dubie ob literas KI, quæ ſubtus collum Apollinis comparent. Easdem literas refert ſimillimus, ſed attritus Pembrochiæ Comitis P. 2. T. 25. in quo magiſtratus ΠΡΟΞΕΝΟΣ; unde putabam iſtorum numorum patriam delitеſcere ſub literis KI. Verum Hunteri muſeo continetur utraque parte ſimillimus, qui Apollini æque ſubſcribit K, altera litera I probabiliter fugiente, averſa autem parte ſupra dimidiam navim fatetur BAK, infra vero ΜΕΓΑ; (Combius T. 36. n. XIX.) ut adeo omnes hi numi Megaram ſive Atticam, ſive Siculam ſpectent, cujus etiam plures ærei exiſtunt, qui dimidiæ navi ſubjiciunt ΜΕΓΑ.

Pl. XXVI. N. 10. 11. 12. Rectius videntur transferendi Demetriaden Aſſyriæ, quo retulit duos ſimiles eruditus Combius T. 25. n. 5 & 6. in quorum altero ſub urbis ſedente genio natat dimidio corpore fluvius, non expreſſus in ectypo Pelleriniano. Ejusmodi fluvii in Europæ vix, in Syriæ terrarumque vicinarum pecunia ſæpiſſime natant ad pedes ſedentium geniorum. Ad hæc cum titulus ΤΗΣ ΙΕΡΑΣ, tum ceteræ horum numorum periſtaſes multo magis pro Aſia faciunt, quam pro Europa.

N. 14. Vide ſupra notata ad Tab. XXII. n. 3.

Pl. XXVII. N. 16. Lampſaco Myſiæ ſupra tribuimus. Vaſorum ſimilitudo ſi noſtris oculis credimus, immerito ab Auctore prætenditur.

N. 25. Haud ſcio, an præter Nicopolin Epiri alia quoque Europæ urbs *Sacra* e numis certis hactenus innotuerit; nam de iis, quos Auctor Demetriadi Theſſaliæ addixit, paulo ante motum dubium. Contra vero Aſiæ plures urbes eo titulo uſas fuiſſe omnibus conſtat; & cum inſuper utriusque partis typi nihil commune habeant cum ceteris, quos perſpectæ Lariſſæorum in Theſſalia monetæ referunt, unam e Lariſſis Aſiæ, atque inter has, quæ Syriæ

fuit,

fuit, præferre malim. Non multum abſimilis numus continetur muſeo Pembrochiano P. 2. T. 18.

Pl. XXVII. N. 30. ΜΑΛΙΕΩΝ, non ΜΑΛΙΩΝ inſcribunt, atque inſcribere debent indubii Malienſium Theſſaliæ numi; quandoquidem ὁ πολιτης Μαλιευς, ut apud Stephanum. Hinc præſens, aliique inſcripti ΜΑΛΙΩΝ nullo pacto Theſſalis Malienſibus competunt. Ut ΜΑΛΙΩΝ pro ΜΗΛΙΩΝ Ægæi maris dorice expreſſum credam, repugnante licet Cl. Leblondio Mem. des Inſcr. T. XL. p. 88, ſuadent tres argentei numi, quorum primus Hunteri T. XXXVI. n. 27 ſolam literam M, ſecundus ejusdem muſei n. 28 initialem ſyllabam MA, tertius Regis Galliarum Mem. des Inſcr. l. c. integrum ΜΑΛΙΩΝ nomen peponi jungit. Quis neſcit eum fructum Melo familiarem fuiſſe & proprium? Unde etiam monetariis ejus inſulæ ſufficere videbatur in primo e tribus citatis numis ſolam literam M notare, nempe quod e ſigno peculiari, cujus eſſet patriæ, alioquin omnibus pateret. Ut nihil dicam de Palladis galeato capite & magiſtratibus, in æreis numis ΜΗΛΙΩΝ æque conſpicuis, ac in citatis argenteis ΜΑΛΙΩΝ. Quodſi auctores veteres conſtanter Melios, nunquam Malios vocarunt, id parum turbat. Quid auctorum requirimus fidem, quam monumenta faciunt, potiſſimum ex-

 preſſi

preſſi in iis pepones? Metallum nobile & grave pondus quod attinet, Pariorum quoque Ægæi maris magnum numisma argenteum nuperrime vulgavit Combius e theſauro Hunteri, quod etiam ſpectata ratione inſcriptionis cum Pelleriniano ΜΑΛΙΩΝ belle conſpirat.

Pl. XXIX. N. 8. Sub Archelao Macedoniæ rege cuſus, cujus nomen ſimillimo numo inſcriptum Méd. de Rois pl. I. n. 2.

Pl. XXX. N. 12. Pro Ægis in Æolide ſtat Khellius apud Eckhelium Num. vet. p. 201.

Pl. XXXIII. N. 3 & 6. ad mentem Combii ſunt Tei in Jonia Tab. LVII. De priore conſentio, quod in certis THIΩN inſcriptis numis, quos equidem vidi, ſemper gryphus ſiniſtram partem reſpiciat: contra vero nulla ratio ſit, cur Abderam præferas.

N. 7. De eo ſupra diſſeruimus p. 177.

N. 9. Phocæam Joniæ transtuli P. II. p. 39.

Pl. XXXIV. N. 13. Indubitato eſt Apolloniæ Illyridis. Eckhel Num. vet. p. 39.

N. 14. Khellius Adp. II. p. 160. & Auctor Suppl. I. p. 52. de hoc numo litigant, uterque fruſtra: ſiquidem Cnoſſi eſt in Creta, ut obſervavit Eckhel Num.

vet.

vet. p. 146. Combius præhabet Cydoniam in Creta; cujus judicii cauſſam ignoro, præcipue cum ipſe Cnoſſi numum ediderit T. XIX. n. IV. utriusque partis ſymbolis ſimillimum iis, de quibus negotium eſt.

Pl. XXXVI. N. 17. Auctor monet artificium numi differre a præcedentibus, quos Sarmatiæ Europææ Olbiopoli adjudicat. Quid ſi foret Olbiæ Sardiniæ? Ea inſula revera fabricavit numos, qui huic conveniunt ſpectatis typis. Talem recenſet Catalogus Muſei Cæſ. P. I. p. 47.

Pl. XXXVII. N. 9. De ejus patria paulo ante diſputatum.

RECUEIL DE MÉDAILLES TOM. II.

Pl. XLI. N. 4. Nullo dubio Tarſi Ciliciæ. Eckhel Num. vet. p. 272. & C. M. C. in Præf.

N. 6. Potius Elidis in Peloponneſo. Confer Khellii Adp. ad Geſn. T. I. n. 6.

N. 16. Samothrace inſula talium numorum patria ſecundum Eckhelium C. M. C. p. 82. ni forte Samoſata Syriæ. Confer Combii Deſc. Num. Hunt. T. 47. n. 10.

Pl. xliv. n. 42. Haymius t. ii. p. 131. & Auctor muſei Pembrochiani t. i. P. 2. tab. 12. n. 6. legerunt ΛΑΙΡΒΗΝΟΣ.

Pl. xlv. n. 48. Iconii in Lycaonia. Eckhel. Num. vet. p. 272.

Pl. xlvi. n. 66. De eo rurſus Auctor Suppl. i. p. 51. ubi ſententiam ſuam tuetur adverſus Khellium, qui aliter ſentit.

Pl. xlviii. n. 11. Malim Cnidi in Caria. Confer pl. lxvii. n. 32. Occaſione ita ferente notaſſe juvabit, typum Auctori incognitum numi Cyziceni pl. xlix. n. 19. certo eſſe tædam ardentem, quæ non raro conſpicitur in ære Cyzici.

Pl. lxvii. n. 33. Numum Megarenſem ſupra diximus.

n. 49. Confer Addit. aux neuf. Vol. p. 45.

Pl. lxix n. 1. Reſtituendus Abydo Troadis. Eckhel Num. vet. p. 217.

Pl. lxx. n. 12. 13. 14. Combio videntur p. 322. Terpilli Macedoniæ.

Pl. lxxi. n. 15. Vide Suppl. i. p. 62.

n. 22. Inſulæ Siphno vindicavimus P. ii. p. 167.

Pl. lxxii. n. 10. Erythras Bœotiæ revocandus. Eckhel C. M. C. p. 110.

Pl.

Pl. LXXIV. N. 27. Alterius potius Seleuciæ putat Eckhel C. M. C. p. 187.

Pl. LXXVI. N. 10. Antiochiam Cariæ præfero, cujus provinciæ urbibus ſimiles typi placuere. Confer apud noſtrum pl. LXVI. n. 28. & potiſſimum pl. LXVIII. n. 63.

Pl. LXXX. N. 76. Chalcidis in Eubœa.

Pl. LXXXV. N. 18. In Judæa quidem ſignatus. Sed ΙΟΥΛΙΑ non urbis nomen eſt, ſed Juliæ Tiberii matris. Eckhel. C. M. C. p. 288.

RECUEIL DE MÉDAILLES TOM. III.

Pl. LXXXVII. N. 19. De hoc egimus P. II. p. 158.

Pl. LXXXVIII. N. 9. ARISIO legit etiam Eckhelius. Sed Bayerus Del Alf. de los Fenices p. 367. & Combius p. 86. ARISTO legunt.

Pl. LXXXIX. N. 2. Certo eſt Chalcidis Eubœæ. Auctor fere conſentit Suppl. I. p. 63.

N. 5. ΑΝΔΡΩΝ magiſtratus nomen. Inſulæ Andri gentile Ανδριος. Eckhel Num. Vet. p. 159 e monogrammate auguratur Smyrnam. Porro confer hunc incognitum cum alio incognito Pelleriniano pl. CXVII. n. 14.

Pl.

Pl. LXXXIX. N. 6 & 7. Spectare Apolloniam Siciliæ, invicte probant ſimiles apud Pr. Torremuzzam Sic. Vet. Num. T. LXXXVIII. n. 4. & Combium T. 6. n. XII. qui Apolloniæ Tauromenii nomen ſociant.

Pl. XCII. N. 11. Iſſæ Adriatici maris. Eckhel Num. vet. p. 88.

N. 12. Samæorum in Cephallenia mihi viſus P. II. p. 159.

Pl. XCIII. N. 9. Flatus a Corcyræis Phæaciis.

Pl. XCIV. N. 1. Cl. Leblondius a me rogatus, ut hunc numum rurſus examinaret, reſpondit legi IKAIV. & tres quidem priores literas perſpicuas eſſe. Suſpicabar legi oportere KAPY. nempe Caryſtiorum Euboeæ.

N. 4. Verius Rhithymnæ in Creta. Eckhel Num. vet. T. X. n. 10. Combius T. 44. n. XXIII.

N. 5. Combius T. 26. n. XX. legit EP. & pro Ereſo Lesbi ſtat.

N. 6. Equidem inter incertos collocaſſem.

Pl. XCVI. N. 19. & 20. De his & P. I. p. 177. & P. II. p. 173 & ſqq. egimus.

Pl. XCVII. N. 6. Mihi quidem nulla cognita ratio, cur Arcades Cretæ præferam Arcadibus Peloponneſi.

Pl.

Pl. XCIX. N. 42. Caſſopæis reſtitui P. II. p. 162.

Pl. C. N. 55. Haymius, & noſter legunt CAΞΙΩΝ: alii, uti Dutenſius & Combius FAΞΙΩΝ. Quos ego vidi in Cæſareo aliisque muſeis, perſpicue CAΞΙΩΝ inſcriptos offendi; unde cum Pellerinio revera Saxiorum Cretæ arbitror, quorum meminit inſcriptio vetus in Creta eruta, quam protulit Chishull.

N. 58-61. Omnes quatuor potius Tegeæ Arcadiæ ſunt, quamvis Auctor repugnet Suppl. I. p. 52. Vide Eckhel. Num. vet. p. 141.

Pl. CI. N. 66. Phalaſarnæ favet Auctor, quod tridens magis competat ei urbi maritimæ, quam Phæſto mediterraneæ. Sed & Rhaucus, alia urbs Cretæ, eo typo uſa, licet etiam mediterranea.

Pag. 76. Argenteus ſecundo loco propoſitus neque inſulæ Cythni eſt, neque Cydoniæ in Creta, ut conjicit Auctor, ſed Segeſtæ in Sicilia. Confer ſimiles apud Pr. Torremuzzam Sic. Vet. Num. T. LXIII. n. 17. & Combium T. 48. n. 4.

N. 4. Combius in ſimillimo Hunteri T. 47. n. VI. legit ΣΑΜΙΩΝ. Si hæc perigraphe ſibi conſtat, utique adhærendum Samo Joniæ, cui jam Spanhemius Pelleriniano ſimilem numum ex conjectura tribuit.

Pl. CII. N. 8. Corcyræ Joniæ.

Pl. CIII. N. 1. De eo recurrit ſermo Suppl. I. p. 59. & Suppl. III. p. 107. Dutenſius Expl. de Méd. Gr. p. 76. pro Magneſia Theſſaliæ pronunciat. Et revera in ea regione centauri domeſtici ſunt, nec Magneſia ſola, ſed & Mopſium, alia Theſſaliæ urbs, eos in numis ſuis propoſuit. Iisdem delectata quoque Theſſalonica Macedoniæ, & ni fallor, Amphipolis in ære ſuo.

N. 12. Ob peponis imaginem ΜΑλιων ſuſpicio, dorice nimirum pro ΜΗλιων Ægæi maris.

Pl. CIV. N. 1 & 2. Varie explicantur. De iis Dutenſius aliique.

N. 2. Meliorum in numo epigraphe genuina ΤΥΧΗ, non ΝΙΚΗ. Id docent ſimiles numi, quorum alter eſt in Havercampii Diſſ. de Litteris Græcis: alter apud Muſellium T. II. tab. XII. n. 6.

Pl. CV. N. 1. 2. 3. Auctor ſententiæ ſuæ nimium tenax eſt Addit. aux neuf. Vol. p. 70. Omnes hi citra dubitationem Naxum Siciliæ pertinent. Eckhel tam Num. Vet. p. 47. quam Cat. Muſ. Cæſ. in Præfatione, & Pr. Torremuzza Sic. Vet. Num. p. 52.

Pl. CVI. N. I. Parii in Myſia certo ſignatum animadvertimus P. I. p. 174.

Pl.

Pl. CVIII. N. 8. Conſentit Pr. Torremuzza Sic. Vet. Num. p. 11. Pellerinius ſententiam retractat Suppl. IV. p. 33. atque in Alabum Siciliæ inclinat. Aliis placet Alipha Samnii. Res incerta.

Pl. CIX. N. 32. Plures vidi hujusmodi numos, quorum una parte Palladis, Mercurii, Dioſcurorum capita: altera occurrunt tria frumenti vel hordei grana in triangulum poſita imminente plerumque caduceo, & adjecta epigraphe ME. vel META. quorum unum etiam Magnanus prodidit in Lucania Num. T. 42. n. XIV. Hos ſi inter ſe comparaveris, eſſe omnes Metaponti Lucaniæ patebit. Auctoris error inde natus, quod laborantis in ſuo numo caducei partem inferiorem crediderit literam I, unde IME legit. Idem nuper accidiſſe video erudito Combio T. 30. n. 25.

Pl. CX. N. 48. Video cornucopiæ & ΛO in numo Locrorum Italiæ R. I. pl. VIII. n. 27. Quid ſi illius inſcriptio foret ΛOK, non ΛOΓ? Poſſit & litera Γ, ſeparata a ΛO, propriam habere ſignificationem. Sane variæ literæ ſolitariæ occurrunt in pecunia Locrorum Epizephyriorum.

N. 49. Numus Maſſilienſis Galliæ, uti probavimus P. I. p. 3.

Pl. cx. n. 52. Et hic Maſſilienſis videtur. Ejus mentionem feci P. ii. p. 110.

Pl. cxi. n. 55 & 56. Magnanus Bruttia Num. p. ix. teſtatur in tali Nojano urbis nomini additum eſſe ΛΟΚΡΩΝ, & hinc nihil dubitat, quin tales numi Orram, ſeu Uriam, in Bruttiis pertineant.

n. 57. De patria cum Eckhelio Num. Vet. p. 100. conſentio, minime de typorum interpretatione. Nimirum in averſa Herculis non præceptorem Chironem, ſed hoſtem video centaurum Oreum, qui multo impetu, armatusque flagelli genere in pugnam contra Herculem ruit. Et hanc pugnam, de qua Pauſanias, exhibet pariter inſigne marmor apud Winkelmannum Mon. Ant. t. 65. in quo idem centaurus ſimillimo habitu, armatusque non abſimili flagello adverſus Herculem decertat. Quod flagellum adpello, poſſis arboris ramum vel truncum dicere. In quadam vetere gemma centaurus ex arboris ramo clavam conficit, videlicet pugnis aptam. (Winkelm. Pierr. gr. p. 329.) Ab Oreo centauro urbi nomen factum fuerit, quæ proinde, uti græcarum urbium mos ferebat, memorabilem fabulam in ære ſuo celebravit.

n. 59. Palenſibus Cephalleniæ reddi debet. Probatum noſtra P. i. p. 210.

Pl.

Pl. cxii. n. 10. In talibus bene ſervatis ΕΤ, non ΓΤ. Confer, ſi lubet quæ ſupra diximus p. 169.

Pl. cxiv. n. 1. Rejiciendus inter Mœſiæ, Daciæ, tractusque vicini numos, de quibus fuſius egi P. i. p. 135 ſqq. ubi ſpeciatim de hoc.

Pl. cxv. n. 3. Eo typo alias Alexandria Troas delectata.

n. 12. Non Dardani, ſed Caryſtiorum in Eubœa eſſe monuimus P. ii. 165.

n. 13. De hoc certe Corcyræo a me actum P. i. p. 182.

n. 15. Tales etiam Combius Deſcr. Num. Hunt. t. lxvii. n. 15 & 16 vulgavit inter incognitos, ſed in præfatione Cletæ Italiæ tribuit. Equidem Tarenti exiſtimo ductus anticæ typo, & epigraphe ΚΛΗ. Radiatum Phæbi caput adverſum conſpicitur in certo numo Tarenti, ſed quem Cl. Combius t. 30. n. xxv. p. 156 inique dedit Himeræ Siciliæ, ut paulo ante dictum, quo loco ſimilem Pellerinii errorem notavimus. Porro Tarentinis quandoque placuit, neglecto nomine, nonniſi ΚΛΗ ſuis numis inſcribere. Id docet aureus Pembrochianus, qui hic caput Herculis, illic Neptunum bigis vectum exhibet t. i. tab. iv. n. 11. Is licet urbis nomen in-

videat, tamen indubitato a Tarentinis cuſus eſt; quod conficio ſimillimo aureo Pellerinii Lettre I. Pl. II. n. I. qui iisdem omnino ſignis addit nomen ΤΑΡΑΝΤΙΝΩΝ.

N. 23. Componendus ſimillimo Hunteri, quem Combius T. 67. n. III. licet inſcriptum ΛΑ. æque incertis adnumeravit. Uterque manifeſto eſt Lariſſæ in Theſſalia. Si etiam dubitas, confer apud Pellerin Pl. XXVII. n. 24.

Pl. CXVI. N. 5. Coloniæ Corinthi nomen in talibus bene ſervatis legitur.

N. 9. Literæ C B interpretandæ ſunt: Colonia Berytus, nempe Phæniciæ. Nitor Beryti numo Pelleriniano R. II. Pl. LXXXI. n. II.

Pl. CXVII. N. 2. Corcyram Phæaciam revocavimus P. I. p. 193.

N. 5. Pro Tanagra in Bœotia pronunciavit Eckhelius Num. Vet. p. 114. Tamen utriusque partis ſigna potius alicujus inſulæ admonent. Pro Tapho, cui favet Pellerinius, etiam Combius ſtat p. 304.

N. 6. Arigonius tab. XIII. n. 132. legit ΛΑΡΙ. & Larinum Italiæ prætendit. Lariſſa Theſſaliæ præplacet Khellio Adp. II. ad Geſs. p. 101 : mihi Seriphus inſula Ægæi maris propter adfines numos muſei

ſei Meadiani, & Hunteri T. 49. n. 11. quorum epigraphe ΣΕΡΙ. Priorem ſyllabam ΣΕ forſitan ætas in numo Pellerinii abſtulit.

N. 8. Vide Suppl. II. p. 37.

N. 10. De eo Khellius Adp. II. p. 164. & rurſum Pellerinius Suppl. II. p. 92. ubi Epiri judicat. Conſentit Eckhel Num. Vet. p. 100. Ad Jovis caput vera inſcriptio ΑΡΓΕΑΔΗΣ.

N. 11. Magna ejus adfinitas cum alio R. II. Pl. LXV. n. 7. unde parum abeſt, ut credam loco ΑΛΙΤΔ debere legi ΑΛΙΝΔεων Cariæ.

N. 14. In tali Combius legit ΚΑΙΣΙΕ... ΟΥΜΕΝΤΗΙ T. 67. n. XXI.

N. 15 & 16. Maſſiliæ ſignati, ut ſupra dictum p. 109.

Pl. CXVIII. N. 3. Cythnum inſulam divinavimus P. I. p. 250.

N. 13. Αεγειων Peloponneſi non vana ſuſpicio.

Pl. CXIX. N. 24. Vide Bayer Del Alf. de los Fenices &c. p. 344.

N. 25. Iterum Suppl. IV. p. 106. atque iterum Additions aux neuf Vol. p. 43. Confer Bayer l. c. p. 338 ſqq. Generatim Pellerinius de Phœniciis numis fuſius diſſerit Suppl. IV. p. 48. & Lett. I. p. 27.

Pl.

Pl. cxx & cxxi. De Punicis, quos comprehendunt hæ duæ Tabulæ, Idem citatis locis. Adde Addit. aux neuf Vol. p. 38. Quosdam ex his interpretari conatur doctus Bayer paulo anto citato opere.

Pl. cxxii. n. 7 & 8. Tarſi in Cilicia, aut certe in vicinia cuſi. Quædam huc facientia notavimus ad numum Nagidi. Conſule quoque Dutenſii Expl. de Méd. Gr. & Phen. p. 11 & ſqq.

Pl. cxxiii. n. 5. Fabricavit Pharcadus Theſſaliæ. Evincitur ſimili apud Eckhelium Num. Vet. t. vi. n. 16.

n. 16. Eſſe Calactinorum Siciliæ, Auctor cum Khellio convenit Suppl. i. p. 50.

Pl. cxxxvi. Sebaſtopolin Ponti merito revocatur Suppl. i. p. 50.

MELANGE DE MÉDAILLES TOM. I.

Pag. 25. De numo huic paginæ inſerto recurrit mentio Mel. ii. p. 338.

Pl. ii & iii. In numos Alexandri M. binis his tabulis relatos egregie commentatus eſt doctus Eckhelius Num. Vet. p. 70.

Pl. iv. n. 6. Confer Addit. aux neuf Vol. p. 40.

Pag.

Pag. 161. De aureo huic paginæ præfixo egimus P. I. p. 88.

Pl. VIII. N. 12. Eximium hunc numum Hierapoli in Syria cuſum docet meus P. II. T. III. n. 2. propoſitus.

MELANGE DE MÉDAILLES TOM. II.

Solis, ut initio dictum, intenti numis, quorum patriam aut non invenit, aut non recte ſtatuit Pellerinius, non habemus, quod in hanc partem commentemur.

SUPPLEMENTS I ET II. AUX SIX VOLUMES.

S. I. Pl. I. N. 3. Ex eorum numero, de quibus diſſerui P. I. p. 135-146.

N. 4. Procul dubio flatus a barbaris ad imitationem ſimilium argenteorum Alexandri M. De talibus ſemel atque iterum opuſculo noſtro actum.

N. 8. Suſpicabatur Eckhel. Num. Vet. p. 129. MEΛITAIΩN nomen. Sed Auctor unquibus & roſtro tuetur perigraphen ΕΛΕΙΔΙΩΝ. Additions aux neuf Vol. p. 28.

S. II. Pl. I. N. 2. Caput eſt Italiæ, ac inſcriptio non VITELIV legenda, ſed VITELIA ſeu BITELIA, unde

poſtea ITELIA ac ITALIA. Confer quoque Suppl. III. n. 3. & Cir. Sav. Minervino Dell' Etim. del Monte Volture p. 94 & ſqq. Quare incaſſum de Vitellio laborat Auctor. Porro variæ in ſegmento talium numorum literæ conſpicuæ.

S. II. Pl. I. N. 4. De patria & inſcriptione ſimilium monetarum dignus, qui conſulatur Nic. Ignarra De Palæſtra Neapol. p. 262.

N. 8. Neapoli Campaniæ adſertus noſtra P. I. p. 13.

N. 9. Urſentinis Lucaniæ tribuitur Lettr. I. p. 20.

Pl. III. N. 11. Incuſam huic denario notam explicuimus P. II. p. 185.

Pl. VII. N. 5. Loco ΚΑΚΚΙΑΙΑΝΟΥ legendum ΚΑ. ΚΕΙΛΙΑΝΟΥ. Eckhel Cat. Muſ. Cæſ. p. 160.

Pl. VIII. N. 10. Corintho Syracuſas transtuli P. I. p. 54. ſqq.

SUPPLEMENTS III. IV ET DERNIER AUX SIX VOLUMES.

S. III. Pl. I. N. I. Arſacis ſive I. ſive II.

Pl. III. N. 6. Cujus ſit Heracleæ, etiam poſt ſecundas Pellerinii curas indeciſum.

S. III. Pl. III. N. 9. Opinor Joniæ Corcyræ. De patria numorum n. 8 & 10. hæret etiamnum ſcrupulus.

Pl. IV. N. 9. Confer Suppl. IV. p. 37.

Pl. V. N. 3. Vide, quæ notavi ad ſimilem Pl. CIII. n. I.

N. 5. Thebis in Bœotia cuſum probat ſimilis in Goltzii Græcia T. XVII. qui Bacchi vultui ſubſcribit ΘΕ. In averſa Goltzius, & Cuper Lettres de critique p. II. legunt ΚΕΤΡΙΓΟΡΙΟΣ.

N. 7. Dolet in noſtro ſimillimo attritam eſſe anticæ partis epigraphen. Non vana tamen Corcyræ ſuſpicio.

N. 8. Athenas potius ſpectare monet Auctor in Indice, optime ſane.

S. IV. Pl. II. N. 13. Ratione hujus alteriusque numi R. III. Pl. CVIII. n. 12. immerito dubitare Auctorem de Alæſa Archonidia Siciliæ, Pr. Torremuzza monuit Agg. II. p. 100.

P. 106. Vide Addit. aux neuf. Vol. p. 43.

Pl. III. N. 2. Monogramma poſſit eſſe Απειρωταν. Et vero ſigna & corona quercea Epirum innuunt.

LETTRES DE L'AUTEUR DES RECUEILS DE MÉDAILLES.

L. II. pag. 57. Numus huic paginæ inſertus eſt Ptolemæi VIII. Le Blond Obſerv. p. 7.

Pl. I. N. 5. Eckhelio viſus Demetrii II. Num. Vet. p. 278.

Pl. IV. N. I. Nullo dubio Abacenen Siciliæ revocandus. Pr. Torremuzza Agg. II. p. 91. & Agg. IV. p. 205.

N. 5. Æque certo Panormi Siciliæ. De ſimilibus numis agit doctiſſimus Pr. Torremuzza Agg. IV. p. 232.

N. 7. Anactorium præfert Eckhel. Num. Vet. p. 127.

ADDITIONS AUX NEUF VOLUMES.

Pag. 18. Similes retrograde ſcribunt alias ΚΑΜΓΑΝΟ. non ΚΑΓΓΑΝΟΝ. Eckhel talem vulgavit Num. Vet. p. 18.

Pag. 43. Conſule quoque Bayer Del Alf. de los Fenices p. 339.

Quæ Illuſtris Auctor potiſſimum p. 68. & ſequentibus de plurium numorum patria diſceptat prolixius adverſus Eckhelium, ab hoc ſolide diluuntur in Præfatione Catalogi Muſei Cæſarei.

FINIS ANIMADVERSIONVM.

CATA-

CATALOGVS GEOGRAPHICVS
POPVLORVM, VRBIVM ET REGVM, QVORVM NVMI CONTINENTVR AVCTORIS MVSEO.

Sub ſinem additæ notæ in titulos aſtro notatos.

E V R O P A.

HISPANIA.

Hiſpanorum.

HISP. LVSITANICA.

Emerita. *Auguſtus. Tiberius.*

BAETICA.

Carteja.
Gades.
Obulco.
Col. Patricia. *Auguſtus.*
Col. Traducta. *Auguſtus.*

TARRACONENSIS.

Cæſarauguſta. *Auguſtus vel Tiberius. Nero & Druſus Caeſs.*
Carthago Nova. *Auguſtus.*
Caſcantum. *Tiberius.*
Celſa. *Auguſtus.*
Coſſetani, *aut* Lacetani. *Velasquez.* T. XV. n. 8 & 9.
Elmandica.
Emporiæ.
Ilerda.
Lacetani, *aut* Celſa *Velasq.* T. XIV. n. 10.
Oſca.
Sætabi.
Segobriga. *Tiberius.*
Hiſpaniæ *numi incogniti vetuſto charactere patrio inſigne.*

GALLIA

AQVITANICA.

Vergasillauni *Arverni numus tempore & capite Vercingetorigis cuſus. Bouteroue p.* 64.

LVGDVNENSIS.

Lugdunum.
Remi.
Turones.

BELGICA.

Durnacus.
Germanus Indutiomarus, *Trevirorum Princeps. Beger, ſed variant ſententiae.*

NARBONENSIS.

Antipolis.
Maſsalia, *ſeu* Maſſilia.
Nemauſus. *Numi autonomi, & Auguſtus cum Agrippa.*
Vienna. *Caeſar. & Auguſtus.*

BRITANNIA.

*Ateula & Ulatos.
Britanniæ & Galliæ *numi incerti.*

ITALIA.

GALLIA CISPADANA.

Ravenna.

ETRVRIA.

Falerii.
Graviscæ.
Coſæ *aureos ex Etruria transtuli in Thraciam.*

VMBRIA.

Ariminum.
Tuder.

PICENVM.

Ancona.
Hatria. *Eximium maximae molis QuincuncemPaſſerio, Quarnaccio, & Comite Pembrochiae accuratius in aere propoſuit Em. Card. Zelada.*

MARRVCINI.

Teate.

FRENTANI.

Larinum.

LATIVM.

Roma.

CAMPANIA.

Cales.
Capua.
Cumæ &
Liternum.
Neapolis.
Nuceria Alfaterna.
Sueſſa.
Teanum Sidicinum.

SAMNIVM.

Æſernia.

APVLIA.

Arpi.
Cælium.
*Hydruntum.
Hyrium.
Luceria.
Salapia.

CALABRIA.

Brunduſium.
Tarentum.

LVCANIA.

Heraclea.
Metapontum.

LVCANIA.
Biſtuvium, *poſtea*
Poſidonia, *dein*
Pæſtum.
Sybaris.
Thurium.
Velia.

BRVTTII.

ΒΡΕΤΤΙΩΝ.
Berth *ſive* Birth.
Caulon.
Croton.
Locri Epizephyrii.
Mamertini.
Orra.
Rhegium.
Terina.
Valentia.

INSVLAE CIRCVM ITALIAM.

SICILIA.
Ætna.
Agrigentum.
Agyrina.
Alæſa.
Calacta.
Camarina.
Catana.
Centuripa.
Entela.
Eryce.
Gela.
Leontini.
Lilybæum.
Mamertini, *dein* Meſſanenſes.
Megara.
Menæ.
Panormus. *Autonomi, & Auguſtus cum Livia.*
Segeſta.
Syracuſæ.
Tauromenium.

R. Gelo.
Hiero. I.
Agathocles.
Pyrrhus.
Philiſtis.
Phintias.
Hiero II.
Pœnorum *numi in Sicilia cuſi.*
Romanorum *numi in Sicilia cuſi.*

MELITA.
COSSVRA.
GAVLOS.
CAENE.
LIPARA.
SARDINIA.
CORSICA.

GOTHORVM REGES IN ITALIA.

Theodoricus.
Athalaricus.
Theodahatus.
Witiges.
Baduela.

Italiæ *numi incogniti.*

CHERSONESVS TAVRICA.

Heracleum.
Panticapæum.

DA-

DACIA PROVINCIA.

* Dacia. AN. I. *Philippus. Otacilia. Philippus Fil.*
AN. II. *Philippus. Otacilia. Philippus F.*
AN. III. *Philippus P. & F.*
AN. IIII. *Etruſcilla.*
AN. V. *Decius. Herennius. Hoſtilianus. Gallus. Voluſianus.*
AN. VI. *Gallienus.*
AN. VIII. *Æmilianus.*
AN. X. *Gallienus.*

MOESIA SVPERIOR.

Viminacium. AN. I. II. III. *Gordianus Pius.*
AN. IIII. *Gordianus. Philippus.*
AN. V. *Gordianus. Philippus.*
AN. VI. *Philippus.*
AN. VII. *Philippus.*
AN. VIII. *Philippus. Otacilia. Philippus Fil.*
AN. VIIII. *Philippus.*
AN. X. (*ni potius* XI. *vel* XII.) *Decius.*
AN. XI. *Philippus. Decius.*
AN. XII. *Decius. Etruscilla. Herennius. Hoſtilianus. Gallus. Voluſianus.*
AN. XIII. *Gallus. Voluſianus.*
AN. XIV. *Gallus. Æmilianus.*
AN. XV. *Mariniana.*
AN. XVI. *Gallienus.*

MOESIA INFERIOR.

Callatia. *Autonomi, & Severus.*
Iſtrus.
Marcianopolis. *Severus. Caracalla. Macrinus. Macrinus & Diadumenianus. Diadumenianus. Alexander. Alexander & Mamaea.*
Nicopolis. *Trajanus. Elagabalus. Diadumenianus.*
Tomi. *Commodus.*

THRACIA.

Abdera.
Ænus.
Anchialus. *Fauſtina Jun. Gordianus. Gordianus & Tranquillina.*
Biſanthe.
Bizya.
Byzantium, *poſt* Conſtantinopolis.
Cardia.
* ΚΟΣΩΝ.
Hadrianopolis. *Commodus. Caracalla. Gordianus.*
Lyſimachia.
Maronea.
Meſambria. *Autonomi, & Gordianus cum Tranquillina.*
Pautaliæ. *Antoninus P. Aurelius. Fauſtina Jun. Verus. Commodus. Severus. Caracalla. Elagabalus.*
Perinthus.
Philippopolis. *Aurelius. Commodus. Caracalla.*
Serdica. *Severus. Caracalla. Elagabalus.*

THRACIA.

R. Seutes III.
Lyſimachus.
Rhoemetalces. I.

*SAMOTHRACE INS.

THASVS INS.

PAEONIA.

R. Audoleon.

MACEDONIA.

ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ.
Macedoniæ Pars I.
Amphipolis.
Aphyta.
Caſſandrea. *Aurelius.*
Heraclea Sintica.
Neapolis.
Pella.
Philippi. *Autonomi, & Auguſtus. Claudius. Domitianus.*
Stobi. *Aurelius. Severus. Domna. Caracalla. Elagabalus.*
Theſſalonica. *Autonomi, & Cajus Agrippae fil. Agrippina. Veſpaſianus.*
Uranopolis.

R. Archelaus.
Amyntas III.
Perdiccas III.
Philippus II.
Alexander M.
Caſſander.
Antigonus I. Gonatas.
Demetrius II.
R. Antigonus II. Doſon.
Philippus IV. *Demetrii fil.*
Perſeus.
Macedoniæ *regum numi incerti.*
Macedoniæ, Mœſiæ, Daciæ *Principum ac Regulorum numi barbari incogniti.*
Ejusdem tractus *Barbarorum plagia numismatica.*

THESSALIA.

Theſſali. *Autonomi, & Aurelius.*
Lamia.
Lariſſa.
*Magneſia.
Oetæi.
Pharſalus.

EPIRVS.

Apirotæ.
Ambracia.
Caſſope.
Nicopolis. *Autonomi, & Auguſtus. Trajanus. Hadrianus. Antoninus. Aurelius. Commodus. Domna. Caracalla. Elagabalus. Gordianus. Valerianus. Gallienus. Salonina.*
R. Alexander *Neoptolemi fil.*
Pyrrhus.

CORCYRA INS. *prope Epirum. Autonomi, & Antoninus. Severus. Domna. Caracalla. Plautilla. Geta. Elagabalus.*

ILLYRICVM GRAECVM.

Apollonia.
Dyrrhachium.

ILLYRICVM BARBARVM.

Hyllis *peninſula Liburniae.*
Daorſi *Dalmatiae.*

ISSA INS. *Dalmatiae.*
PHARVS INS. *Dalm.*
CORCYRA NIGRA. INS. *Dalm.*

R. Ballæus.
Gentius.

NORICVM.

MET. NOR. *Hadrianus.*

HELLAS.

ACARNANIA.

Anactorium.
Oeniadæ.
Leucadia *peninſula, poſt inſula.*

ITHACA INS. *Leucadiae vicina.*
CEPHALLENIA INS. *proxima Ithacae.*
Cranos.
Pales.
Pronos.
Same.

AETOLIA.

Ætoli.

LOCRIS.

Axia *Locrorum Ozolarum.*
Locri Epicnemidii.
Locri Opuntii.

PHOCIS.

Phocis *regio & urbs.*

BOEOTIA.

Bœoti.
Larymna &
Salganeus.
Thebæ.
Theſpiæ. *Autonomi, & Domitianus.*

EVBOEA INS.
Caryſtus.
Chalcis.
Iſtiæa.

ATTICA.

Athenæ.
Azetini, *populus ignotus, forte potius Magnae Graeciae, quam Atticae.*
Eleuſin.
Megara.
Pagæ. *Commodus.*

AEGINA INS.

PELOPONNESVS.

ACHAIA.

Achæi.
Ægium.
Corinthus. *Autonomi, & Auguſtus. Livia. Caligula. Nero. Domitianus. Trajanus. Hadrianus. Antoninus. Aurelius. Verus. Commodus. Severus.*

ACHA-

ACHAIA.

Patræ. *Autonomi, & Auguſtus. Claudius. Nero. Domitianus. Aurelius. Commodus. Severus. Caracalla.*

ARGOLIS.

Argi.
Epidaurus. *Autonomi, & Antoninus P.*
Thyrea.

* IRENE INS.

ARCADIA.

Arcades.
Megalopolis.
Pheneos.
Pſophis.
Thelpuſa.

LACONIA.

Lacedæmon. *Autonomi, & Claudius. Hadrianus.*
Maleam *e Geographia numismatica ſupra delevimus.*

MESSENIA.

Meſſene. *Autonomi, & Severus.*
Pylus. *Pellerin.*

ELIS.

Elis *regio & urbs. Autonomi, & Caracalla vel Elagabalus.*

ZACYNTHVS INS. *e regione Elidis. Autonomi, & Aurelius. Verus.*

CRETA INS.

ΚΟΙΝΟΝ ΚΡΗΤΩΝ. *Hadrianus. Antoninus.*
Aptara.
Cnoſus.
Cydonia. *Autonomi, & Domna.*
Eleutherna.
Gortyna. *Autonomi, & Germanicus cum Caligula.*
Lappa.
Lyttus.
Phæſtus.
Polyrrhenium.
Prianſus.
Rhithymna.
Tyliſſus.

NISYROS INS. *ſupra Cretam.*

CYCLADES AEGAEI MARIS.

CEOS.
Iulis.
CYTHNVS.
MELOS.
NAXVS.
NEA. Pellerin R. III. Pl. CV. n. 2.
SIPHNVS.
TENVS.

ASIA.

BOSPORVS CIMMERIVS.

R. Eupator.
Rheſcuporis IV.
Rheſcuporis V.

ASIA MINOR.

R. Antigonus.

Ciſtophori *numi Apameae. Epheſi, Pergami, Trallium.*

Numi ΘΕΑΝ ΡΩΜΗΝ *laudantes ſine urbis nomine.*

PONTVS.

Amiſus.

R. Mithradates VI. Eupator.

PAPHLAGONIA.

Sinope.

BITHYNIA.

ΚΟΙΝΟΝ ΒΕΙΘΥΝΙΑϹ. *Hadrianus.*
Bithynium. *Commodus & Antinous.*
Chalcedon.
Cius.
Cretia. *Severus.*
Hadriani.
Nicæa. *Caracalla. Mœſa. Alexander. Mamaea. Maximus C. Gordianus. Etruſcilla.*
Nicomedia. *Autonomi, & Alexander.*
Pruſa ad Olympum. *Orbiana.*

R. Pruſias I.
Pruſias II.
Nicomedes II. Epiphanes.
Orodaltis *Lycomedis filia.*

MYSIA.

Myſi Abbæti.
Adramyttion.
Cyzicus.
Lampſacus.
Parium. *Autonomi, & Nerva.*
Pergamus. *Autonomi, & Caracalla.*

Philetærus *Rex Pergami.*

TROAS.

Abydus.
Alexandria Troas. *Autonomi, & Commodus. Alexander.*
Ilium.

AEOLIS.

Cyme.
Myrina.

LESBVS INS.
Ereſus.
Iſſa.
Mytilene.

Theophanes *Philoſophus.*

IONIA.

Clazomenæ.
Epheſus. *Autonomi, & Lepidus, Antonius & Octavianus IIIviri. Domitia. Antoninus. Verus. Tranquillina. Valerianus. Gallienus.*
Erythræ.
Magneſia ad Mæandrum.
Miletus.
Phocæa.
Priene.
Smyrna. *Autonomi, & Titus. Titus & Domitianus. Trajanus. Gordianus.*

CHIOS

CHIOS INS.
SAMOS INS. *Caracalla. Decius. Gallienus.*

CARIA.

Cnidus.
Halicarnaſſus. *Commodus.*
Iaſus.
Mylaſa.
Stratonicea. *Severus & Domna.*
Tabæ. *Trajanus.*

R. Mauſſollus.
COS INS.
RHODVS INS.

LYCIA.

Lycia. *Domitianus. Trajanus.*
Apollonia. *Geta.*
Cragus.
Maſſycites.

PAMPHYLIA.

Aſpendus.
Side. *Autonomi, & Jul. Soaemias.*

CILICIA.

Corycus. *Alexander.*
Flaviopolis. *Domitianus.*
Nagidus.
Seleucia ad Calycadnum.
Soli.
Tarſus. *Autonomi, & Gordianus.*
ELAEVSA INS.

LYDIA.

Apollonidea.
Cilbiani Superiores. *Domna.*
Magneſia ad Sipylum.
Nacraſa. *Geta.*
Nicæenſes Cilbiani. *Geta.*
Philadelphia. *Domitianus.*
Sardes.
Tralles.

PHRYGIA.

Acmonia. *Nero.*
Æzanis. *Commodus.*
Apamea ad Mæandrum.
Cibyra.
Dionyſopolis.
Dorylæum. *Gordianus.*
* Epictetos.
Laodicea.
Metropolis. *Fauſtina Jun. Otacilia. Valerianus.*
Sala.
Synnas.

GALATIA.

Sebaſte, *quae* & Ancyra.
Ancyra. *Caracalla.*

CAPPADOCIA.

Cæſarea. *Verus.*
Tyana. *Nero.*

R. Ariarathes VI. Euſebes.
Ariobarſanes I. Philorhomæus.

PISIDIA.

Cæſ. Antiochia. *Gordianus.*

SYRIA.

R. Seleucus I. Nicator.
Antiochus I. Soter.

SYRIA.

R. Antiochus II. Deus.
Antiochus III. Magnus.
Seleucus IV. Philopator.
Antiochus IV. Deus, Epiphanes, Nicephorus.
Demetrius I. Soter.
Alexander I. Theopator, Evergetes, Epiphanes, Nicephorus.
Demetrius II. Deus, Philadelphus, Nicator.
Antiochus VI. Epiphanes, Dionyſus.
Tryphon Autocrator.
Antiochus VII. Evergetes.
Alexander II.
Antiochus VIII. Epiphanes.
Cleopatra & Antiochus VIII.
Antiochus IX. Philopator.
Philippus Epiphanes, Philadelphus.
Antiochus XI Epiphanes, Philadelphus.
Numus *incognitus cujusdam Syriae regis. Vid. T. III. n.4.*

COMMAGENE.

Samoſata. *Autonomi & Philippus.*
Zeugma. *Antoninus P. Philippus.*

R. Antiochus IV. Magnus.

SELEVCIS ET PIERIA.

Fratres Populi.
Antiochia ad Orontem. *Autonomi, & Auguſtus. Tiberius. Domitianus. Nerva. Hadrianus. Antoninus. Aurelius. Verus. Caracalla. Macrinus. Diadumenianus. Elagabalus. Philippus. Herennius. Hoſtilianus. Gallus. Julianus II.*
Antiocheni ad Daphnen.
Apamea.
Emiſa. *Caracalla.*
Gabala. *Macrinus.*
Laodicea ad mare. *Autonomi, & Domitianus. Trajanus. Caracalla. (ſub hoc coloniae nomine.)*
Seleucia. *Trajanus.*

CYRRHESTICA.

Berœa. *Antoninus P.*
Hieropolis. *Antoninus. Alexander.*

CHALCIDENE.

Chalcis. *Hadrianus. Verus.*

COELESYRIA.

Damaſcus. *Caracalla. Dómna.*

PALMYRENE.

R. Vaballathus & Aurelianus. *Numi Graeci & Latini.*

PHOENICE.

Berytus. *Autonomi, & Auguſtus. Gordianus.*
Sidon.
Sidonii *exules in Arado inſula. Pellerin. S. IV. & Addit.*
Tripolis.

PHOE-

PHOENICE.

Tyrus.
Numi *Phœniciis characteribus inſignes incertarum urbium.*

ARADVS INS.

PALAESTINA.

Ælia Capitolina *Judaeae. Caracalla forte.*
Aſcalon *Judaeae. Domitianus. Trajanus.*
Cæſarea ad Panium Itureæ. *Auguſtus.*
Cæſarea Samaritidis. *Sev. Alexander, ut videtur.*
Gaza *Judaeae.*
Col. Sebaſte, *ante* Samaria. *Domna.*
Tabæ Palæſtinæ.

PRINCIPES ET REGES IVDAEAE.

Ionathan, *&* Alexander I. *Rex Syriae.*
Simon.
Ioannes Hyrcanus *Simonis fil.*
Agrippa I. *vel* II.
Agrippa II. *Titus. Domitianus.*
Imperatores, *quorum numi in Judaea cuſi: Auguſtus. Tiberius. Tiberius & Julia. Claudius & Agrippina. Nero. Nero & Britannicus.*

PARTHIA.

R. Arſaces VII. Phrahates II.
Arſaces IX. Mithradates II.
Arſaces XV. Phrahates IV.

PERSIA.

Reges Saſſanidæ.

MESOPOTAMIA.

OSHROENE.

R. Mannus *& Verus.*
Abgarus *& Severus.*
Abgarus *& Gordianus.*
Col. Edeſſa. *Caracalla. Alexander.*

AFRICA.

AEGYPTVS.

R. Ptolemæus I. & Berenice.
Ptolemæus II. Philadelphus.
Ptolemæus III. Evergetes.
Ptolemæus VI. Philometor.
Cleopatra *mater Ptolemaei VIII & IX.*
Ptolemæus VIII. *aut* IX.
Ptolemæus IX.
Selene *uxor Ptolemaei VIII.*
Ptolemæus XIII.
Cleopatra *poſtrema.*
Cleopatra *&* M. Antonius.
Ptolemæi *incerti.*

Ægypti *numus autonomus. V. T. III. n. 9.*
Alexandria. *Tiberius. Druſus Jun. Claudius. Agrippina. Nero. Nero & Auguſtus. Nero & Tiberius. Galba. Veſpaſianus. Domitianus. Trajanus. Hadria-*

Alexandria.

Hadrianus. Ælius. Antoninus. Aurelius. Commodus. Alexander. Maximinus. Gordianus Africanus Pat. Balbinus. Pupienus. Gordianus P. Decius. Gallus. Gallienus. Salonina. Claudius Goth. Aurelianus. Probus. Carus. Numerianus. Diocletianus. Maximianus Herc.

Heracleotes Nomos. *Hadrianus.*
Menelaites Nomos. *Antoninus P.*
Panopolites Nomos. *Hadrianus.*
Saites Nomos. *Hadrianus.*

CYRENAICA.

Cyrene.
Ptolemais. *Pellerin R. III. p.* 13.

ETA)(BIA.

R. Magas.

ZEVGITANE.

Carthago.
Utica. *Tiberius.*

Numi Punico *charactere inſcripti.*
Punici *anepigraphi.*

MAVRETANIA.

Iol. *Autonomi, & Tiberius. Julia Tiberii uxor.*

R Iuba.
Ptolemæus *Jubae II. filius.*
Regulus *incognitus.*

Numi incogniti *urbium & regum omnis generis.*

*
* *

Omnis numerus monetarum, quas Populorum, Urbium, & Regum uſque modo poſſideo, MDCCLXXVI. quarum aureæ ſunt XXI. argenteæ CCCLXIII. æreæ MCCCXCII. Quot autem ſpeciatim cujusque urbis vel regis mihi præſto ſint, adjicere inutile viſum, alioqui creſcente, adeoque variante identidem numero; neque eo animo hunc catalogum ſubtexui, ut quot cujusque populi numos habeam, ſed quo ordine diſpoſuerim, eluceſcat. Sequuntur Notæ in titulos, quibus per catalogum ſtella præfixa.

Attula & Ulatos. Sic inſcriptos tertiæ formæ numos argenteos, quod frequenter eruantur in Britannia, ad ejus inſulæ regulos ſpectare cenſent Cambdenus, & Gibſon.

Hydruntum Apuliae. Diu multumque dubitavi, an huic urbi locus in Catalogo dandus eſſet. Numus meus idem, quem Goltzius produxit ΥΤΔΡΟΝΤΙΝΩΝ. Sed epigraphe in meo detrita. Eodem vitio laborare, quem Pellerin R. III. Table Sommaire recenſuit, ex amico Pariſienſi intellexi. Cum Meſſanæ & Syracuſarum Siciliæ exiſterent iisdem typis notati numi, qualem Goltzius Hydrunti protulit, parum abfuit, quin crederem aut male legiſſe, aut confinxiſſe perigraphen, ni Cl. Wacker in ſimillimo ſui muſei ΥΔΡΟΝ... legi, nuper literis ad me datis teſtatus fuiſſet.

Dacia & Viminacium. Conſilio recenſui Auguſtos, & Auguſtas, quos laudant ſinguli anni Daciæ ac Viminacii in noſtro muſeo. Qui hisce numis veterem chronologiam egregie juvari prædicant, mirabuntur Anno VI Daciæ Gallienum, Anno VI & XI Viminacii Philippum memorari. Sed in hoc argumento prolixius verſati ſumus p. 122 & ſqq.

ΚΟΣΩΝ *Thraciae.* Ne mireris in Thraciam relegatos numos ΚΟΣΩΝ. Lege, ſi lubet, quæ diſſerui p. 128.

Samothrace inſ. Secutus ſum, ſed ſubtimide, Eckhelium, qui Cat. Muſ. Cæſ. pag. 82. huc revocavit æreos hic Palladis capite, illic nomine ΣΑΜΟ. & figura ſedente conſignatos. Dixi *ſubtimide*, quod aliqua Samoſatorum in Syria ſuſpicio ſit ob numum Hunteri Tab. 47. n. X. Apud eundem reperias ΣΑΜΟΘΡΑΚΩΝ æreum T. 47. n. XII. qui totus ab illis alius eſt.

Magneſia Theſſaliae Ei nempe urbi dedi argenteos illos pervetuſtos, quorum alia parte quadratum incuſum, alia cernitur aut vir nudus, aut centaurus mulierem geſtans. Confer, quæ dixi p. 234. Quodſi præplacet Macedonia, cujus urbes Amphipolis, & Theſſalonica æque delectantur centauris in ære ſuo, nihil repugno. Et vero galea, quam ſimilis Hunterianus T. 33. n. III. quadrato impreſſam offert, etiam alii Macedo-

niæ numi referunt apud Goltzium & Pellerinium. Quod attinet ΛΕΣΒΟΥ nomen inſcriptum tali numo apud Goltzium, ſine dubio fictum eſt, ut plurium urbium regumque nomina finxit in veris numis Goltzius.

Irene. inſ. Ita nimirum Pellerin R. III. pl. CXIV. n. 5. At Combius Deſcr. Num. Hunt. T. 26. n. XX. non IP ſed EP legit, & pro Ereſo Lesbi ſtat. In meo, quod moleſte accidit, prior litera dubia. Si Combius recte legit, Ireni non jam locus eſt in Geographia Numismatica; quippe alterum numum, quem Pellerin eidem inſulæ tribuit l. c. n. 4. eſſe Rhithymnæ in Creta, alibi diximus.

Epictetus Phrygiae. Vadem cito Pellerin R. II. p. 33. Ceterum ut hujusmodi numi omnes hactenus detecti, quorum ſane pauciſſimi ſunt, galeatum caput, & alia parte equum repræſentant: ita meus id habet peculiare, quod retro galeatum caput adſcribat ſolitariam literam Θ.

Hæc fere habui, quæ in numophylacii mei numos commentarer. Conatibus his, Erudite Lector! fave & vale.

INDEX.

INDEX.

A.

A & AKTIA intra ſertum in ære Nicopolis Epiri p. 146 & ſqq.
Abdera Thraciæ. Ejus non eſt numus P. I. T. IV. n. I. ſed potius Arcadum Peloponneſi p. 177.
Abydus Troadis p. 25.
Accoleja Familia. Ejus vitioſus denarius p. 188.
Acmonia Phrygiæ p. 62.
Aegyptus. Ejus autonomus numus p. 19.
Aeſculapius in numo Parii Myſiæ videtur Alexander Paris p. 23.
Alæ Meduſæ non agnitæ ab Eruditis, qui de Pontica pecunia egerunt p. 5.
Alexander M. Ejus aureus numus in Phœnicia ſignatus p. 145.
Alexander rex Syriæ, & Jonathan Dux Judææ p. 84.
Alexander Severus in numo Corycio Ciliciæ p. 51. Hierapolis Syriæ p. 74. Ejus ſubærati vitioſi p. 208.
Alexandria Ægypti p. 102.
Alexandria Troas p. 27.
Aluntii in Sicilia monetæ probant tauros biformes fluviorum ſymbola eſſe p. 116.
Amphipolis Macedoniæ p. 143.
ANAKIΩN male Haymius legit. p. 42.
Ancyra Galatiæ p. 69.
Animadverſiones in numos a Pellerinio vulgatos p. 213.
Anni, in ære Daciæ ac Viminacii notati, chronologicas difficultates pariunt p. 122.
Annus X an occurrat in numis Viminacii, grave dubium p. 126.
Antoninus P. in numo Epidauri p. 160.
Apamea Phrygiæ p. 65.
Apollonia Lyciæ p. 49.
Arcadia Peloponneſi p. 177.
Archedamus in numo Mytilenes Lesbi p. 32.
Archontibus interdum feminæ ſociantur in ære vetere p. 64.
Argentei numi non ceſſant cum Claudio Gothico p. 199.
Argo navis inter ſidera relata lucet in numis Magnetum Theſſaliæ p. 30
Ariſtæas Epimeletes Stratonicenſium in Caria p. 46.
Ariſtæus in numo Neapolis Campaniæ p. 111.

Aſtrum

Aſtrum in numo Jonathanis ducis Judææ, & ejus ſenſus p. 85.
Auguſtus. Ejus denarius vitioſus argenti ſolidi p. 188. Vitioſus ſubæratus p. 202.
Aurelius. Ejus numus ſubæratus vitioſus p. 204.
Ateula Britanniæ regulus p. 257.

B.

Baal-Tarz, ſeu Juppiter Tarſenſis in tetradrachmis Ciliciæ p. 53.
Bacchus quieſcens genio Ampelo incumbit in numo Nicææ Bithyniæ p. 55.
Balbinus in numo Alexandriæ Ægypti p. 104.
Ballæus regulus Illyrici p. 154.
Barbarorum abortus ſunt numi inepti artificii, præferentes nomina ΘΑΣΙΩΝ p. 136. ΙΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΠΡΩΤΗΣ p. 137. ΧΑΡΑΚΤΗ ΚΟΤΤΟC p. 137. & numus Theſpiis vel Theſſalonicæ datus a Pellerinio p. 138. & aurei inſcripti IMP SPONSIANI p. 139.
Batrachus in Marmarica. Ejus duo numi p. 101 & 102 ζ)
Bert, ſeu Birt Bruttiorum p. 117.
BIA. in numo veroſimiliter Cyrenaico p. 106.
Bos incuſus Pamphyliæ & Ciliciæ numis p. 52. Bos humana facie fluvii ſymbolum p. 116.

C.

Caduceus parvus eſt in ære Herodis Magni, non 8, ut plurimis viſum p. 111.
Caracalla in numo Ancyræ Galatiæ p. 69. Juſſit feriri ſubæratos p. 195. Ejus ſubærati vitioſi p. 207. Ejus denarius vitioſus non ſubæratus p. 191.
Caryſtus Eubœæ p. 165.
Caſſander rex Macedoniæ p. 146.
Caſſope Epiri p. 162.
Centaurus Oreus contra Herculem decertans in numo Orrei Epiri p. 236. Centauri multi ſtabulant in numis urbium Theſſaliæ & Macedoniæ p. 234.
Cephalus inſidet numis argenteis Palenſium in Cephalleniap. 159.
Cervos copioſos Dalmatia genuit, ac in numis ſignavit p. 153.
Chalcis Syriæ p. 70. Flaviæ nomine non ſemper uſa poſt Veſpaſianum in ære publico p. 71.
Cilbiani Superiores Lydiæ p. 60.
Ciſtophorus Epheſi p. 35. Apameæ Phrygiæ p. 65. Quædam de Ciſtophoris obſervationes p. 35.
Cius Bithyniæ p. 9. ΤΟΝ ΚΤΙΣΤΗΝ veneratur heroa Cium p. 11. Hylam, Herculis delicias, propoſuit in numo Sev. Alexandri. Ibid.
Claudia Familia. Ejus ſubæratus vitioſus p. 202.
Columba Syris culta p. 77. Speciatim Hieropolitanis in Syria p. 78.

Com-

Commodus in numo Halicarnaſſi Cariæ p. 44.
Corcyra Nigra p. 173.
Corſen, bubulci filiam, exhibet numus Corſicæ p. 120.
Corſica inſ. p. 118.
Corycus Ciliciæ p. 51. ΑΥΤΟΝΟΜΟΣ & ΝΑΥΑΡΧΙΣ ſub Caracalla. Ibid.
Coſa, ſive Coſſea Thraciæ p. 128.
Coſſura inſ. p. 120.
Cotyos. v. regis Thraciæ male habitus numus inſcriptus ΧΑΡΑΚΤΗ ΚΟΤΥΟC p. 137.
Cragus Lyciæ. Ejus forte numus, quem P. I. T. VI. n. II. Cranio Cephalleniæ tribui p. 179.
Crocodilus in autonomo numo Ægypti p. 91.
Cydonia Cretæ p. 164.
Cyrene Africæ p. 105.

D.

Dacia Provincia p. 121. duplici æra in numis non uſa p. 123. Ejus numus ANNO VI. inſignis ſub Gallieno. Ibid.
Daorſi Illyrici p. 149.
Decius (Trajanus.) Ejus ſubæratus vitioſus p. 210.
Delmatia, ſeu Dalmatia fabricavit numos inſcriptos METALLI VLPIANI DELM. p. 152.
Dii Syriæ qui? p. 74.
DEO AESC. SVB. in numis Parii Myſiæ quis denotetur p. 23.
Diana Leucophryne in numo Stratoniceæ Cariæ p. 47.
Dionyſopolis Phrygiæ p. 65.
Domitianus in numo Philadelphiæ Lydiæ p. 60. Ejus ſubæratus vitioſus p. 203.
Domna in numo Cilbianorum Sup. Lydiæ p. 60. Cydoniæ Cretenſis p. 164. Sebaſtes Palæſtinæ p. 82. Stratoniceæ in Caria p. 46. Ejus vitioſus denarius argenti ſolidi p. 190. vitioſi denarii ſubærati p. 204. Cur ejus, & mariti Sept. Severi tot exſtent vitioſi numi p. 206. Multi Domnæ numi extra Romam, videlicet in Oriente, cuſi p. 190. Inſolitis nominibus utitur in ære Corinthi Achajæ, & Sebaſtes Palæſtinæ p. 83.
Dryantilla Aug. p. 139. Regaliani uxor p. 141. Ejus denarius recuſus p. 142.

E.

Elæuſa inſ. Ciliciæ. p. 57.
Epheſus Joniæ. Ejus Ciſtophorus p. 35. numus Tranquillinæ p. 37.
Epictetos Phrygiæ p. 258
Epidaurus Argolidis p. 160.
Epimeletes in numo Stratoniceæ Cariæ p. 46.
ΕΠΙ ΧΡ Γ in numo Acmoniæ Phrygiæ explicatur p. 63.
Etruſcilla. Ejus vitioſus denarius p. 194.

F.

Familiæ Rom. quarum exſtant denarii a Trajano Reſtituti p. 183. Incuſis notis inſignes p. 184.

Farſuleja Familia. Ejus ſubæratus vitioſus p. 202.
Feminæ quandoque magiſtratus Eponymi, & Neocoratus honore gaudebant p. 64.
Fluviorum ſymbolum eſt taurus humana facie in pecunia Magnæ Græciæ, & Siciliæ p. 116.

G.

Gabala Syriæ p. 74.
Galatia (ΚΟΙΝΟΝ ΓΑΛΑΤΩΝ) p. 67.
Galliæ numus incertus ex electro p. 110.
Gallienus in numo Daciæ p. 121. In alio numo cum ANNO VI. Daciæ p. 123.
Gallus. Vide Trebonianus.
Gentius rex Illyrici p. 156.
Geta in numo Apolloniæ Lyciæ p. 49. Ejus denarius vitioſus argenti probi p. 192.
Goltzius in numis veris finxit urbium & regum nomina p. 179 & 258
Gordianus Pius. Ejus ſubæratus vitioſus p. 209.

H.

Hadrianus in numo Alexandriæ Ægypti p. 103. Heracleotis Ægypti p. 92. Panopolitis Ægypti p. 93. Ejus ſubæratus vitioſus p. 203.
Halicarnaſſus Cariæ p. 44.
Hannibali injuſte adſcripta tetradrachma videntut Tarſi Ciliciæ p. 56.
Heraclea Lucaniæ p. 113.
Heracleotes Nomos Ægypti p. 92.
Hercules in numo Heracleotis Ægypti p. 93.
Hierapolis Syriæ, p. 74. Deorum Syriæ templum habuit longe ſplendiſſimum p. 76. Cudit argenteum magnæ formæ numisma Caracallæ, cujus patria fugit Pellerinium. p. 79.
Hoſtilianus in numo Viminacii p. 125.
Hydruntum Piceni p. 257.
Hylas in numo Cii Bithyniæ p. 11.
Hyllis Illyrici p. 148.

I.

Ibis in autonomo numo Ægypti p. 91.
Incuſæ notæ in tetradrachmis Thaſi p. 135. In denariis Familiarum Rom. p. 184.
Jonathan dux Judææ p 84. In ejus numo nec corona, nec rota, ſed ſtella p. 85.
Irene inſ. p. 258.
Iſſa Dalmatiæ p. 150.
Iſſa Lesbi p. 28. Iſſam Macaris filiam ſignavit. Ibid.
Iuliæ, Tiberii filiæ, numus in Numidia cuſus p. 107.
Iuno in numo Chalcidis Syriæ p. 72. corona radiata caput ornata, ac ut videtur, biceps p. 73. Ea & Juppiter dii Syriæ p. 74.

Iuppiter Æneſius in numo Pronæorum Cephalleniæ p. 158. Juppiter Tarſenſis, non Bacchus, in tetradrachmis Ciliciæ p. 53. Is & Juno Dii Syriæ p. 74.
Iudæa. In ea ſignatus Tiberii numus p. 87.

K.

ΚΛΗ legitur in quibusdam aureis & argenteis numis Tarenti neglecto urbis nomine p. 237.
Koph, ſeu Ϙ in numo Corſicæ p. 118.
ΚΟΣΩΝ aurei & argentei numi nullatenus ſunt Coſæ Etruriæ, ſed Thraciæ p. 128. Flati ibidem ſub Bruto & Caſſio tempore belli civilis in ſtipendium militis Romani p. 132.

L.

Lampſacus Myſiæ p. 19.
Latona Gemmellipara in numis Epheſi & Magneſiæ Joniæ p. 37.
Le Beau. Ejus ſyſtema de numis Reſtitutis evertitur unica moneta p. 181.
Leo ſignatus ab Adriaticis inſularibus, quod eſſent Cnidiorum coloni p. 173. in numo Hierapolis Syriæ ſymbolum Legionis Romanæ p. 78.
ΛΕΣΒΟΥ nomen a Goltzio fictum in argenteis pervetuſtis, quibus impreſſus vir nudus vel centaurus mulierem geſtans p. 258.
Literæ admodum diverſa magnitudine ductæ in numis quarundam Phrygiæ & Lydiæ urbium p. 66. Inſolitæ formæ p. 64 & 110.
Letopolites in Ægypto. Ejus numus p. 92.
Lycomedes, Orodaltidis reginæ Bithyniæ pater p. 18.

M.

Macrinus in numo Gabalorum Syriæ p. 74.
Magas rex Cyrenaicæ p. 106.
Magnetum Theſſaliæ in numis exhibetur navis Argo inter ſidera collocata p. 30. Eorum forte ſunt argentei pervetuſti, in quibus vir nudus aut centaurus mulierem geſtat p. 234. & 257
Malea Peloponneſi delenda e geographia Numiſmatica p. 221.
Mamæa in numo Nicææ Bithyniæ p. 12. Ejus denarius anecdotus p. 193. Mamaes & Mamias in numis dicta. Ibid. Ejus ſubærati vitioſi p. 208 & 209.
Mannus Edeſſæ rex p. 89.
Maronea Thraciæ p. 134.
Martis effigies in numis Dalmatiæ, & Iſſæ p. 152.
Maſſilia Galliæ p. 109.
Maſſycites Lyciæ. Huc revocandus videtur numus, quem P. I. p. 1. Maſſiliæ tribui p. 180. in nota.
Maximinus. Ejus numus vitioſus p. 192.

Maro-

Meduſa reſecto capite jacens in ære Pontico p. 5. Ejus alæ non agnitæ ab Eruditis. Ibid.
Melos Ægæi maris p. 166. Patria numorum ΜΑΛΙΩΝ p. 227.
Mercurius Plutoni umbram adferens, aut ex ejus regno evocans in numo Alexandriæ Ægypti p. 102.
Metallum uſurpatum Romanis pro Metallifodina p. 152.
ΜΗΝ, Menſis in numo Cii Bithyniæ p. 9 & 10. Sebaſtes Galatiæ p. 68.
Monetarii Lydiæ ſæpius peccarunt in ſcalpendis urbium nominibus p. 61.
Mytilene Lesbi p. 32.

N.

ΝΑΓΙΔΙΚΟΝ inſcripti numi ſunt Nagidi Ciliciæ potius, quam Cypri p. 55.
Nagidus Ciliciæ p. 51. Non Bacchum Indicum ſignavit, ſed Jovem Tarſenſem p. 53.
Neapolis Campaniæ p. 110.
Nerva in numo Parii in Myſia p. 21.
Nicæa Bithyniæ p. 12.
Nicopolis Epiri p. 146. Ejus ſunt numi, qui neglecto urbis nomine ſerto inſcribunt Α vel ΑΚΤΙΑ p. 147.
Nomi Ægypti. Eorum catalogus, quorum monetæ hactenus exſtant ſignatæ Hadriani L. IA. p. 95. Eorum ærei quinarii p. 101.
Noricum monetas cudit inſctiptas MET. NOR. p. 152.
Nuceria Alfaterna p. 114.
Numi incuſis notis inſignes p. 135. & 184. Recuſi Regaliani & Dryantillæ p. 142. Reſtituti p. 181. Subærati p. 195. Subferrati p. 200. Vitioſi culpa Monetariorum p. 188. Incogniti Italiæ p. 115.
Numidia Africæ p. 107.

O.

Orbiana in numo Pruſæ ad Olympum p. 12. Ejus nomina p. 13.
Oreus Centaurus in numo Horrei Epiri p. 236.
Orodaltis, aut Orolaltis regina Bithyniæ p. 16.
Ω in numo Acmonenſium Phrygiæ formatum, ut Ϙ p. 64. ut Q in numo Neapolis Campaniæ p. 110.

P.

Palenſes Cephalleniæ. Iis debentur argentei inſignes epigraphe ΚΕΦΑ & ΚΕΦΑΛΟΣ. p. 195.
Paltos Syriæ p. 80.
Pannonia patria numorum METALLI. VLPIANI. PANN. p. 152.
Parium Myſiæ p. 21. Alexandrum Paridem tanquam Æſculapium domeſticum jactat in numis Commodi p. 23.
Paula (Julia) Ejus ſubæratus vitioſus p. 208.
Pellerin. In Ejus opus animadverſiones p. 213.

Perſeus Meduſæ percuſſor adſeritur in numis Ponti p. 2. Male habitus ab Eruditis, nec agnitus in ære Pontico p. 7.
Philadelphia Lydiæ p. 60.
Phocæa Joniæ p. 39.
Phœnicia. Ibi ſignatus aureus Alexandri M. p. 145.
Ponti urbes fatum Meduſæ conſecrarunt in ſua pecunia p. 7.
Priene Joniæ p. 40.
Pronos Cephalleniæ p. 157.
Pruſa ad Olympum p. 12.
Pruſias ad mare p. 16.
Pruſias I vel II. rex Bithyniæ p. 13.
Ptolemæi Philadelphi vultus in numo Magæ regis Cyrenaicæ p. 106.

R.

Regalianus Dryantillæ maritus p. 141. A Treb. Pollione, & numis ſpuriis male vocatur Regillianus p. 143. Ejus denarius recuſus p. 142.
Regum numi parum hactenus perſpecti p. 13.
REST. in numis Romanorum non ad monumenta, ſed numos reſtitutos refertur p. 181.
Rhodus inſ. p. 48.
Romæ denarius reſtitutus a Trajano p. 181. Evertit ſyſtema Cl. Le Beau de numis Reſtitutis. Ib.
ΡΩΜΑΝΟΣ male lectum pro ΑΜΕΝΑΝΟΣ in numis Catanæ Siciliæ p. 112.

S.

Sabina. Ejus vitioſus denarius argenti probi p. 188.
Same Cephalleniæ p. 159.
Samothrace inſ. p. 257
Scodra Dalmatiæ p. 157.
Sebaſte Galatiæ p. 67.
Sebaſte Palæſtinæ p. 82.
Sebecnytes, vel Sebennytes vini ferax contra ingenium Ægyptii ſoli p. 100.
Sergia Familia. Ejus ſubæratus vitioſus p. 202.
Severus (Septimius) in numo Stratoniceæ Cariæ p. 46. Ejus numi, tribus primis imperii annis coævi, extra Romam, ſcilicet in Oriente ſignati ſunt p. 190. Cur ejus, & uxoris Domnæ tot vitioſi numi exiſtant p. 206.
Sidera in numis plerumque denotant regionum ac urbium themata p. 29.
Sigma C & Ϲ iisdem in numis, imo C & Σ promiſcue in eodem vocabulo formatum p. 70.
Sinope Paphlagoniæ p. 1.
Siphnus Ægæi maris p. 167.
Smyrna Joniæ p. 41. Patria numi, quem Haymius neſcio quorum ΑΝΑΚΙΩΝ credidit p. 42.
Sponſianus nullus extitiſſe videtur p. 140. Aurei numi inſcripti IMPSPONSIANI p. 139.
Stratonicea Cariæ p. 46.
Subærati numi p. 195. Etiam juſſu Imperatorum Rom: cuſi. Ibid.

In Magna Græcia videntur inventi, ſuntque coævi primordiis artis monetariæ p. 197. Etiam dentati p. 189. Eorum artificium hodieque non incognitum p. 201.

Subferrati numi p. 200. Forte prima falſariorum pericula. Ibid. In ſola Italia fabricati, & nonniſi Imperatorum Rom. exſtant p. 201.

Synnada Phrygiæ p. 66.

T.

Thaſus inſ. p. 135. Non fabricavit ΘΑΣΙΩΝ tetradrachmos artificii barbari p. 136.

Thelpuſa Arcadiæ p. 161. Thelpuſæ Nymphæ vultum propoſuit in autonomo numo p. 162.

ΘΕΟΙ CΥΡΙΑC in numo Hierapolis Syriæ p. 74.

Theophanes in numo Mytilenes Lesbi p. 32.

Thyrea Argolidis p. 222.

Tiberii numus in Judæa ſignatus p. 87.

Tournefortius primus, qui Perſeum agnovit in ære Pontico p. 8.

Trajanus in numis Alexandriæ Ægypti p. 102. Smyrnæ Joniæ p. 41.

Tranquillina in numo Epheſi p. 37. Fruria & Furia, Sabinia & Sabina in numis. Ibid.

Trebonianus Gallus. Ejus vitioſus denarius argenti ſolidi p. 194. Subæratus vitioſus p. 210. Occaſione ferente monendus Lector, ut l. c. pro VOLVSIANVS legat TREBONIANVS.

V.

Venus etiam in Pamphylia & Cilicia culta p. 55. Phallis onuſta ejus imago in numis Malli Ciliciæ p. 56. Meretricia in numo Abydi Troadis p. 25. Ejus ſtella lucet in numis Iſſæ Lesbi, Uranopolis Macedoniæ, & Locrorum Græciæ p. 29.

Verus in numo Chalcidis Syriæ p. 70. Is, & Mannus rex Edeſſæ p. 89.


Veſpaſianus. Ejus ſubæratus vitioſus p. 203. Initiale nomen literis nexis MPVE. incuſum denariis Familiarum Rom. p. 184.

Viminacium Mœſiæ Sup. p. 122. 125. Ejus numis non æque, ac hactenus creditum, juvatur vetus chronologia p. 122. Num Annum X in ære ſuo ſignaverit, dubitatur p. 126.


Vitioſi numi culpa Monetariorum p. 188.


Vulcanus, non Hercules in numo Athenienſi apud Pellerin p. 144.

ASIA




P.II. Tab.II.





P. II Tab. III.
AFRICA

EVROPA *P. II. Tab. IV.*




P. II. Tab. V.



NVMI INCERTI POPVLI

P.II. Tab.VI.




P. II. Tab. VII.
ROMANORVM NVMI.
ROMA

SPECIAL 87-B
23640
THE GETTY CENTER
LIBRARY